Opuscula medica varii argumenti, seu dissertationes selectiores antea diversis temporibus editae, nunc revisae et auctiores / [Friedrich Hoffmann].

Contributors

Hoffmann, Friedrich, 1660-1742.

Publication/Creation

Venetiis : Apud S. Coleti, 1741.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/ahzdyu8a

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30545183

FRIDERICI HOFFMANNI

CONSILIARII REGIS INTIMI.

Archiatri, Academiæ & Ordinis Medici Senioris

OPUSCULA MEDICA VARII ARGUMENTI

SEU

DISSERTATIONES SELECTIORES

ANTEA DIVERSIS TEMPORIBUS EDITÆ

NUNC

REVISÆ ET AUCTIORES.



VENETIIS, MDCCXLI.

APUD SEBASTIANUM COLETI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

FRIDERICI

HOFFMANNI

CONSILIARII REGIS INTIMI

Archiatri, Academiæ & Ordinis Medici Senioris

OPUSCULA MEDICA

VARII ARGUMENTI

SEU

DISSERTATIONES SELECTIORES

ANTEA DIVERSIS TEMPORIBUS EDITÆ

NUNC

REVISÆ ET AUCTIORES.

VENETIIS, MDCCXLI.

Apud Simonem Occhi.

SUPERIORUM PERMISSU, ac PRIVILEGIO.

PRÆFATIO.



Enuinam, ſolidam & ſecuriſſimam morbos tam avertendi quam ſanandi methodum nec in medicamentorum varietate, multitudine aut pretio, nec in valentiorum effectu, ſed in prudenti & ſagaci ſelectiorum, leniorum, & ſimplicium magis quam compoſitorum adplicatione conſiſtere; ii demum ex medentibus recte intelligunt, qui longo rerum uſu edocti corporis humani naturam & genuinas ſtatus tam ſani quam morboſi cauſas exquiſitius paullo penetrant. Enim vero, primo rei intuitu videri poſſet, quod tanta morborum corporumque varietas, quæ omnem fere numerum excedit, innumera etiam remediorum genera requireret. At vero, qui prudentia & ratione duce artem facit medicus, ex facili perſpicit, omnium quotquot ſunt, morborum cauſas tam proximas quam mediatas, non eſſe multiplices, non valde diffuſas, ſed paucas admodum & ſimplices, quæ tantum pro ſubjectorum & partium, ubi reſident, differentia differentes plane effectus & ſymptomata producunt; atque ideo non tanta remediorum copia & varietate, ſed perpaucis potius, debito tempore, ordine & regimine adhibitis, ſatiſque diu continuatis opus eſſe judicat rectiſſime. Secus autem faciunt imperiti & de cauſis rerum inveſtigandis minus ſolliciti, qui, quando medicamentum non protinus deſideratum edit effectum, mox aliud atque aliud, quod expectationi magis reſpondere autumant, temere ſubſtituunt, miſerumque ægrotum medicamentis obruendo lædunt magis quam adjuvant. Qua quidem in re monumenta veterum evolventi perplacuit ſemper egregium CELSI effatum, quod *lib. III. cap. I.* inſeruit: *oportet, ubi aliquid non reſpondit, non experiri aliud atque aliud: nam in longis morbis, quos tempus ut facit, ſic etiam ſolvit, non ſtatim condemnetur, ſi quid non ſtatim*

profuit . Minus vero removeatur , ſi quid paullum ſaltim juvat , quia profectus tempore expletur .

Deinde , medicus ſalutis hominum vere cupidus remediis validioribus , quæ vim quaſi & impetum naturæ inferunt , magna cum cautione , & niſi ſumma urgente neceſſitate utitur, ſed lenioribus potius & benignioribus curationem , quantum licet , expedire ſatagit . Etenim , quum ſubjecta per naturam imbecilliora maximis plerumque morbis pateant ; judicatu facillimum , ipſiuſque HIPPOCRATIS teſtimonio evictum eſt : medicamenta fortiora , quibus vis ſtatum corporis tranſmutandi ineſt , nec in debilibus corporibus tuto adhibenda eſſe : niſi quis ægros in majorem præcipitare perniciem velit . Longe autem alia in medendo viam ſibi eligunt medici minus circumſpecti , qui in adfectibus longis eradicandis , ut fere ſunt cachexia , hydrops , lue venerea , ſcorbutus , aſthma , podagra , adfectio hypochondriaca & hyſterica &c. magna vi & vectibus quaſi opus eſſe credunt ; ideoque emetica , ſalivantia , purgantia , ſudorifera , aliaque activiora remedia maximo ægrotantis damno & exitiali plerumque effectu præſcribunt . Equidem bene ſcio , quid hic obſtrepere ſoleant vani arcanorum venditores , qui ſine validiorum , ex mineralium præſertim familia paratorum ope morbos graviores abigi poſſe negant ; ſed , qui per dimidium ſæculi & ultra innumeris morborum curationibus vacavi , ſancta adſeverare fide poſſum , me nunquam fere non remedia ex evacuantium , alterantium & ſedativorum claſſe deſumta leniora , ſecuriora longoque uſu explorata in uſum vocaſſe , iiſque cum patientia & temporis exſpectatione adhibitis , morbos æque chronicos ac acutos , juvante Deo , perſanaſſe feliciſſime . Splendent autem quam maxime blanda , miti ac temperata operandi energia remedia ſic dicta diætetica , & quæ ubivis facile parantur domeſtica , quorum prudenti & ægrotanti cujuſque naturæ accommodato uſu imminentes morborum acceſſiones avertuntur , & præſentes percommode profligantur . Per diætetica vero intelligimus ex alimentis elementiſque omnia , quorum ad vitam & ſanitatem conſervandam quotidianus nobis uſus eſt , & quæ priſcorum loquendi idiomate res non naturales , vel rectius adhuc phyſicæ naturales appellari ſolent: atque hæc fere ſunt, a quibus non modo ſana & longa , ſed brevis quoque & morboſa vita, imo mors denique ipſa dependet . Quare etiam præcipua doctrinæ

medicæ

medicæ pars esse videtur, ex veris & solidis physico-mechanicis principiis harum sibi rerum, quibus omni momento ad vitam utimur, interiorem comparare cognitionem, ut quid inde adversi ad morbos ingignendos, quidque boni ad eosdem abigendos in nos redundet, accuratius intelligamus. Penitus hancce veritatem cognovit veneranda antiquitas, quæ nullam medicinæ partem fere magis, quam diæteticam excoluit, & in medendo adhibuit; id quod præcipue aurea Hippocratis monumenta, quæ de victu acutorum, de diæta, de natura aeris, aquarum & locorum, posteritati reliquit, aperte declarant. Et si disertissimi CELSI librum evolvimus, in quo omnium fere vitiorum internorum curationem tradit, hanc ipsam certe potissimum mutatione cœli, locorum, vitæ generis, varietate ciborum & potus, abstinentia, varia corporis exercitatione, frictionibus, balneis, aliisque hujus generis similibus ex voto peractam legimus. Eadem tenuerunt vestigia omnes recentioris ævi medici, qui solidi quicquam & imitatione digni memoriæ prodiderunt, quos inter alios antecellunt Itali, & nominatim quidem SANCTORIUS, MERCURIALIS, MONTANUS, RAMAZINUS, LANCISIUS & BAGLIVUS, qui principiis physico-mechanicis, unde optime corporum motuumque causæ ac leges derivantur, adjuti, principem artis salutaris partem, diætam paullo subtilius longeque optime excoluerunt. Quamobrem permultum ii hallucinari videntur, qui obliquo decurrentes stadio, originem morborum, & vitæ vel longioris vel brevioris causas ex rebus altioris indaginis, fortuito siderum influxu, principio corpus nostrum dirigente & motus secundum sapientiam vel errorem administrante, vel aliis captum longe superantibus sublimioribus derivare contendunt. Quibus rebus nihil significantibus, nihil firmi ac solidi in medicina stabilitur; cum contra ex illis causis corporeis, quæ materiam varie adficiunt & motus disponunt, ut sunt alimenta ac medicamenta ex regno naturæ desumpta simpliciſſima, vera & perspicua sanitatis, morborum, vitæque longæ, ac brevis ratio possit reddi ac demonstrari.

Quæ cum ita sint, ego per quadraginta & sex annos docentis munere fungens nihil magis curæ cordique habui, quam ut ex clarioribus anatomicis & physico-chymico mechanicis principiis, tanquam evidentibus causis, artem nostram divinitus concessam ex ob-

ſcuriori in clariorem lucem, magiſque rationalem ſtatum reponerem; quod inter alios jam editos labores, inſigni, ut ſpero, uſu non deſtitutos, præcipue diſſertationibus de rebus phyſico-medicis, chimicis & diæteticis, ut & de valetudine tuenda conſcriptis, ſummoque ubivis applauſu exceptis præſtare allaboravi. Quum vero diſtracta ſint omnia, licet ſæpe recuſa exemplaria, ut difficulter nunc haberi queant; petiit a me honeſtus & de re litteraria bene meritus *Dn. Vickius*, ut ipſi licentiam concederem, quaſdam denuo recudendi & in opuſcula concinnandi diſſertationes. Quare ego juvandum ratus hoc egregium publico inſerviendi ſtudium, iteratam diſſertationum quarundam rariorum editionem lubentiſſime conceſſi, nihil magis ex animo optans, quam ut B. L. ex frequenti & attentiori earum lectione fructum reportet uberrimum.

IN-

INDEX OPUSCULORUM

HUJUS VOLUMINIS.

I.

DE Ratione universæ Medicinæ præside. *Hæc Dissertatio hic omissa est, utpote jam antea edita in volumine Dissertationum Physico-Medico-Chymicarum num.* 23. pag. 336.

II.

De Diætetica sacræ scripturæ Medicina. 1.

III.

De Septem sanitatis legibus. *Hæc pariter omissa, quia jam edita in præfato volumine num.* 25. 375.

IV.

De diætæ vitio multorum morborum causſa 15.

V.

De vini Hungarici excellente natura, virtute, & usu. 29.

VI.

De valetudine senum tuenda. 41.

VII.

De salutari ac noxio venæsectionis usu. 54.

VIII.

De balsamo Peruviano. 72.

IX.

De Terebinthina. 82.

X.

De Millefolio. 90.

XI.

De camphoræ usu interno securissimo & præstantissimo. 98.

XII.

De Infusi Veronicæ efficacia præferenda herbæ thee. 111.

XIII.

De purgantibus minus cognitis & selectioribus. 120.

XIV.

De cauto & præstantissimo vomitoriorum usu. 131.

XV.

De Usu & abusu pulverum sternutatoriorum. 148.

XVI.

De Mirabili Sulphuris Antimonii fixati efficacia in Medicina. 160.

XVII.

XVII.

De ſpecificis antiſpaſmodicis. 169.

XVIII.

De ſtudiis per regulas diæteticas facilitandis, & prolonganda literatorum vita. 179.

XIX.

De Cinnabari Antimonii, ejuſque eximiis viribus, uſu tam ſecretiori, quam vulgari, tam in morbis hucuſque cognitis, quam incognitis. 195.

XX.

Fundamenta Medicinæ ex principiis naturæ Mechanicis in uſum Philiatrorum ſuccincte propoſita. 226.

DISSERTATIO II.

DE

DIÆTETICA SACRÆ SCRIPTURÆ MEDICINA.

§. I.

NIhil præſtabilius in univerſo terrarum orbe eſſe, quam ſanitate integra vitaque longæva frui, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt. Excedit enim vita & ſanitas omnium rerum terrenarum pretium, & maxima pars felicitatis humanæ in ejus integritate ſita eſt; quippe corpore male conſtituto etiam animi vigor imminuitur, & homo ad actiones mentis obeundas ineptior redditur. Quanti ſanitatis commodum ſit æſtimandum perpulchre prodidit dexterrimus morum magiſter, SYRACIDES *cap. 30. v. 15. Sanitas*, inquiens, *& bona conſtitutio quolibet auro melior eſt & corpus validum immenſis opibus. Potior eſt mors, quam vita acerba aut invaletudo permanens*. Quapropter omnes homines egregiam hanc ſanitatis tuendæ ſcientiam ſibi habere debent commendatiſſimam. Licet autem hæc ſcientia longe ſit nobiliſſima & utiliſſimam, temporum tamen fato accidit, ut perpauci reperiantur, qui corpus ſuum recte curare, omnique modo illud integrum conſervare allaborant; quin potius pleraque hominum pars pro vario connatæ pravitatis impulſu eas conſectatur res, quæ ad diminutionem ſanitatis & ad morborum productionem, imo ad mortis acceleracionem cauſam fatalem præbent. Proh dolor! noſtra ætate in pleriſque medicorum ſcholis eo fere deventum eſt, ut vel parum vel nihil cogitent de corpore humano in ſuo vigore per ſalutaria diætæ præcepta conſervando & a morbis præſervando; cum tamen maxima pars poteſtatis medicæ in hoc unico præſervationis negotio verſetur. Notum enim eſt, poteſtatem medici in depellendis a corpore morbis & morte averruncanda admodum eſſe circumciſam & reſtrictam, quippe in morbis præſertim acutis ſpectatoris tantum & miniſtri munere medicus fungitur, cujus adjumento quidem natura ſibi adhuc conſtans parumper ſublevatur, quod tamen minime fit ipſa jam ſuccumbente. O tempora! o mores, quibus ſanitas vili adeo pretio penditur! Reperias logiatros etiam fama celebres, qui tanquam fungi ſubito creverunt, & ſpeciem quandam magnæ eruditionis præ ſe ferentes ſubito in altum quanquam in caſum generis humani, evecti ſunt, qui ex vana perſuaſione diætam fere inſuper habent, omnem fiduciam collocantes in ſuis pharmacis vel medicamentoſis ſpiritibus ſale acri vel ſulphure quodam metallico aut terra prorſus fatua imprægnatis. Hæc ipſorum ſunt arma, quibus corpus diu ſanum, imo longævum reddere ſatis jactabunde gloriantur. Pulchrum certe hoc eſt inſtitutum, quæſtuoſa ſane medicorum auro inhiantium molimina, quibus homines potius præparant ad morbos, ut ipſis poſtea non deſint ægroti, quorum mortibus lucrum facere poſſint. Ea eſt jam temporum indoles, ut deriſui omnes ii exponantur, qui tum ad præſervandum, tum ad liberandum a morbis corpus maximam artem in diæteticis & naturę convenientibus remediis collocant.

2. Perſpecto igitur inſigni hoc circa ſanitatis curam errore non potuimus, quin meliora edocti ex diviniſſimo illo myſteriorum ſacrorum codice, junctis ſimul ſalutaribus medicinæ ſobriæ rationibus, diæteticam ſcientiam de meliori nota commendaremus. Prudentior ille jure meritoque cenſendus eſt, qui ad

hujus boni, ſanitatis nimirum, poſſeſſionem acquirendam omnes animi vires intendit, & media ad hunc finem collineantia & neceſſario adhibenda eligit. Ut autem hæc noſtra præcepta diætetica majorem obligationis vim in animis hominum habeant, non abs re fore viſum fuit illam ex ſacro revelationis fonte depromere. Eſt enim ſcriptura ſacra hac in parte ſumma philoſophia, in qua plurima, quæ circa rerum non naturalium uſum & abuſum obſervanda ſunt, præclare annotata reperiuntur. Hæc enim fons ille eſt miſericordiæ divinæ, ex quo tanquam ex rivo viventium aquarum omnes iſtæ divitiæ promanant, quarum uſus homines omni ex parte beatos reddit. In hac deliteſcit arcana conſervandæ ſanitatis methodus, quam qui adſequitur, ſecretum omnium maximum acquirit hacque ratione vitam quam diutiſſime ſanam & ab omnibus fere morbis immunem protrahere poterit; in hac ſanctiſſima præcepta continentur, quorum recto ac pio uſu terrenæ non ſolum, ſed & cœleſtis illius tantopere a mortalibus expetitæ felicitatis fructum conſequi datur. Quum igitur hæc materia tanta cum jucunditate atque utilitate ſit conjuncta, ea propter in animo conſtitui DIÆTETICAM MEDICINAM EX SACRA SCRIPTURA in præſenti exhibere.

3 Ante vero, quam ad ipſam diætetice ſacræ tractationem progrediamur, non alienum a ſcopo noſtro erit, fundamentum vitæ ac ſanitatis, nec non mortis præmittere & explicare, quippe hoc intellecto minori cum difficultate diætetico rum præceptorum, quæ huic ſuperſtruuntur, rationem veram perſpectam habebimus. Quodſi veterum monumenta evolvimus, & ex iis rei hujus diſſolutionem expectamus, præter vocabula ſeſquipedalia & grande quid ſonantia, quæ nec concipi nec explicari commode poſſunt, nihil quicquam inveniemus. Alius calidum quoddam innatum & humidum radicale, alius archeum, rurſum alius naturam vel ſimilem voculam cauſam vitæ ac ſanitatis conſtituit, & hoc pacto unuſquiſque ſuam hac in re ignorantiam involucro quodam litterali abſcondidit. Verum excuſandi ſunt veterum hac in re errores, quippe accuratiori anatomes ſtudio deſtituti circulum ſanguinis humorum progreſſivum neſciebant. Noſtro autem tempore, ubi ille ipſe per ſolertiſſimum Harvæum detectus eſt; ubi deinceps multa, antiquorum ſæculorum medicis prorſus incognita, in ſtructura corporis noſtri frequentiori ac diligentiori cadaverum humanorum ope cultri anatomici perſcrutatione patefacta & in lucem prodita ſunt, ubi inſimul matheſeos ſtudium ad altius faſtigium evectum eſt: multo aliter jam philoſophandum. Miſſa igitur faciamus veterum ratiocinia & verum fundamentum ex ipſa machinæ noſtræ natura depromtum inquiramus. Exacta inter philoſophos rationales res eſt, omnes actiones corporum in univerſa rerum natura ex motu profluere, & nullum corpus ſine motu ipſi naturaliter inſito concipi poſſe, unde effectum vel phænomenorum naturalium rationes deducendæ, vel corporum qualitates explicandæ. Quodſi igitur jam principium adæquatum & certam vitæ & ſanitatis machinæ noſtræ corporeæ rationem reddere velimus, omnino iſta ex motus natura deſumenda eſt. Quapropter non inconcinne hoc modo definiri poteſt vita; quod nimirum ſit motus ſanguinis ſyſtolicus & diaſtolicus per cor & univerſam tum arteriarum, tum venarum per corpus diſperſarum compagem, cui ſimul arctiſſime connexus eſt inde dependens ſolidarum partium tonus. Hæc ſanguinis in circulum per totum corpus abiens progreſſio machinam noſtram ex rebus corruptioni valde obnoxiis conflatam & mixtam ab actu putredinis egregie defendit. Quamdiu itaque hic motus fluidorum ac tonus ſolidorum aliquo modo viget, tamdiu vita præſens eſt: ſimulac vero hic motus ac tonus partium plenarie ceſſat, ut non amplius poſſit revocari, mors adeſt & cadaver homo nuncupatur; mortis enim ratio formalis in motuum machinæ noſtræ omnimoda abolitione conſiſtit.

4. Deducta ſic, quam compendioſiſſime fieri potuit, vitæ ac mortis cauſſa, jam facillimum erit ſanitati definitionem exinde formare. Quando hic motus ſan-

gui-

guinis syſtolicus ac diaſtolicus partiumque tonus vitalis, liber, æquabilis & moderatus eſt, quod cognoſci poteſt ex pulſu, habitu corporis externo, actionibus corporis noſtri præſertim naturalibus, quæ in ſecretione rerum ſimiliarium verſantur, recte & ſecundum regulam ac ordinem naturæ ſe habentibus, homo optimo jure ſanus eſt dicendus. Sanitas itaque dependet a circulo ſanguinis & humorum libero, æquali & moderato per omnes corporis partes. Quoniam vero hic ſanguinis circuitus nonniſi ex effectibus in corpore humano ſe exerentibus, nempe ſecretionis potiſſimum & excretionis negotio cognoſci & dijudicari poteſt; hinc optima ratione ſanitatis definitio ab his effectibus circuli ſanguinis & toni partium petitur. Dicimus idcirco, ſanitatem eſſe conveniens omnium actionum tam corporis, quam animi exercitium a vegeto, moderato & æquabili ſanguinis circulo indeque dependentibus ſecretionibus debitis proficiſcens

5 Hiſce ſuppoſitis quæritur, quænam ſint illæ res, quæ corpus noſtrum & conſervandi in debito ſanitatis vigore, & variis morbis vel morti quoque illud exponendi facultate polleant pro diverſo eorum vel legitimo vel illegitimo uſu? Si veterum hic reſponſionem noſtram facimus, dicendum, eas comprehendi ſub nomine ſex rerum non naturalium, quibus homo, quamvis ejus eſſentiam non conſtituant, ad conſervandam vitam ac ſanitatem, ſive, ut medice loquimur, ad liberum ac æquabilem humorum circuitum continuo opus habet. Sunt vero hæ ipſæ maxime omnium animantium neceſſarius potus eſt: ſunt alimenta ſolida æque ac fluida: ſunt denique actiones ipſius hominis nunquam non neceſſariæ; quæ ad motum, quietem, ſomnum, vigilias, conſuetudinem vitæque genus pertinent. Quicunque itaque harum rerum uſum ita moderatur, ut circulus ſanguinis liber & æquabilis maneat: is veram ſanitatis tuendę ac vitæ longæ methodum & ſaluberrimas diæteticas regulas obtinet, quæ unice circulo ſanguinis proportionato innituntur. Quemadmodum enim affabre conſtructi automatis motus ab elaſticitatis vi vel pondere alterius corporis dependet; ita etiam ſapientiſſime fabricatæ machinæ noſtræ a corruptione conſervatio atque regularis & ordinatus motionum ſucceſſus a rebus memoratis externis earumque ſub prudenti regimine uſu unice profluit atque perficitur. Hæc ipſa enim ſunt, quæ corpori noſtro mobilitatis ſeu motus materiam ſufficientem ac bona temperie gaudentem largiuntur. Hæc ipſa ſunt, quæ vigorem, motum, actuationem partibus ſolidis æque ac fluidis contribuunt. Quare ſole meridiano clarius hinc eluceſcit, utique in harum rerum juſto uſu primarium vitæ ac ſanitatis noſtræ momentum eſſe conſtitutum. Hanc ob cauſam unica noſtra cura eo tendat, ut leges ſanitatis, quæ nobis convenientem earum rerum uſum præſcribunt, diligentiſſime obſervemus.

6 Cum igitur ſacra ſcriptura nos optime hac de re inſtruat, & viam ſimul monſtret tutiſſimam, qua incedentes & ſanitatis exoptatum commodum & vitæ terminum a Deo machinæ noſtræ naturaliter conceſſum ex voto adſequi optime poſſumus: hinc jam toti in id erimus defixi, ut methodum hanc ſacræ diæteticæ medicinæ, qua licebit perſpicuitate, evolvamus & publico uſui ſiſtamus. Primum vero occupati erimus circa affectus animi eorumque regimen, quibus deinceps ordine ſubjungemus, quæ circa aerem, alimenta & potulenta, ſomnum & vigiliam, nec non motus exercitium in ſacris litteris præcepta diætetica occurrunt.

7 Primum jam noſtræ tractationis caput ab affectibus animi exordimur. Quæritur hic ante omnia: an anima poteſtatem quandam exercere poſſit in corpus humanum? Si accuratiori ſcrutinio hanc rem examinamus, ingenue fateamur neceſſe eſt, vitam & ſanitatem noſtram in rerum natura vix infenſiorem habere hoſtem, qui tam potenter tamque celeriter œconomiæ noſtræ vitalis motus turbare, imo penitus ſubvertere poſſit, præterquam animam noſtram. Etſi enim nullam potentiam abſolutam in actiones ſic dictas vitales eas pro lubitu moderandi & dirigendi habeat; attamen has ipſas ob arctiſſimam connexionem, quæ ipſi

cum corpore intercedit, variis modis perturbare poteſt. Teſtatur experientia, quantos motus irregulares varii affectus animi, deſideria anxia, firmiores impreſſiones producant, ſicque verum fateri debemus, plurima pars hominum ægrotat & perit magis animi, quam corporis morbis. Id quod ii maxime experiuntur, qui lecto ægrotantium adſtant, ubi convenienti facto examine circa morborum originem, animi gravem affectionem morbo anſam præbuiſſe ſubinde obſervant. Satis pro compendio dictum putamus: nolumus enim jam in hujus quæſtionis deductione, cum rem complectatur per ſe manifeſtam, eſſe prolixiores, ſed potius nos accingimus ad ipſam exponendam diætam, quæ circa hos affectus homini ſanitatis amanti attendenda eſt.

8 Videamus igitur, quid commodi ex affectuum animi contemperatione in corpus humanum redundet. Quodſi ſacram ſcripturam hac de re conſulamus, ea ad ſanitatem & vitam longam hilaritatem atq; tranquillitatem mentis egregie commendat. Sapientiſſimus *Salomo Proverb. cap. 15. v. 13. animus lætus*, inquit, *bene afficit vultum*. Idem v. 15. *Cap. 15.* ita pergit: *læti animo ſunt convivium juge*; quaſi diceret: qui lætus eſt animo & ſua ſorte contentus, melius habet, quam ſi ſemper lautiſſimis epulis frueretur. Ulterius *Prov. cap. 17. v. 22.* ita fatur: *animus lætus bene medicinam facit*, i. d optimæ medicinæ loco eſt, qua corpus a morbis & morte præmatura conſervatur. Quid quod multis in locis hilarem animum vitam quotidianam jucundam adpellat. His aſtipulantur verba *Eccleſiaſtici cap. 30. v. 21. lætitia cordis eſt vita ipſa hominis & exſultatio producit dies vitæ*. Ex hiſce omnibus ſequentem regulam diæteticam elicere poſſumus: cui ſanitas curæ cordique eſt, is hilari atque tranquillo animo ſit neceſſe eſt. Ejuſmodi enim mentis compoſitio placitum & pacatum in ſpiritibus animalibus excitat motum, qualis autem ſpirituum motus, talis motus cordis & arteriarum tonuſque partium, & qualis partium tonus motuſque cordis & arteriarum, talis ſanguinis circulatio, & qualis hujus circulatio, talis ſanitas. Quapropter menſis tranquilla ſummum hominis in hac vita bonum judicari debet, ut pote mens in tali ſtatu poſita non tantum corpori, ſed ratiocinationi quoque quam optime inſervit & ingenii vim acuit. Experientiæ fide certiſſima conſtat, animo placido & affectibus vacuo præditos omnium fere morborum & ipſorum quoque epidemicorum contagio inficientium tela plerumque effugere, ac ſi forte ab iis petantur, non modo non ſuccumbere, ſed ceteris omnibus etiam felicius evadere. Neque minus in morbis periculo non plane expertibus maximam reconvaleſcentiæ ſpem ex animi tranquilla habitudine concipi poſſe praxi clinica quotidie edocemur.

9. Hoc tamen loco maxime notari velim, nos minime ſub lætitiæ vel tranquillitatis animi nomine gaudium repentinum atque effuſum comprehendere: nam cum hoc celerrima animi ſit motio, eam quoque irregulares ſpirituum & ſanguinis motiones excipiant neceſſe eſt, unde occaſionem magnarum turbarum morboſarum, imo mortis repentinæ præbere poſſunt; qualia exempla hinc inde apud auctores medicos conſignata exſtant.

10 Sicuti autem ſacer codex animi conſtitutionem hilarem atque tranquillam ad incorruptam ſanitatem ac vitam longam ſuadet atque commendat: ita e contrario triſtitiam, quæ lætitiæ adverſatur, & animi angor, cura ac cruciatus eſt, omnibus & ſingulis diſſuadet. Pertinent huc, quæ a *Salomone* ſapienter dicta ſunt *Proverb. cap. 17. v. 22. Spiritus fractus exſiccat oſſa*. item *cap. 15. & 13. dolore animi ſpiritus frangitur*. item *cap. 15. ſicuti tinea veſtimento & vermis ligno: ita triſtitia in viro nocet cordi*. Sagaciſſimus morum præceptor *Syracides cap. 30. Pſal. 21.* unumquemque hominem a triſtitia his verbis avocare ſtudet, *ne tradas triſtitiæ animum tuum neque angas te ipſum conſilio. Dilige animum tuum & conſolare cor tuum triſtitiamque procul a te pelle*. Rationem, cur fugienda ſit triſtitia v *26.* ſubjungit, *ſollicitudo*, inquiens, *ante tempus ſeneſtutem adducit*. Quicunq; igitur ſanitatis curam habet,

bet, is mœrorem ac triſtitiam quovis modo fugiat. Quemadmodum enim lætitia blanda ac moderata ſpiritus recreat, excitat & ſanguinis circulum promtum ac liberum reddit, ita mœſtitia ſpiritus obtundit, deprimit & ſanguinis circuitum impeditiorem facit, ſanguinemque a naturali ſua temperie, ad ſpiſſitudinem lentam redigit. Et ſicuti in lætitia ſanguis undiquaque æqualiter circumfertur, & ipſa adeo cutis vaſcula capillaria minima pervadit, unde rubore amœno facies coloratur: ſic contrario modo in triſtitia ſanguinis calor & ſpiritus a circumferentia ad centrum magis intro compelluntur & habitus corporis ſpaſmodice conſtringitur, unde in triſtibus pallor faciei, cutis conſtrictio, tranſpiratio remiſſior, pulſus exilis ac lentus, appetitus imminutus ſomnus terroris plenus & virium languor ſubinde obſervantur. Probe hæc cognovit FERNELIUS, qui ita hanc in rem differit: *triſtitia ſpiritus obtenebrat, ingenium hebetat, rationem impedit, judicium obſcurat, ſpiritua ſcentiam deprimit & melancholicas deſperabundas cogitationes efficit, quibus ex cauſis corpus pallore defoedatur, ignavia torpet, atrophia ligueſcit & in marcorem alioſque frigidos morbos ruit.*

11. In praxi attentiori obſervare licet mœrorem profundum ac pertinacem ad febres mali mores, melancholiam, inſaniam, malum hypochondriacum, calculum tam renum, quam veſicæ, phthiſin, hecticam, cachexiam, alioſque morbos frequentiſſime diſponere. Nam ab ejuſmodi continuo mœrore ſanguini fluiditas demitur, unde ſpiſſeſcit, ſtagnationes ſubit & hinc inde obſtructiones parit, a quo dictorum malorum origo fere unice dependet. De mœrore profundiore pulchra quoque extant apud HIPPOCRATEM *Lib. 2. de morbis. Cura in viſceribus veluti ſpina videtur atque illa pungit.* Et alibi: *ubi hæc*, inquit, *anxietas animum corripuit, lucem atque homines fugit & tenebras amat & timor invadit, aridus eſt & ad contactum dolet & expaveſcit & terriculamenta & ſomnia horrenda videt.* Et hæc ſunt præcipua ſymptomata, quibus mœrore ſepulti contorquentur & continuo diſcruciantur, ut quandoque etiam eo inſaniæ procedant, ut præ vitæ tædio ſibi ipſis vim inferant & in laqueo ſolamen ſuæ miſeriæ quærant. Pater exinde evidentiſſime, triſtitiam & mœrorem maximum corporis & animi eſſe tormentum, unde ſapientiſſime is rerum ſuarum & ſanitati ſatagit, qui omnem mœrorem procul ablegat.

12 Eoſdem fere effectus cum triſtitia habet invidia, quæ ubi altius animo inſidet, humanum conſumit corpus, ut rubigo ferrum. Placet hanc in rem allegari *Eccleſiaſt. Cap. 30. v. 25.* ubi de invidia dicitur, quod minuat dies. Pari paſſu cum triſtitia & invidia ambulat anxio in divitiis corradendis cura; unde idem *Eccleſiaſt. Cap 31. v. a.* ejus noxam, quam corpori humano infert graphice depingit: *vigiliæ*, inquiens, *divitiarum cauſa tabeſciunt carnes & cura earum amovet ſomnum.* Huc pertinet quoque amor inſanus, cujus vehementia fere contabuit Ammon II. Samuel. Cap. 13. Unuſquiſque ergo, qui ſanitati ſtudet ex præſcripto ſacræ ſcripturæ omni ſtudio ab his vulgaribus & maxime turpibus affectibus, quales ſunt invidia & avaritia, ſibi temperet neceſſe eſt.

13 Reſtat adhuc alius affectus corpori nocentiſſimus, qui iræ nomine venire ſolet. De hac *Eccleſiaſt. Cap. 30. v. 25.* claris verbis pronuntiat, quod dies vitæ minuat. Idcirco ſanitatis cultori incumbit, ut iram ceu peſtem corporis omni arte fugiat. In omni enim iracundia commotio fit, ſpirituum & ſanguinis extrorſum a centro ad circumferentiam: cum itaque in iracundia ſanguis maximo cum impetu ad externum corporis habitum pellatur, hinc evenit, ut ſub iræ æſtu inflectur facies, oculi appareant feroces, in partibus ſentiatur tremor & reſpiratio cum pulſu adauctior fiat, ipſaque mens a ſtatu ſuo dejiciatur. Et ab hac vehementiori ſanguinis in ira commotione plurima mala corpori humano accidunt. Præclara eſt obſervatio *Hildani obſ. 18. cent. 1.* ubi arteria vulnerata, poſtea probe ſanata, iterum rupta fuit ab ira, quæ diſruptio a nulla alia cauſa facta fuit, quam a ſanguinis impulſu majori & tunicarum arteriæ expanſione for-

tiori. In praxi attentiori obſervamus, iram maxima pollere vi in conſuetis & diſpoſitis enormes ſanguinis excretiones ſive per nares ſive per venas ani ſive per uterum in feminis proritandi. In ſenibus & ſanguine abundantibus vehemens ira apoplexiam non raro producit, ſi, quando enim ſanguis cum impetu ruit ad caput, vaſa a nimia congeſtione ejus diſtenduntur ac perrumpuntur, unde ſanguinis lethalis fit extravaſatio. In plurimis poſt paroxyſmum iracundiæ in latere dextro ſub ſcrobiculo cordis mox ſentitur dolor quidam conſtrictivus cum oris amaritie, quod ſymptoma ortum habet a motu bilis impetuoſiore ejuſque in inteſtina effoſione, hinc etiam dependet inclinatio ad vomitum & diarrhœa, unde HILDANUS *Cent. 7. obſ.* 14. annotavit: alvum ſubductam fuiſſe ab ira, ac ſi pharmacum adſumtum fuiſſet? Morbi inflammatorii, ut ſunt pleuritides, peripneumoniæ, inflammatio hepatis, ventriculi & inteſtinorum, item eryſipelas ſubinde ab ira ortum traxiſſe obſervantur. Hi morbi potiſſimum in iis eveniunt, quorum ſanguis impurus ac ſpiſſus eſt, & tubuli corporis anguſti, quapropter in arterias ab iræ affectu adactus ſanguis, ſi viſcoſus & tenax ſit, non eadem celeritate per venas reverti poteſt, unde ſæpius in tubuloſa partium ſolidarum vel viſcerum ſubſtantia ſubſiſtit & inflammatorias ejuſmodi paſſiones efficit. Quicunque igitur ex præſcripto ſacræ ſcripturæ iram coercet, is ſanitati ſuæ optime conſulit & corpus ab his morbis immune ſervat.

14. ORDINE jam progredimur ad aeris diætam. Nihil ſane ad ſanitatem ac vitam tuendam plus confert, quam elementum illud commune aeris & ætheris fluidum, quo omnia animantia continuo opus habent, cujus ſecundum HIPPOCRATEM *Lib. de flatibus* §. *6. tanta eſt neceſſitas, ut ſi omnibus aliis abſtineat homo, neque cibum ſumat, neque potum, poſſit dies tres vel plures vivere: ſi vero ſpiritus viæ in corpus intercipiantur, brevi tempore illi eſſe pereundum.* Hoc certiſſimum eſt, aerem eſſe primarium corporis noſtri quoad ſolidas & fluidas partes motus materiam ac inſtrumentum: quo igitur purior eſt ac temperatior, eo magis ad vitam & ſanitatem integre conſervandam confert; e contrario vero, quo impurior & intemperatior, eo magis vitæ ac ſanitati eſt infenſus. Sicut enim aer purior circulum ſanguinis promovet, robur & tonum partium auget, tranſpirationi velificatur atque ingenio vim addit: ita impurior particulis heterogeneis, narcoticis & putredinoſis maxime inquinatus circulum ſanguinis turbat, robur partium infringit, perſpirationem remoratur ingeniique vim obtundit. Unde taliſmodi intemperatus aer ad morbos ex humorum ſtagnatione indeque contracta impuritate oriundos, item ad putridas febres, imo ipſam peſtem diſponit. Et hanc ob cauſam, ut quidem noſtra eſt ſententia, clementiſſimus rerum conſervator Deus, pro ſingulari ſua in homines providentia permotus fuit, ut populo ſuo cautionem a rebus aerem inquinantibus ſerio injungeret. Quare Levit. XI. v. 35. omnia ea, quæ labe quadam forte aerem inficere poſſunt, ceu impura & inquinata proſcripſit, eorumque uſum plane interdixit. Cumprimis etiam huc pertinere videntur, quæ de inſpectione ſacerdotali leproſorum Levit. Cap. XIII: v. 8. proponuntur. Lepra enim erat morbus ſumma ex corruptione humorum ortus, qui ſuam fœditatem vicinis corporibus infirmioribus præſertim communione aeris facillime adfricare potuit, unde tam ſedula leproſorum inſpectio & cuſtodia ſeparata a cœtu hominum fuit injuncta. Levit. XIII. v. 46. Quicunque igitur aeris noxas evitare & ſanitatem hoc modo integram conſervare nititur, is omni arte & ſtudio loca ſuſpecta ex præſcripto ſacræ ſcripturæ fugiat & commercium hominum infectorum diligenter evitet. Optimum enim præſervativum a morbis ex aere impuro oriundis, imo ipſa peſte in fuga & curatiori contagii evitatione conſiſtit, ut graviſſimorum medicorum eſt ſententia.

15. Ad alterum jam membrum noſtri propoſiti pergimus, quod de cibo ac potu inſtitutionem diæteticam ſubminiſtrabit. Alimentorum & potulentorum maxima habenda eſt ratio, cum proxime ad

vitæ

vitæ ac ſanitatis conſervationem concurrant. Nullus enim homo ſine cibo & potu vitam diu conſervare, vel ſano ac integro corpore eſſe poteſt; ſiquidem ob continuas egeſtiones partium, motu ſanguinis inteſtino reſolutarum, quotidiana etiam ingeſtione opus habemus, ut partes illæ motu ſanguinis effœtæ redditæ, ad conſueta emunctoria delatæ & foras protruſæ nova utilium ſuccorum acceſſione reparentur, & ſic corpus ſub continuis egeſtionibus & ingeſtionibus in vigore actionum ſuarum adeoque in ſanitate conſervetur. Quum autem eſculenta & potulenta tum ratione indolis & temperaturæ, tum etiam ratione facultatum & virtutis mirum inter ſe diſſideant, & cum etiam magnus ſubinde error circa adſumtionis quantitatem committatur: hinc omnino medicum & naturæ conſultum oportet ſcire, quænam ex hiſce tam ratione temperaturæ, quam ratione quantitatis corpori noſtro congrua vel incongrua ſint, ut hoc pacto noxam a corpore avertere poſſit. Multa præclara huic fini accommodata hinc inde ex ſacra ſcriptura depromi poſſunt, unde illa jam ordine pereurrere & explicare animus eſt.

16. Quod attinet ad ciborum quantitatem, omnis repletio ex iis ceu naturæ corporis noſtri inimica & morbis proferendis apta ex præſcripto ſacræ ſcripturæ prorſus vitanda eſt. Notatu digna ſunt, quæ hanc in rem adfert *Eccleſiaſtes Cap. 36. v. 32. ſeqq. Ne eſto inſaturabilis omnibus deliciis, neque projectus eſto ad eſcas. Nam multis cibis adhæret morbus & inſatiabilis voracitas maxime accedit ad choleram. Voracitate inſaturabili multi ſunt mortui.* Idem Cap. 31. v. 22. ita fatur: *laborioſæ vigiliæ & choleræ torminaque adſunt viro inſaturabili.* Recte a Syracide ciborum nimia adſumtio & voracitas plurimorum morborum, ſpeciatim vero choleræ, laborioſarum vigiliarum, torminum, imo ipſius adeo mortis cauſa ſtatuitur. Nam quandocunque cibis variæ præſertim indolis majori in copia, quam par eſt, ventriculus oneratur, non modo ejus tonus & robur inde imminuitur, & chylus ob lymphæ gaſtricæ inſufficientiam crudus, intemperatus ac intimiorem cum ſanguine mixtionem renuens ſeparatur, ſed etiam ingens colluvies acidorum, bilioſorum, pituitoſorum ac putreſcentium humorum in primis viis a reliquiis ciborum ibi diutius commorantibus colligitur, quæ omnia morborum cauſis jam dictis originem atque materiam præbent fertiliſſimam. Non inconcinne *Fernelius in Patholog. Lib. I. Cap. 15. pag. 210.* pernitioſam admodum ſentinam abdomen inſaturabile adpellat, quia omnium tum corporis, tum animi vitiorum fons & origo eſt, ut adeo veriſſimæ ſint facetiæ illorum, qui intemperantiam medicorum nutricem appellarunt. HIPPOCRATES *Sect. II. aph* 17. ita de ciborum intemperantia loquitur: *ubi cibus præter naturam copioſior ingeſtus fuerit, morbum facit.* Cuicunque ergo ſanitas curæ eſt, is a nimia ciborum ingeſtione & voracitate turpi abſtineat. Obſervent vero hanc diæteticam regulam cumprimis imbecilliores, quorum in numero habendi ii, qui modo a morbo aliquo convaluerunt, qui enormes cum virium jactura paſſi ſunt hæmorrhagias, & qui fame, vigiliis immodicis ac labore emaciati ſunt vel alia ratione vires amiſerunt. Horum enim hac in parte exceſſus tanto ſæpe nocumento eſt, quantum vix exſpectari poterat. Profecto innumera ſunt commoda, quæ ex accurata & moderata ciborum menſura in corpus noſtrum redundant. Probe hoc vidit *Syracides*, unde *Cap. 31. v 22.* ita exclamat: *quam ſufficit homini erudito res modica! nam cum in cubili ſuo non anhelat, ſomnus ſanus eſt, cum inteſtino mediocri ſurgit mane animæ ſuæ compos.*

17. Ulterius diætam circa alimenta perſecuturis non incongrue quæritur: quinam cibi & quales in uſum trahendi? Quando ſacram ſcripturam hac de re conſulimus, commendatos hinc inde atq; in uſum vocatos fuiſſe temperatiſſimos & optimi ſucci cibos reperiemus. Ex carnibus enim quadrupedum a Deo ipſo conceduntur bovinæ, vitulinæ, agninæ, hœdinæ, arietinæ. *Levit. Cap. 11. v. 3. quicquid habet ungulam ſciſſam & biſidatum eſt fiſſura ungularum revocans ruminis cibum, ex quavis beſtia illud come-*

detis. Carnes harum beſtiarum præſertim juniorum, omnium medicorum conſenſu ejus ſunt indolis, ut & facilius a menſtruo ventriculi ſolvantur & bonum ſanguinem ingenerent. Habent enim cum ſanguine noſtro exactam convenientiam, & temperatam gelatinam in ſe recondunt, quam coctione omnes dimittunt. Quid vero aliud eſt ſanguis optime temperatus, quam gelatinoſus ſuccus a continua in circulum translatione rubicundus redditus? Hac de cauſa veriſſimum manet hoc aſſertum, quod dictorum animantium puriorum præcipue carnes ſuccique inde excocti & juſcula, quia gelatinam copioſam & temperatam præbent, ad corporis nutritionem & ſanguinis reſtaurationem præ aliorum animantium carnibus optime inſerviant.

18. Ex volatilibus humano uſui conceſſit ſummus rerum œconomus carnes columbarum, alaudarum, gallinarum, perdicum, anſerum, anatum & aliarum avium, quarum Levitic. Capite IX. non fit inhibitio. Hæ omnes & adhuc aliæ volatilium ſpecies eandem ob cauſam, quia ſuccum temperatiſſimum & cum ſanguine noſtro convenientiſſimum fovent, in optimum nutrimentum corporis noſtri cedunt.

19 Ad aliud genus ciborum nempe piſces nos convertimus: horum uſus *Levitic. Capite* XI. *verſiculo* 9. commendatur his verbis: *hos comedatis ex omnibus, quæ ſunt in aquis, omne quod habet pinnas & ſquamas in aquis tum per maria, tum in fluminibus, illa comedatis. conf. Deuteronom.* XII. 9 Equidem non ſine ratione eſus piſcium commendatur, nam propter faciliorem ſolutionem, & copiam partium humidarum, quibus abundant, uti ex deſtillatione eorum videre eſt, minime nocent, & quoniam non tam facile putreſcunt, quam quadrupedum vel avicularum carnes, hinc etiam abſque nocumento in febribus, in morbis malignis ipſaque in peſte ægrotis poſſunt concedi, ubi alias ab eſu carnium maxime eſt abſtinendum. Siquidem putredo, in qua malignitatis natura continetur, non parum harum uſu promovetur, & humores jam corrupti ad majorem putredinem diſponuntur; unde etiam evenit, ut natura ipſa in ejuſmodi morbis ſponte ab eſu carnium abhorreat. Datur autem magna piſcium differentia reſpectu aquarum, in quibus degunt, ex quibus illi ſapidiſſimi ſunt & ſaluberrimi, qui in fluviis, ubi aqua levis & ſubtilis eſt ac rapidiſſimo curſu fertur, progignuntur: e contrario ii minus lapidi ſunt minuſque ſalubres, qui in aquis paludoſis & ſtagnantibus capiuntur. Deinde etiam datur differentia inter ipſas piſcium ſpecies, quidam enim durioris & compactioris, quidam mollioris & candidioris reſpectu carnis ſunt indolis. Unde, ſi optio nobis detur, piſces omnium ſapidiſſimi ac optimi pro uſu ſeligendi ſunt.

20. ALIMENTORUM ex regno vegetabili uſus eſt vetuſtiſſimus itemque innocentiſſimus, quippe herbæ, ſemina & fructus arborum paradiſiacus ille cibus erant a creatore ſapientiſſimo Adamo in ſtatu integritatis conceſſus, uti clariſſimis verbis *Geneſ. capite* I. *verſiculo* 29. legitur, ubi ſcriptum extat: *præterea dixit Deus: ecce dedi vobis omnes herbas ſementantes ſemen, quæ ſunt in ſuperficie totius terræ, omneſque arbores ſementantes ſemen veſtræ ad comedendum erunt.* item *capite* II. *verſiculo* 16. *de fructu quidem omnis arboris libere comedes.* Herbæ & ar-

borum fructus nutrimentum quidem adeo copioſum, ut carnes animantium, non ſuppeditant, interim tamen hoc veriſſimum eſt, illa ſuccum præbere leviorem, facile tranſeuntem & neceſſarium eumque optime temperatum ſanguinem gignere, ideoque ad vitam ſanam atque longævam maximæ utilitatis eſſe, eam maxime ob cauſam, quia plethoram avertunt, quæ a cibis plenioris nutrimenti corpori ingenerata plurimorum morborum & ipſius etiam mortis maturioris cauſa eſſe poteſt. Majus vero nutrimentum præbent varii generis ſemina præſertim tritici, ſiliginis, hordei & ex iis præparata. Eſt enim ea omnium ſeminum indoles, ut temperie optima gaudeant, dum ex partibus terreis ſubtilioribus, mucidis & oleoſo-ſulphureis probe mixta ſunt, unde cum aqueo liquore cocta vel trita, eundem lacteo colore bene ſaturato imbuunt. Ex his colligi facile poteſt, quare panis ex frumentorum generibus præparatus in optimorum nutrimentorum numero habeatur. Ex ſola aqua & pane homo vivere poteſt, teſtante id *Eccleſiaſtico Capitolo* XXXIX. *verſiculo* 25. *præcipua vitæ humanæ ſunt aqua & panis*. Hinc etiam regius pſalmiſta pani virtutem confortantem & cordialem tribuit. Pſalmo centeſimo quarto verſicul. decimo quinto. Huc pertinent quoque legumina, quorum genus quoddam propheta Daniel cum ſociis ſuis præ cibo regio expetiit, uti ipſe teſtatur in prophetia ſua Capite Primo verſiculo decimo ſecundo quo in loco nempe verſiculo decimo quinto ſimul indigitavit, quam bene uſu hujus cibi eorum corpora nutrita fuerint, facies enim illorum inde elegans ut pinguium carne apparuit. Ex hiſce jam omnibus, quæ de ciborum conditione ex ſacris fontibus protulimus, hæc regula diætetica conſequitur: eligenda ſunt alimenta corpori noſtro congrua, temperata, quæ facilius ſolvuntur & corpus tranſeunt.

ANTEQUAM pedem ulterius proferamus hoc loco non incongrue quæritur an rationes medicæ firmiores dari poſſint, quod eſus adipis Levitici ſeptimo verſiculo decimo tertio; item carnis ſuillæ Levitici Capite decimo primo, verſiculo ſeptimo, ut & ſanguinis animalium Levitici Capite decimo ſeptimo verſiculo decimo Actor. Apoſtol. Capite decimo quinto verſiculo vigeſimo nono, nec non ſuffocati Lev. decimo ſeptimo verſiculo decimo ſeptimo Act. Capite decimo quinto verſiculo decimo nono interdictus, ſit inſalubris ac noxius? Adipem quod attinet, ejuſdem indoles noxia cognoſcitur ex eo, quod vix in ventriculo diſſolvatur & in alimentum cedat, ſed ab acido in coagulum concreſcat, plicis ventriculi, & inteſtinorum cellulis adhæreſcat, ubi ex diuturna mora corrumpitur & ructuum, ſodæ, pathematum ſpaſmodicorum ac dolorum occaſionem præbet ampliſſimam. Notandum inſimul hoc loco eſt, quod quo viſcoſiores & magis rancidæ, ac vetuſtiores ſint pinguedines, eo etiam pejoris ſint indolis. Hanc ob rationem præſertim ii, quorum primæ viæ acido copioſo ſcatent, optime ſibi conſulunt, quando ab eſu omnis generis pinguedinem copioſiori penitus abſtinent. Quare vero caro ſuilla ut noxia, majoris paulo difficultatis quæſtio eſt, cum maximam habeat convenientiam cum ſanguine humano & præterea gelatinam præbeat multo copioſiorem ipſa carne bovina,

vel

vel ovina aut alia. Reſpondemus autem hic cum diſtinctione aliqua & dicimus: carnem ſuillam minus nocere illis, qui eo parciori in quantitate utuntur & inſuper corpus motu ac labore probe exercent, ſed infirmioribus, iiſque, qui corpus parum movent, non poteſt non magno eſſe nocumento propter glutinoſum, quo abundat, ſuccum, hinc promte illius frequentiori uſu emunctoriorum tubuli obſtruuntur, quibus obſtructis, plurimæ impuritates in corpore accumulantur, quæ deinde variis cutis vitiis & ſcorbuticis morbis occaſionem ſubminiſtrant. Optime igitur faciunt ii, qui cachecticæ ſunt conſtitutionis & vitam degunt otioſam, ſi taliſmodi carnis uſum plane abdicant. Nunc videbimus etiam, quænam ratio medica dari poſſit de noxa eſus ſanguinis interdicti. Quicunque ſanguinis examen inſtituit, haud difficili negotio comperiet, eum ex particulis maxime putreſcibilibus conſtare. Eluceſcit id inter alia ex eo, quod ſanguis e vena emiſſus ſtatim coaguletur & rancorem contrahat. Quodſi igitur ejuſmodi ſanguis in cibum ſumitur, facile in ventriculo corrumpitur & chylum minus aptum ſuppeditat. Eadem eſt ratio ſuffocati: nam quandocunque animal ſuffocatione perit, ſanguis in vaſis partium coagulatur & putredinis celerioris cauſam præbet.

22. Hiſce diſcuſſis pergimus ad potulentorum genera, hoc autem loco ſolummodo ac recenſere lubet, quæ naturæ noſtræ maxime congrua ſunt & quorum in ipſa ſacra ſcriptura fit mentio. Primum igitur de aqua ejuſque uſu agemus, quem ex ipsa ſacra ſcriptura provoco ad *Num. Cap.* 20. ubi Iſraelitæ aquam poſtularunt a Deo per Moſen, quam etiam impetrarunt, cum Moſes petram virga ſua percuteret. Huc ſpectat locus 1 *Reg.* XVII ubi potus Eliæ fuit aqua e torrente. it. *Eccleſiaſtic. Cap.* 29. *v.* 25. ubi legitur: *præcipua vitæ humanæ ſunt aqua & panis.* Primævos homines & patriarchas uſque ad Noachi tempora aquæ potu uſos fuiſſe, non obſcure judicatur: nullibi enim ante tempora Noachi vini fit mentio, multoties vero aquæ. Ex hiſce adductis ſatis manifeſtum videtur, quod jam inde ab antiquiſſimis temporibus uſus aquæ fuerit cognitus & maximi æſtimatus. Eſt itaque aqua potus omnium animantium communiſſimus & ad vitam ac ſanitatem tuendam accommodatiſſimus. Hoc enim aqueum elementum maxime omnium ad conſtituendam ſanguinis ac humorum vitalium texturam neceſſarium eſt. Aqua ad digeſtionem & extractionem ſuccorum ex alimentis aptiſſima, hæc minimos corporis meatus quam expeditiſſime ſubit, unde ad interiores partium poros nutriticium ſuccum advehit, hæc quoque evehendis e corpore ſalino-ſulphureis excrementitiis partibus quam maxime idonea eſt, unde optimo jure medicina univerſalis præſervativa nuncupari poſſet: non enim facile datur hac ipſa nobilius a morbis præſervativum. Qui ſolo aquæ potu utuntur, ii multo robuſtiores & vivaciores ſunt, quam qui aliis liquoribus aut cereviſiis delectantur. Aquæ potus dentes firmiores & candidiores & gingivas ſanas conſervat. Pulchra eſt obſervatio, quam *Miſcell. Natur. Curioſor. Dec.* II. *A.* III *obſ.* 15. exhibent de ſene centum & viginti annorum, cui adhuc integra dentitio in ſenectute obtigit, quique nullam aliam longævitatis cauſam proferre potuit, quam quod per omne vitæ tempus aquæ potum in deliciis habuerit. De Andrea Tiraquello JCto, auctores referunt, quod ſolo aquæ potu contentus ſenex obierit. Inter cauſas longævitatis Ægyptiorum aquæ Niloticæ uſus non infima fuit. Diverſa vero aquarum ratione bonitatis eſt indoles, optimæ ſunt pellucidæ, leves particulis heterogeneis calcareis non refertæ, quæ epotæ in hypochondriis fluctuationem non concitant, bene per urinam & tranſpirationem ſecedunt, & ſic excretoria aperta conſervant.

23 Poſt aquam merito quoque vini mentio eſt iniicienda, cujus inventor & primus cultor Noachus celebratur ex *Geneſ. c.* IX. *v.* 20. unde patet, ejus uſum itidem eſſe antiquiſſimum. *Syracides* ejus uſum moderatum egregie commendat *Cap.* 30. *v.* 30. *tanquam vita eſt vinum hominibus, ſi moderate illud biberis.* Læti-

tificans cor hominis virtus ipſi tribuitur *Pſal.* CIV. *v.* 15. Denique in omni mœrore extollit ejus uſum *Eccleſiaſt. Cap.* 31. *v.* 32. *exultationem cordis lætitiamque animi efficit vinum potum tempeſtive, quod ſatis eſt*, & ibidem *v.* 33. *acerbam animam facit vinum multum potum irritatione & adverſa cauſa.* Et *Cap.* 40. *v.* 20. *vinum & muſica lætitiam adferunt cordi.* conf. *Proverb. Salom. Cap.* 30. *v.* 6 7. *date potum inebriantem perituro & vinum amaris animo. Bibat, ut obliviſcatur paupertatis ſuæ & moleſtiæ ſuæ non ſit memor amplius.* Sane vinum temperatum non nimis acidum, nec vaporoſum inter remedia nobiliora totam naturam corroborantia facile principem obtinet locum, ſiquidem eximie circulum ſanguinis promovet, ventriculo tonum ac robur largitur, corpus perſpirabile reddit, & vires collapſas mirum in modum erigit. Hanc ob cauſam Paulus Timotheo ſuo infirmitate ventriculi laboranti vini uſum præſcribit in Epiſt. I. ad Timoth. Cap. 5. v. 23. Et poſtea ſubjungit: *aquas ne bibas, ſed vini modicum bibe propter ſtomachum tuum & propter morbos tuos aſſiduos.* Quantas enim vires vinum generoſum in anorexia ſeu appetitus proſtatione & digeſtionis vitiis corrigendis poſſideat, vix ſatis depredicari poteſt, quotidiana id teſtante experientia. Potiſſimum autem vinum iis conducit, qui temperaturæ corporis ſunt frigidoris ac humidioris, qui vitæ ſedentariæ addicti ſunt & corpus parum movent; calorem enim ipſis addit & ſpirituaſcentiam auget, unde etiam vinum bonæ notæ optimum affectus hypochondriaci & aliorum frigidorum morborum præſervativum judicatur.

24. Quemadmodum vero ſacra ſcriptura moderatiorem vini uſum concedit & commendat: ita viciſſim ejus abuſum & immoderatam in corpus ingurgitationem ſummopere reprehendit: hinc ebrietas multis in locis novi teſtamenti ceu vitiorum genitrix & ſeductrix a via ſalutis ab Apoſtolis ſevere inhibetur. Sapientiſſimus Salomo in *Proverb. Cap.* 23. *v.* 29. *& ſeqq.* genium vinoſorum & ebrietatis ſtudioſorum cum incommodis tam corporis, quam animi, quæ ex vini nimia ingurgitatione proveniunt, graphice depingit, dum ait: *cui væ? cui ehou? cui contentiones? cui loquacitas? cui vulnera impune? cui robur oculorum eſt? immorantibus apud vinum, quum rubeſcit; quum exhibet in poculo colorem ſuum, indeſinenter movetur rectiſſime; tandem velut ſerpens mordebit & velut hæmorrhois punget. Oculi tui reſpicient alienas mulieres & animus tuus eloquetur perverſitates. Et eris, ut qui jacet in medio mari & ut, qui jacet in corona carcheſii.* Eccleſiaſtes *Cap.* 19. *v.* 1. de vino profert: quod intelligentes ſeducat. item *Eccleſiaſtic. Cap.* 31. *Pſ.* 28. *in vino ne agas virum: nam vinum multos perdidit:* in eodem *Cap V. v.* 34. *auget animum ebrietas imprudentis ad offenſionem: minuit robur & acquirit vulnera.*

20. Quantas noxas vina præſertim intemperata vel nimis dulcia, vel acida vel ſpirituoſiora vel ſulphur vaporoſum olentia, ſi immodice ingurgitentur, corpori humani inferant, etiam vulgus non ignorat. Dulcia enim vina plethoram augent & morbis ab ea pendentibus anſam præbent. Quæ vero acidum fovent paſſionibus ex acido & viſcido nutrimentum præbent & ſpeciatim calculorum, hyſterici ac hypochondriaci mali, podagræ generationem in diſpoſitis corporibus promovent. Deinceps ſpirituoſa vina, dum mirifice ſanguinem & humores exagitant, in juvenibus inprimis & cholericæ temperaturæ hominibus calorem adaugent & bilem acrem ingenerant, unde ad hæmorrhagias, febres ardentes, bilioſas, ſpaſmos, dolores maxime arthriticos, quandoque etiam convulſiones inducendas ſunt aptiſſima. Ea denique vina, quæ ſulphure vaporoſo ſcatent, nervis infeſta ſunt & capiti nocent, unde morbis capitis, quales ſunt torpor, ſomnolentia, cephalalgia, paralyſis & epilepſia viam ſternunt. Huc ſatis appoſite transferri poſſunt, quæ de vino diſſerit VALLERIOLA *lib.* 2. *Enarrationum Medicinalium Enarrat. IV. vinum varia in corpus incommoda pro ſui natura, ætate, potentiæ & adſumtionis modo infert. Nam vinoſa immodice ſumta caput tentant, nervos implent,*

plent, fluxiones excitant, mentem labefactant, vires corporis univerſas diſſolvunt; aquoſa minus alunt, dulcia obſtruunt, craſſa nigraque difficile permeant, diuque in ventre morantur: vetera vehementer calefaciunt: nova turbant & fluctuationem miram concitant. Acida lædunt ventrem nerviſque ſunt inimica. Quicunque igitur ſanitatis ſuæ curam habet, is immoderatum vini uſum ceu corruptelam animi & corporis abhorreat, eoque modico nec exceſſiva qualitate donato utatur.

26. A potulentis ad motus diætam tranſibimus & conſiderabimus, quid commodi ex illius convenienti adminiſtratione in vitam & ſanitatem humanam redundet. Sacra ſcriptura motus exercitium, quod fit per laborem, ceu ſomnum a morbis præſervativum agnoſcit, uti videre eſt ex *Eccleſiaſtic. Cap. 31. v. 25.* verba ita ſe habent: *In omnibus operibus tuis eſto promtus & ulla infirmitas non obveniet tibi.* Hinc etiam Paulus II. *Theſſal. Cap. 3. 2. 10.* his, qui nolunt operari ciborum adſumtionem diſſuadet his verbis: *quod ſi quis non velit operari, neque comedito.* Magnificæ etiam præſtantiſſimorum medicorum hinc inde proſtant commendationes motus corporis, qui fit per labores & variis aliis modis. Ex hiſce placet allegare HIPPOCRATES *Lib. de diæta* §. 1. ubi inquit: *homo edens ſanus eſſe non poteſt, niſi etiam laboret. Contrarias enim inter ſe vires habent cibi & labores: verum inter ſe mixti conferunt ad ſanitatem*, SANCTORIUS *in medicina ſtatica* ait: *ſi homines tempore debito exercitio ac labore uterentur, carere poſſent multis medicis ac medicamentis.* Nihil tam idoneum eſt ad circulum ſanguinis promovendum & humores a particulis impuris liberandos, quam motus externus muſculorum; ſiquidem quandocunque muſculi, qui genuina ſunt motus inſtrumenta pro animæ imperio ope ſubtilis elaſtici ſanguinis & nervei fluidi vivida ac mobiliſſima expanſione contrahuntur, accidit, ut ſtrictura quadam agiliſſima non modo vaſa præſertim venoſa ad conſtrictionem ſicque ad fluidi ſanguinis progreſſivum motum expeditiorem animentur, ſed & ipſo hoc motu attritivo particulæ craſſiores attenuentur & dividantur. Hoc vero modo inteſtina motio valde increſcit, fluiditas, ſpirituaſcentia & calor augetur, ut adeo tranſpiratio & ſuperflui humidi evaporatio non ſine magno corporis levamine perficiatur. Hanc ob cauſam homines laboribus dediti non modo robuſtioris & ſanioris ſunt corporis, ſed & vitam longævam utplurimum degunt. Nemo facile ex iis, qui diligenter laboribus incumbunt, calculi, podagræ, arthritidis, affectionis hypochondriacæ, cachexiæ, ſcorbuti, hydropis malum incurret: contra vero, qui deſidiæ ſe mancipant vel vitæ ſedentariæ corpus addicunt, frequentiſſime his morbis patent ac exponuntur, præſertim ſi genio indulgent & laute vivunt. Hoc enim vivendi more ſanguis in vaſis accumulatur & ob ſegniorem tranſpirationem impuritatem contrahit, ſpiſſitudinem lentam acquirit, in viſceribus ſtagnationem ſubit, eorumque vaſa minima opplet & obſtruit, ſicque dictorum malorum cauſam præbet fecundiſſimam. Optime itaque ſibi conſulunt, qui ſecundum præceptum Dei *Gen. 3. v. 9.* in ſudore vultus cibis ſuis veſcuntur.

27 Quemadmodum vero moderatio in cunctis rebus naturæ corporis noſtri eſt amiciſſima: ita motus exercitium, præſertim id, quod per labores fit, non exceſſivum ac immoderatum, neque continuum, ſed moderatum cum alteram quiete interpoſita ſit neceſſe eſt. Utrumque enim horum & motus parcitas, & ejuſdem frequentia male afficit corpus illudque mirum quantum debilitat, dum priori modo excretiones retardantur, poſteriori vero plus juſte adaugentur. Quare ſemper, ubi ſanitatis ſcopus nobis propoſitus eſt, quies ac motus alternari & ſe invicem excipere debent. Et hæc inter eas rationes, quæ Deum permoverant, ut ſex in hebdomade dies operibus faciendis deſtinaret, ſeptimo vero a laboribus omnimodam quietem præciperet, non infima forte fuerit.

28 An ſomnum & vigiliam quod attinet, non minus hic, quam aliis in rebus ad vitam & ſanitatem corporis neceſſariis

præ-

prudentiſſimum regimen requiritur. Sacra ſcriptura uſum ſomni labore defatigatis vires addere confirmat *Eccleſiaſt. cap.* 5. v. 12. ubi verba textus ita ſe habent: *dulcis eſt ſomnus illius, qui ſervit.* Hiſce verbis peritiſſimus morum magiſter Syracides ſomnum iis præſertim, quorum vires per diem laboribus plurimis magna ex parte exhauſtæ ſunt, eſſe dulcem, id eſt, vires corporis reficientem adſerit. Equidem ſomnus ad vitæ & ſanitatis conſervationem cuivis homini ſumme neceſſarius eſt, nullus enim homo abſque ejus uſu diu ſalvus ac incolumis eſſe poteſt. Hic corpori delaſſato vires collapſas reſtituit illudque ad conſuetos labores ſubeundos aptius reddit, imo etiam, quod majorem adhuc admirationem meretur, ipſum animum vegetat eumque ad functiones ſuas perficiendas alacriorem ac promtiorem efficit.

29 Sicuti autem ſomnus moderatus damno eidem eſt & vires reſarcit: ita immoderatus damno eidem eſt & vires potius imminuit, quippe non modo capitis gravitatem & torporem infert, ſed & omnibus partibus corporis languorem inducit, ſicque agilitatem menti & corpori ſubtrahit, quia influxum fluidi ſubtiliſſimi & mobiliſſimi in nervos & ſolidas partes, quæ motum efficiunt, nimium impedit, unde ſpirituaſcentia & fluiditas ſanguinis perit, humores ſpiſſeſcunt, incraſſantur & ad chronicos morbos fit diſpoſitio. Hinc ob tantam noxam, quam immoderatus ſomni uſus corpori humano adfert, divinus *Salomo in Proverb. cap.* 6. v. 4. nimium ſomnum his verbis diſſuadet: *ne concedito ſomnum oculis tuis aut dormitationem palpebris tuis*; quod dictum de ſomno intemperato omnino intelligendum, cum moderatus nihil vitii habeat & homini ad vitam & ſanitatem ſit neceſſarius.

30 Quodſi igitur ſomnus moderatus ad vitam & ſanitatem eſt accommodatiſſimus: facile inde conſequitur, vigilias, quarum paucis adhuc attingenda conſideratio eſt, immodicas & longius protractas ingentem noxam corpori noſtro adferre. Ex nimiis enim vigiliis coctio perturbatur, facies pallorem induit, corpus macie conficitur, oculi fiunt concavi cum auſtero & triſti vultu. Pulcherrimus huc quadrans locus legitur *Eccleſiaſt. Cap.* 31. v. 1. *vigiliæ divitiarum cauſa tabefaciunt carnes.* Ex hiſce jam omnibus, quæ de ſomno ac vigiliis paucis commentati ſumus, ſequens elicitur regula diætetica; nempe ſanitati ſuæ illum optime conſulere, qui omnem exceſſum ac defectum circa ſomnum evitat, eoque ipſo, quantum ad vires reſarciendas ſufficit, moderate utitur.

31 Hiſce ad finem perductis pauca ſaltem de diæta circa veneris uſum annectere viſum fuit. Uti vero venus legitima & moderata nulli culpæ eſt obnoxia, cum ipſius Dei providentiſſimum ſit inſtitutum, eum in finem, ut genus humanum nova ſubinde generatione conſervaretur & hominum numerus multiplicaretur: ita eadem præpoſtere & immoderate exercita plurimorum malorum, imo mortis maturioris cauſa eſſe poteſt, quod ex ſacra ſcriptura luculenter ſatis demonſtrabimus. Cum *Salomo* in ſuis *Proverb. Cap.* 8. veris coloribus ingenium meretricis impudentiſſimæ depinxiſſet, ſapientiæ cultori commercium cum ejuſmodi obſcœna adulteria v. 25. ſevere interdicit eam ob cauſam, *quia nempe*, ut v. 27. verba ſe habent, *viæ ad ſepulchrum ſunt viæ ad domum ejus deſcendentes ad penetralia mortis.* Præterquam enim, quod ejuſmodi facinus ſit abominabile coram Deo & pœnam mortis æterne mereatur, nihil etiam magis ſanitati corporis infenſum eſt; vires enim deſtruit & ſanguinem ſpirituaſcentia orbat veneris uſus immodicus, & ſubtracto ſic ſero roſcido ſpirituoſo, quo ſemen conſtat, quod ad robur partium accedere debebat, neceſſe eſt, ut vires labefactentur & ſuo robore priventur membra. Majora vero adhuc mala ſunt, quæ ex impuro concubitu corpori accidunt, quod *Eccleſiaſt. Cap.* 19. v. 2. ſatis evidenter docetur, ubi hæc verba leguntur: *qui agglutinatur ſcortis, eſt audax, tineæ & vermes hæreditario jure poſſidebunt illum & arefiet traductus in exemplum infamiæ maximæ.* Hoc loco luis venereæ natura ac indoles non ob-

obſcure exprimitur, hæc enim in ſumma humorum præſertim lymphæ putredine & corporis defœderatione ac contabeſcentia conſiſtit. conſ. *Eccleſ. Cap.32.v 21. 22.* Nolumus hac in re eſſe prolixiores. Qui ſanitatis curam habet, is monito *Syracidis florem ætatis ſuæ conſervabit ſanum, nec robur ſuum meretricibus dabit.*

32 Reſtat adhuc magni momenti diætetica regula exponenda, quam *Eccleſiaſticus Cap.38.* nobis tradit, ubi *v.30. & 31.* ita dicit: *fili, dum vivis, periculum fac animi tui ac vide quid ſit malum, ac ne des illi. Non enim omnia omnibus conferunt.* His verbis divinus ille ſcriptor vult, ut probe noſtrum corpus exploremus, quid ipſi in individuo damno vel nocumento ſit, a quibus rebus male vel bene ſe habeat, multum enim differre corpora a corporibus & his ſæpe nocere, quæ aliis profint ac viciſſim. Equidem, auctore *Celſo* & ipſa experientia teſte, ſanis omnia ſunt ſana; ſed cum naturarum maxima ſit diverſitas & unum corpus præ altero robore excellat, hinc alimentorum ſalubritas atque inſalubritas non in genere more vulgi, ſed ſecundum vires & naturam corporum in ſpecie æſtimanda eſt. Quicunque ſaniſſimum corpus habent, illi non facile ab ulla re offenduntur & cibum copioſiorem eumque etiam intemperatiorem ferre poſſunt, eorum enim ventriculus ſufficienti robore ad illum ſubigendum inſtructus eſt, & ſanguinis motu vivido omnia ſupervacanea debite excernuntur. Aſt qui imbecillius habent corpus, a copioſioribus æque ac intempetioribus alimentis lædantur neceſſe eſt, quoniam eorum ventriculus ad digeſtionem & intimam adſumtorum reſolutionem impar eſt, nec ſanguinis motus adeo vividus exiſtit, ut ſuperflua debito modo expellere poſſit.

33 Hoc itaque veriſſimum eſt aſſertum, neque alimenta, neque medicamenta per ſe & abſolute ſalubria ac noxia vocari poſſe, neque ſecundum ſuam inſitam virtutem certum effectum ſemper exſerere, ſed prout corpus ratione roboris ſolidorum & viarum ac humorum conditione diſpoſitum inveniunt, tum demum proficuum aut pernicioſum effectum edere. Hoc cum ita ſe habeat, optime ſibi conſulit iſte, cui vita & ſanitas curæ cordique eſt, ſi corporis ſui naturam & peculiarem diſpoſitionem accuratiſſime inquirat & inſuper ſolerter obſervet, quænam naturæ ſuæ amica, quænam inimica ſint. Hoc enim pacto, ſi ad uſum ſeligit, quæ prodeſſe ſæpius obſervavit, & rejicit quæ nocere & vim naturæ ſuæ inferre animadvertit, optima & conſtanti ſanitate perfrui poterit. Profecto ſi cauta victus ratione uterentur homines & uſu probe explorarent, a quo potu vel cibo ſe juvari lædive ſentirent, in pauciſſimis vel plane non medicorum opera egerent, quoad forent.

34 Coronidis loco non poſſumus non omnibus & ſingulis, quibus ſanitas vitæque longævitas curæ cordique eſt, ſinceram pietatem ceu irrefragabile diæteticæ hujus noſtræ fulcrum etiam atque etiam commendare. Profecto theologia, quatenus in praxi conſiſtit, nec in nudis tantum ſpeculationibus acquieſcit, optimo jure corporis medicina nuncupari poteſt: adeoque non ſine cauſa etiam naturali in ſacro codice probis ac in timore Dei ambulantibus vitæ longævitas eſt promiſſa; improbis autem & in voluptatum cœno ſe volutantibus vitæ brevitas in pœnæ locum indicta. Sic divinus Salomo de præceptis ſapientiæ dicit: *Proverb. Cap.3. v.2. longitudinem dierum annoſamque vitam cum pace adjicient tibi.* Idem *Cap.9. v. 27.* ita fatur: *reverentia Jehovæ adiicit dies, anni vero improborum decurtantur.* Conf. *Proverb. Cap.3.v.16 item Cap.4.v 22.Cap. 9 v.10.11.* Pariter *Eccleſiaſticus Cap.1. & 2.* hæc verba habet: *reverentia Domini dejectatura eſt cor & inditura lætitiam gaudiumque & longævitatem.* Divus *Paulus in Epiſtola priori ad Timotheum: pietas*, inquit, *ad omnia utilis eſt, ut quæ promiſſionem habeat vitæ præſentis ac futuræ.* Nam quandocunque homo terminum voluptaris ſuæ Deum conſtituit, omnes actiones ſuas ita moderatur, ut mentem ſanam conſervet in corpore ſano & hac ratione particeps reddatur perfectionum hujus & futuræ vitæ. Qui veræ pietati ſe totum conſecravit ac per preces ac fidem magnum illud Spiritus Sancti donum acqui-

quiſivit, animo eſt tranquillo & omnium commotionum ab objectis externis vacuo lætatur in Domino omni tempore, nec ulla re acerba contriſtatur, omnis generis maledicta, contumelias & iniurias patienter tolerat, laboribus ſuis ſolerter incumbit: cibo, potu, ſomno aliiſque rebus ad vitam neceſſariis utitur in conſervationem corporis, nec curam habet carnis ſuæ ad concupiſcentiam. Et hac methodo ingenuus pietatis cultor fructum vitæ longæ ac incolumis optime conſequitur.

35 Si experientiam conſulimus, plurima poſſunt allegari exempla, quod theologi & pii viri, ad ſenectutem grandævam pervenerint vel ſola mentis tranquilla conſtitutione. Quicunque autem a recto pietatis tramite diſcedunt & ſanctiſſima vitæ præcepta negligunt, impetu pravarum cupiditatum abrepti, nulla in re facile moderationem admittunt, variis affectuum fluctibus agitantur & rebus ſic dictis non naturalibus, quarum rectus uſus vitæ ac ſanitati amiciſſimus eſt, nefarie & contra ſanam rationem abutuntur quippe pax & tranquillitas mentis non eſt apud improbos; ingluviei dediti ſunt, potationes ſæpius in ſeram uſque noctem protrahunt, ſomnolentiæ indulgent & Baccho ac Veneri tantum non aſſiduo litant. Et iſto vivendi more inſanum hocce hominum genus complures morboſas ſibi accerſit afflictiones & vitæ filum, quod naturæ ordine ac curſu longius potuiſſet producere, temere ac in optimo ſæpe ætatis flore abrumpit. Quicunque igitur ſanam ac longam vitam magni æſtimat, is totus eo annitatur oportet, ut in poſſeſſionem divinæ gratiæ perveniat, qua duce & cooperatrice a viis ſalutis æque terrenæ ac cœleſtis nunquam ſane aberrabimus.

DISSERTATIO IV.

DE

DIÆTÆ VITIO MULTORUM MORBORUM CAUSA.

§. I.

Morbos partim ex diætit, partim ex ſpiritu, quem attrahentes vivimus fieri, præclare, admodum Hippocrates *Lib. de nat. hum.* §. 18. ediſſerit. Etenim cuncta animantium corpora, ut vivant, nutriantur atque perſiſtant, continuo opus habent triplici nutrimento, quorum primum eſt aer, alterum cibus, tertium potus. Sicut enim tria hæc elementa fluidum, ſolidum & humidum ad conſtitutionem omnium corporum, quæ in rerum natura conſiſtunt, invicem mixta contribuunt: ita etiam, ut corpus humanum conſervetur, nutriatur & vitales motus continuet, tenuiſſimo fluido, quod ſecundum Hippocratem movet & impetum facit, deinde ſolido, quod ſtructuram & firmitatem corpori adfert, tum humido, quod nutritionem præſtat & perpetua in circulum abeunte progreſſione, omnem corruptionem avertit, opus habet. Qua de cauſa nullus homo ſine aere, ſine cibo & ſine potu vitam diu conſervare, vel ſano ac integro corpore eſſe poteſt. Quum vero aer, neque minus eſculenta & potulenta, tum ratione indolis & temperaturæ, tum ratione facultatum & virtutis, mirum inter ſe diſſideant: hinc omnino medicum & naturæ conſultum oportet ſcire, quænam ex hiſce tam ratione copiæ quam ratione temperaturæ, corpori noſtro congrua vel incongrua aut aliena ſint, ne noceant vel detrimentum quoddam atque exitium adferant.

2 Quemadmodum vero magnum illud catholicum longe tenuiſſimum movens, aer, quando intemperie delinquit, vel alienis inquinamentis contaminatus eſt, celeriter ac promtiſſime nocet &, cum plures ſimul invadat, acutas & populariter graſſantes ægritudines invehit: ita cibus ac potus, quoniam permanentem

ac

ac diutius inhæreſcentem corpori materiam ſuppeditat, gignendis chronicis morbis maxime pabulum ſubminiſtrat. Igitur ad rem pertinet, horum proprietates & vitia noſſe exactius.

3. Equidem ſanis omnia ſunt ſana, atque etiam nonnullos homines alimenta & copioſa & intemperata, ſine ulla ſanitatis offenſa, ferre poſſe animadvertimus; ſed tamen, cum naturæ mirum inter ſe differant & unum corpus altero robuſtius, altero ſit imbecillius: hinc utique alimentorum ſalubritas & inſalubritas non in genere, ut indocti putant, ſed ſecundum vires & naturam corporum æſtimanda eſt. Quibus enim ſanum & robuſtum corpus eſt, illi nec a copia, nec ab intemperie alimentorum facile offenduntur, eo, quod vigore motuum & nimium facile vincatur ac ſubigatur & ſupervacaneum debite excernatur: quod vero minus obtinet in infirmioribus, ubi & nimium & intemperatum ſubſiſtit & morbum facit. In medicina enim illud perpetuo ſervandum & animo diligenter imprimendum eſt, quod nec medicamenta nec alimenta in ſe & ſua natura proficua vel pernicioſa cenſeri debeant, neque ſecundum ſuam activitatem, certum effectum ſemper habeant, ſed demum bonam vel pravam operationem exſerant, prout corpus ratione roboris ſolidorum, ac viarum & humorum conditione diſpoſitum inveniant. Quo magis magnum illud paradoxon, homines quoad individua raro, inter tot occurrentes morboſas cauſas, ægrotare, facillima ratione ſolvi poterit, cum non una cauſa, ſed plures ſimul & naturales & non naturales ad morbum, velut effectum, concurrere debeant. Noſtrum itaque jam erit, hæc paulo ſubtilius agitare & exponere, quomodo nempe & in quibus ſubjectis & quos morbos alimenta tam eſculenta, quam potulenta invehere ac producere poſſint.

4. Quemadmodum vero rectum eſt regula obliqui, ita ad ſanitatem & integritatem corporis noſtri, tanquam regulam cibi & potionis inſalubritas æſtimanda erat. Vigor videlicet omnium corporis noſtri actionum & ſanitas in eo merito poni debet, ut primo alimenta aſſumta in ventriculo ac inteſtinis probe digerantur & diſſolvantur, atque utile ab inutili ſeparetur, hoc vero excernatur; deinde ut utilis ſuccus ad ſanguinem delatus, probeque mixtus cum eo, libero ac moderato ſolidorum motu per omnes corporis meatus ac canales propellatur & per diverſa emunctoria alienum & ſupervacaneum excernatur, quo fit, ut non modo corpus bene nutriatur, ſed & vigor omnibus actionibus accedat.

5. Quapropter primo ea inſalubria nobis dicuntur alimenta, quæ ventriculi & inteſtinorum virtutem ac motum periſtalticum, quo alimentorum reſolutio & ſuperfluorum egeſtio celebratur, labefactant vel deſtruunt. Deinde alimenta minus ſalubria ea cenſenda eſſe arbitramur, quæ ſanguinis liberum per omnes meatus progreſſum ac tranſitum præpediunt & inutilium atque ſupervacaneorum excretionem ſufflaminant: hinc enim plethora, cruditates, obſtructiones, impuritates plurimorum morborum procreatrices reſultant. Primum itaque quod attinet ad ciborum quantitatem, eam utique & naturæ inimicam eſſe & morbum facile proferre adſerimus. Præclare enim non minus, quam vere Hippocrates *Sect. 2. aph. 4.* prodidit: *neque ſatietas neque aliud quidquam bonum eſt, quod naturæ modum excedit.* Et *aph. 17. Sect. 2.* clarius id exprimit, cum ait: *ubi cibus præter naturam copioſior ingeſtus fuerit, morbum facit.* Et optime Celſus *Lib. 1. Cap. 2. p. 25 ubi ad cibum ventum eſt, nunquam utilis eſt nimia ſatietas.* Recte itaque ciborum exſuperantia & nimia voracitas plurimorum morborum cauſa habetur: & pulchre Fernelius *in Patholog. Lib. 1. Cap. 15. pag. 210.* perniciosam admodum ſentinam, abdomen inſaturabile appellat, quia omnium tum corporis, tum animi vitiorum fons atque origo eſt, ut non minus acute, quam facete intemperantia nutrix medicorum nominetur.

6. Neque vero tantum nimia ciborum copia ſanitati officit, verum etiam, ſi quando nimia aviditate ingeritur. Laborant vero ejuſmodi edendi intemperantia maxime pueri, adoleſcentes & juvenes, qui adhuc nutritione opus habent; ex tem-

temperamentis, qui complexionis ſanguineæ vel cholericæ ſunt, majori cum cupiditate cibos adſumunt; quam qui ſegnioris & phlegmaticæ indolis ſunt. Qui ex morbo convaluerunt, ordinario magna edendi cupiditate feruntur & nimis propere ſtomachum ciborum mole obruunt. Simili intemperantiæ vitio laborant quoque ii, qui diutius inedia vel fame preſſi fuerunt, ſiquidem, ubi ad cibos accedunt, eos in magna copia & ingenti aviditate, non parvo ipſorum damno, ingurgitant. Non minus noxia ad edendum appetentia ſubinde, qui chronicis morbis detinentur ferri ſolent. Ita ex hypochondriacis pathematibus addicti, febre quartana venati quoque, melancholici & phthiſici plerumque edaciores ſunt. Idem vitium quoque infantes, qui vermibus laborant vel convulſivis inſultibus fatigantur, corripit. Tali vero caſu perquam neceſſaria & utilis in praxi eſt obſervatio, quod hujus generis morbi, quibus voracitas adjuncta eſt, difficillime medicina expugnentur, quia natura perpetuo novo onere alimentorum premitur, ut eo minus contra vim & cauſam morbi inſurgere eamque ſubigere poſſit. Tacemus, quod nova ſemper cruditas proveniens, novum ſemper pabulum morbo ſubminiſtret. Multum vero ad edendi intemperiem & voracitatem ſola adſuetudo contribuit, unde, qui tribus vel quatuor vicibus die cibum ſumere conſueverunt, ii hora inſtante, vehementer eſuriunt.

7. Plura vero & gravia damna ſunt, quę ex nimio cibo & edendi aviditate corpori accedunt. Nam ubi cibi non bene maſticatione comminuti & cum ſaliva permixti, deſcendunt in ventriculum, non ſufficienter diſſolvuntur, unde crudus, nec ſatis digeſtus & attenuatus ad inteſtina fertur chylus, hinc ulteriori ibi fermentationi reſiſtens, flatibus materiam præbet, unde borborygmi, abdominis inflationes & tenſiones variaque tormenta conſequuntur.

8 In imbecillioribus, & qui non multo tempore a morbo ſanitatem receperunt copioſe, & cum nimia cupiditate ingeſtus cibus in ventriculo ſemidigeſtus hæret, quem flatu implet, diſtendit, maximaſque anguſtias & conatum ad vomendum efficit. Idem de puerperis ſentiendum eſt, in quibus nimia cruditas adeo ventriculi robur periſtalticum enervat, ut ponderis inſtar, cum miſero aſpectu faciei, premat & noctes inſomnes faciat. Solet quoque multo crebrius in iis, qui modo e morbis & febribus convaluerunt, cibus male concoctus & crudus, lentore ſuo mucido. plicis et tunicis duodeni firmius adhæreſcere & febris lentæ, ſtomachalis, cardialgiæ, icteri, flatuum, ructuum materiam & cauſam ſuggerere. Fœminæ tenerrimæ & ſenſibilioris conſtitutionis gravidę, vel quę hyſtericis pathematibus patent, quando cibum copioſe vel nimis avide devorant, multas inde moleſtias, anxietate luunt ac patiuntur.

9 Nocet vero quam maxime avidiſſime exceptus cibus, qui enormes ſanguinis profuſiones paſſi ſunt; ibi enim ventriculus; tono et robore deſtitutus, alimenta nec bene digerere, nec apte propellere poteſt, quare et cardialgiæ, anguſtiæ, anxietates, vertigines, dolores capitis et lenti calores ſubſequi ſolent Vel ſi crudi ſucci nimium ad ſanguinem et vaſa feruntur, ob robur naturæ deperditum hinc inde fint ſtagnationes, decubitus, viſcerum infarctus, inferiorum partium tumores et via ad cachexiam & morbos chronicos panditur. Periculoſiſſime vero in copia & cum ardore devoratus cibus nocet iis, qui in caſtris fame, aſſidua vigilia & nimio labore naturæ & ventriculi robur deperdiderunt; unde non poteſt non corrupta alimentorum maſſa in infirmo corpore et humoribus in putredinem pronis, graves malignas febres ſic dictas Hungaricas contagioſas progignere, quod ſæpiſſime contingit, ubi milites ex caſtris in hibernis ad plenum victum accedunt.

10 Præterea tenerrimæ conſtitutionis infantibus copioſior lactis vel alimentorum ingeſtio admodum infenſa eſt, utpote quæ nimium ventriculi tunicas diſtendendo, æſtuationes, cardialgias, anguſtias & anxietates provocat, a quibus malis egregie liberantur, quando ob ſenſibilitatem ſuperfluum vomitu rejiciunt, quod ſanitati infantum maxime proficit.

ficit. Ubi vero natura languidior ac ſegnior eſt, lac coagulatum & crudum cruſtam villoſam glutinoſo ſuo lentore obſtruit, glandulaſque meſenterii tumidas reddit, unde atrophiæ, cachexiæ, & ingentis tenſionis in abdomine fit origo. Nihil vero valetudinem in infantibus æque ac in adultioribus magis turbare ſolet, quam ſi alvo adſtricta vel ſegnius procedente nimia lactis vel aliorum ciborum copia accipitur. Difficilius enim, ob vacillantem motum periſtalticum, progreditur, ſed in tenuibus ſubſiſtens, acceſſu aliorum humorum ex ſanguine, corrumpitur & exæſtuationibus febrilibus, ventriculi inflationibus, ructibus, in tenella vero ætate convulſionibus occaſionem ſuppeditat. Nam quo liberior & minus obſtructa eſt alvus, minus cibus ingeſtus incommodo eſt; ſicut etiam contra, alvo diutius adſtricta, omnis nimia ſatietas valde periculoſa eſt. Novimus aliquot exempla, ubi prægnantes, per alvum nihil reddentes, cibo paulo largius uſæ, aliquoties iteratum abortum paſſæ fuerunt. Neque alia ratione, niſi demto cibo & facta alvo laxiore fœtum retinuerunt.

31 Plus vero periculi illud habet, quando cibi, etiam optime nutrientes & carnium alimentoſa juſcula, cum vitello ovorum mixta, in continuis & acutis febribus, & maxime circa excretiones criticas, paulo largius exhibentur. Et, ſi quiſpiam in vitæ diſcrimen ægrum tali caſu cibus conjicere poteſt, certe eſt alimentoſus, eo quod cum naturæ ſit oneri, eam in ſalutaribus excretionibus peſſime turbet. Nocet vero quam maxime in acutis & malignis carnium eſus, quandoquidem hæ facile putreſcunt & ſic vim morbi, cujus natura in putredine reſidet, augent. Neque etiam ſine ratione puerperis, quæ inprimis humoribus impuris ſcatent, carnoſa diæta interdicitur. Et ſpectat huc Hippocratis aphoriſmus 10. Sect. 2. *corpora impura, quo magis nutriveris, eo magis læſeris*. Victus quoque lautus & plenus inimicus maxime eſt febribus, & ex tertiana ſimplici quam facile duplicem facit. Rectiſſime enim Hippocrates *Sect. 7. aph. 65. Si quis febricitanti cibum dederit, quem ſano exhibet, valenti robur, ægrotanti morbus fit.*

12 In genere vero id obſervationem meretur, quod omnes valetudinarii & infirmi, item ſenes, facile a copia alimentorum, præſertim ſi pravi ſucci fuerint & promte in corruptionem abeant, lædantur. Siquidem hæc ipſa non modo placidum ſomnum impedit, ſed & gravitatem corporis & capitis laſſitudinem, catarrhum & dolorem in capite acerſit. *Neque enim ulla cauſa*, inquit, Sanctorius, *Sect. 4. aph. 40. ſomnum magis interturbat, quam ciborum corruptela; id efficit ſympathia, quæ eſt inter ſtomachum & cerebrum*. Non parum itaque refert ſcire, quinam homines imbecilli, quinam firmi & robuſti ſint. Qua de re optimam cautelam nobis reliquit *Celſus Lib. 2. Cap. 18. imbecilli homines rebus infirmiſſimis opus habent, mediocriter firmos media materia optime ſuſtinet & robuſtis apta validiſſima eſt*.

13 Verum enimvero non tantum cibus paulo copioſior & majori aviditate, quam par eſt, ſumtus, ventriculo & primis viis moleſtus varia procreat mala, ſed & cibus optime nutriens & probe temperatus, qui aptiſſimam chyli & ſanguinis materiam continet, ubi in copia ſumitur, univerſum corpus præter naturam multis gravibus & longis morbis pabulum præbendo afficit. Dicimus non ſine ratione optimum cibum, hoc eſt, qui optimum & laudabilem præbet ſanguinem, ea mala procreare. Jam vero quænam ex omni alimentorum claſſe optimum nutrimentum & laudabilem ſanguinem generent, intuebimur. Inter hæc vero primum merito locum obtinent carnes juniorum animantium, caro vitulina, bovina, agnina. Omnes enim hæ carnes coctione ſuccum gelatinoſum reddunt, qui proxima ſanguinis eſt materia. Quid enim aliud optime temperatus ſanguis eſt, quam gelatina occluſo & continuo calore rubedine tincta? quid aliud eſt is ſuccus, qui ſolidas univerſi corporis noſtri partes nutrit, quam gelatina, in quam etiam animantium partes, vel duriſſimæ, oſſa & cornua longiori demum coctione reſolvuntur & manet hoc loco id verum,

in

in quod quid reſolvitur, ex eo etiam conſtat. Secundum locum inter alimenta, quæ bonum ſuggerunt ſanguinem & optime nutriunt, frumenta & panificia ſibi vindicant. Eſt enim ea natura ac indoles omnium ſeminum, ut temperie gaudeant, dum ex partibus terreis, ſubtilioribus, mucidis & oleoſo ſulphureis probe mixta ſunt, unde cum aqueo liquore trita & cocta ac emulſa albidum inſtar lactis liquorem conſtituunt. Quid vero aliud eſt chylus, quam lac, quo nihil ad alendum eſt præſtantius. Ex quibus intelligi poteſt, plus alimenti eſſe in pane, quam in ullo alio, quare etiam ſolo pane & aqua vivere & ſanus homo eſſe poteſt. Panis enim, qui ex ſeminibus tritici, ſiliginis vel hordei conficitur, cum aqua in emulſionem ſive optime temperatum chylum faceſſit. Denique & ipſum lac animantium optime nutrit, corporaque robuſta reddit, quemadmodum videmus in quibuſdam firmis Helvetiæ populis, qui ſolo lacte veſcuntur. Huic poſtea illa, quæ ex lacte parantur, ut butyrum & caſeus ſuccedunt, quæ cum pane mixta robur membris adferunt; ejuſdem quoq; generis ſunt ova volucrium ſorbilia fluida, quæ ex optima alibili materia animantium conſtant. Imbecillius vero nutrimentum piſces omnis generis & ex vegetabilibus olera, radices, bulbi & herbæ continent.

14 Equidem hæc omnia probe digeſta & ſubacta in ventriculo ſanguinem bonum & laudabilem ingenerant. Attamen ſi is abundantior, ex nimis largo & lauto victu, redditus fuerit, quantum noceat, exprimere vix poſſumus. Nam ejus copia fibras motrices cordis & vaſorum admodum diſtendit eorumque robur, tonum ac ſyſtolen debilitat atq; infringit, quominus expedite & promte liquoris vitalis per univerſi corporis tubulos fiat curſus, quo imminuto inutilium partium ſecretio & excretio tardior quoque fiat neceſſe eſt. Quapropter decreſcente ſolidorum pulſu ac impulſu, corporis nativus calor, ſecundum veterum ſententiam, quaſi ſuffocatur quemadmodum flamma lucernæ a multo oleo opprimitur. Decreſcente quoque impulſu ſanguinis & humorum conveniens fluiditas ac tenuitas decreſcit, hinc ſpiſſiores ac craſſiores facti, meatus viſcerum obſtruunt, viaſque comprimunt, unde, emunctoriorum tubulis clauſis, impurum in ſanguine remanet. Tum minore facto ſolidorum impulſu, ſanguis in excrementitias partes, ſerum nempe ſalſo-ſulphureum minus per calorem reſolvitur, ſed potius ingens ſanguinis & humorum in vaſculoſo genere fit accumulatio, qui ſtatus & habitus corporis nunquam tutus, ſed ſuſpectus & juxta *aph. 3. Sect.* 1. ſine mora ſolvendus eſt. Pulchre admodum veriſſime hanc in rem Celſus *Cap. 2. Lib. 2.* ſcribit. *Si plenior aliquis & ſpecioſior & coloratior factus eſt, ſuſpecta habere bona ſua debet; quæ quia neque in eodem habitu ſubſiſtere neque ultra progredi poſſunt, fere retro quaſi ruina quadam revolvuntur.*

15 Illud autem magis attinet ſcire, non æque & promiſcue in omnibus tam facile bonum & laudabilem ſanguinem redundare, ſed hoc ipſum magis fieri in iis, qui habitu ſpongioſo & laxiori prædi ti ſunt, venas obtinent copioſas & anguſtas, temperamento ſunt ſanguinei, vitæ ſunt otioſæ & animi tranquilli, vino & ſpirituoſis liquoribus delectantur. Neque ignorare oportet, feminas ſemper alendo copioſiori ſanguini plus eſſe idoneas, quam viros. Signa vero ſunt repletionis ac nimiæ ſanguinis redundantiæ, quando non modo habitus corporis turget, facies apparet colorata, ſed & vaſa, præſertim in partibus inferioribus, ſanguine ſunt diſtenta & inflata, & ſi quando motu corpus exercent, facile delaſſantur inque adſcenſu difficulter ſpirant. In quibuſdam pruritus, præſertim in pedibus excitatur. Neque vero ſemper in plethoricis facies rubet, quod tantum in ſanguineis evenit, ſed macilentiores ſæpenumero faciem habent minus coloratam, vaſa tamen valde ſanguine diſtenta, quæ ideo principale repletionis ſignum exhibent. Nil vero plus ad generationem ſuperflui ſanguinis facit, quam quies ſeu motuum conſuetorum intermiſſio, præclara enim ſunt, quæ hac de re Hippocrates *Lib. 1. de diæta* §. 1 perhibet: *homo edens ſanus eſſe non poteſt, niſi etiam labores, contrarias enim inter ſe vires habent cibi & labores, labores enim ea, quæ*

infunt, consumere solent, cibi autem & potus ea, quæ evacuata sunt, explent, siquidem omnis motus & exercitatio corporis celeriorem sanguinis per vasa efficit cursum & iter, unde fortior fit calor, quo magis illud, quod est gelatinosum in sanguine, in excrementitium serum dissolvitur. Etenim quam celeriter & vehementer auctus calor succos & pinguedinem corporis nostri consumere & obesos graciles reddere possit, febris continua documento esse potest.

16 Ex copia vero alimentorum sanguinis facta abundantia eos maxime fovet ac sustentat morbos, quos plethora proficisci in peculiari dissertatione *de ortu & causis morborum* exposuimus. Sunt vero ii morbi, qui ex plethora nascuntur, partim a spasmo & inæquali sanguinis circulo, partim ab atonia & a sanguinis stagnatione derivandi. In corporibus videlicet agilioris naturæ juvenibus & temperamentis sanguineo-cholericis sanguinis copia subsistens in abdominis visceribus, ad quæ portæ vena pertingit, facit fortiores stricturas, quæ illum cum impetu in pueris & adolescentibus ad caput, unde narium hœmorrhagiæ: in juvenibus ad pectus, unde hæmoptyses & anxiæ & difficiles respirationes: ad ventriculi regionem, anxietates & quandoque cruentæ vomitiones vel ad uterum, unde menstruæ purgationes: in adultioribus viris ad anum, unde hæmorrhoides: in senioribus ad renes, hinc mictiones cruentæ proveniunt, pellunt. At si corpus propter male succedentes has salutares excretiones a supervacaneo sanguine non liberatur; tunc ipse decumbens, pro varietate locorum, molestissimas stagnationes, stases, dolores & inde subnascentes graves passiones concitat. Igitur in capite fiunt exinde intolerabiles cephalalgiæ & & hemicraniæ, melancholiæ, in ejus partibus exterioribus ophtalmiæ, odontalgiæ, dolores & tumores rheumatici, erysipelacei, otalgiæ: in pectore, si serosioris constitutionis homines fuerint, tusses & asthmata humida, rheumaticæ scapularum adflictiones, pleuritides spuriæ, in sanguineis & cholericis pleuritides, peripneumoniæ, oppressiones pectoris, cordis palpitationes, in regione ventriculi præcordiorum constrictiones, anxietates, flatulentiæ, cardialgiæ: in abdomine, colicæ convulsivæ, alui adstrictiones & hujus generis plura.

17 In corporibus vero humidioribus & quæ naturæ obtusioris & segnioris sunt, succorum & sanguinis redundantia, in ætate senili affectus soporosos, paralyses, hemiplexias parit; in ætate vero juvenili, ab anno vigesimo primo ad annum trigesimum quintum, præsertim in sanguineis & qui habitus corporis sunt spongiosi in pectore phthises, tabes, apostemata, abscessus, vomicas, exulcerationes, chronicas tusses, hecticas producit. At si copia sanguinis in abdominis visceribus stagnat eaq; infarcit, multos graves & longos morbos progenerat, siquidem ex hæpate obstructo, infarcto & indurato icterus flavus & niger, cachexiæ, leucophlegmatiæ, & hydropes profluunt. Ex liene simili modo se habente ingentes ejus tumores, atrophiæ, vomitiones cruentæ & sanguinis nigri per alvum ejectiones, quas atræ bilis nomine antiquitas venditavit, suboriuntur. In utero si subsistit, nec purgatur bene copiosus sanguis polypos as in vasis majoribus efformat concretiones, quæ ad frequentes abortiones aditum præparant. Solent vero hujus generis prava accidentia facile contingere in iis, quibus solennes & alias consuetæ a natura factæ salutares sanguinis excretiones subsistunt, cessant ac deficiunt: vel iis, qui sanguinis adsuetas missiones per venarum sectiones, scarificationes maxime proficuas multo jam tempore intermiserunt, victum tamen & vivendi rationem non mutarunt. Quocirca in periculoso admodum & ad morbos graves proclivi statu feminæ, quibus ordinarii menses deficiunt vel quinquagenariæ, quando plane quiescunt, versantur, atq; viri, quibus olim fluentes hæmorrhoides non amplius feruntur, simili periculo expositi sunt.

18 Gravidæ, quia in statu plethorico atque etiam cacochymico consistunt, cessante sanguinis per uterum evacuatione pluribus, ut notum est, patent affectibus, qui nullam aliam habent originem, quam, quod nimis abundans in

vasis

vaſis ſanguis hinc inde varias congeſtiones & decubitus efficiat. Qui ſtatus tanto pejor redditur, quanto plus gulæ & abdomini indulgent, corpus motu non exercent & alvo dura ac obſtructa laborant: præſertim ſi corpus habitudinis fuerit laxæ & ſpongioſæ. Ex quibus omnibus intelligi poteſt, quantum corpori noceat cibus etiam optimus in copia adſumtus, quomodo ille plethoram, fœcundiſſimam morborum matrem, procreet & qua ratione plethoricus ſtatus, lauto & copioſo victu continuato, ſemper in deterius, non ſine ſanitatis & vitæ periculo, collabatur.

19 Plura itaque mala ſunt, quæ ex ciborum & ſuccorum abundantia in corpus humanum redundant: illud vero quam maxime adhuc debet conſiderari, quod ſtatus plethoricus omnibus ferme morbis addat perniciem, atque difficiliorem, niſi mature ſolvatur, efficiat curationem. Graves animi affectus in corporibus, quæ plurimum ſanguinis alunt, non parum habent periculi, eo quod accumulatus & cum vehementia ad quædam loca propulſus, profundas ſtaſes vel, quod pejus, vaſorum rupturas de facili funeſtas producit; qua de cauſa etiam acre frigus plethoricis eſt inimiciſſimum. Dein attenta & diligenti conflat obſervatione plus ſanguine copioſo præditos malis epidemicis eſſe obnoxios, quam ullos alios, quare ad graſſantes febres ſuſcipiendas valde ſunt idonei, eo, quod inſenſibilis tranſpiratio læſa, graviorem noxam eorum ſuccis, ipſique digeſtioni primarum viarum adfricet.

20 Neque vero duntaxat optimus & copioſe ſumtus cibus nocet, ſed quam maxime is, qui temperie deſtituitur, qua mirifice per omnia natura gaudet, ſiquidem ad ſuccum, qui nos generat, & qui nos nutrit, & partes corporis noſtri conſtituit, nihil intemperati, nihil exceſſivi accedere debet, ſed omnia, quæ eminenti facultate ac intemperie donata ſunt, e corpore, ſi in id admiſſa fuerint, debent excludi. Equidem corpori humano tametſi multa inſint & amara & ſalſa & dulcia, *attamen ubi temperamentum hæc inter ſe habuerint moderatum tum facultate, tum copia, & ubi maxime fuerint permixta, tunc ſanus eſt homo: ægrotat autem, dum horum quid minus aut amplius fit, aut ſeparatur in corpore & non fuerit reliquis omnibus contemperatum, ſicuti præclare* & ſcite loquitur Hippocrates *Lib. de Nat. hum.* §. 6. Quare etiam cibi ingeſti nobis incommodi ſunt, & intemperati nos lædunt, ut ſunt nimis amari, ſalſi acidi, quemadmodum graviter idem auctor non minus ac vere *Lib. de vet. Medic.* §. 24. & 25. docet. Et, ut paucis rem explicemus: ſicuti in genere omne exceſſivum; tam copia, quam qualitate: ita etiam alimentum corpori noſtro eſt inimicum.

21 Si quis vero ſecundum tres morborum claſſes, quas in ſuperioribus adduximus, alimenta diſpeſcere velit; non multum errabit. Videntur enim mihi quædam vel nimia tenuitate partium ſulphurearum & calidarum excedere, alia vero ſalino, acri & acido exſuperanti elemento partes nervoſas & fibras corporis plus juſto adficere, alia porro nimis compacta, immobili & terreſtri ſubſtantia humorum fluiditati & progreſſioni adverſari. Quæ ſunt generis primi, ad omnium febrium & caloris, qui præter naturam fit, generationem, multum facere videntur, ut ſunt potus vinoſi, ſpirituoſæ aquæ ſic dictæ vitæ, cibi nimium aromatibus, pipere, zingibere conditi. Alterius generis ea ſunt, quæ fibrarum ſpaſmos provocant, vel diſſolutionem continui inferunt, ut ſunt cibi nimis ſale conditi, omniaque acida, acria, allio accepis condita. Tertii generis ſunt, quæ craſſum generant ſanguinem, minimoſq; canales ac meatus obſtruunt, qualia ſunt frumenta, legumina, ut fabæ, piſa, lentes, grana milii, omnes marini piſces & cibi duri ac valde glutinoſi. Denique ſolidorum relaxationem & robur deperdunt valde refrigerantia, crudis quæ ſuccis abundant, ut ſunt omnes fructus horæi, cucumeres, melones, mala perſica, ficus, uvæ, cucurbitæ, omniaq; dulcia & quæ facile fermenteſcunt: & hæc morbos ex imbecillitate toni & roboris provenientes eximie fovent atque ſuſtentant.

Hoff. O puſc. varii argum.

22 Maxime vero omnium quoad alimentorum intemperiem reſpiciendum eſſe arbitror, primo ad ventriculi & inteſtinorum tonum & motum periſtalticum, deinde ad ſanguinis progreſſum & circulum, indeque dependentes ſalutiferas excretiones. Nam quicunque cibi vel potiones ventriculum ejuſque tonum & inteſtinorum robur lædunt ac deſtruunt, & quicunque porro ſanguinis liberum progreſſum atque inutilium rerum excretionem remorantur: ea non tantum intemperata, ſed & noxia cenſenda eſſe arbitror. Quapropter in alimentorum ſalubritate & inſalubritate cognoſcenda plus ad motum, quam ad materiam reſpiciendum eſſe exiſtimaverim. Nam humorem circulo ſalvo & incolumi, & vigentibus excretionibus, nec quicquam intemperati facile nocet, quia ſecedit atque corpore expellitur.

23 Ex univerſa vero alimentorum claſſe nec ullum mihi videtur naturæ plus inimicum, & quod primarum viarum virtuti ac tono magis adverſum ſit, vitales motus ac excretiones magis turbando, quam exceſſivum acidum. Primo enim hoc ipſum in copia ingeſtum chyli elaborationem, quando particulas mucidas & oleoſas præcipitat, impedit: deinde nihil tam promte coagulum ſanguini & gelatinoſis ſuccis infert, quam acidum; quare ad obſtructiones viſcerum atque humorum ſtagnationem multum omnino facit, eo, quod exceſſive acidum valde retardat excretiones, vaſa ac poros anguſtando, fibraſque conſtringendo. Quin etiam nihil æque acrimoniam bilis, quæ ſecundum naturam alvum ſtimulat, obtundit ac inteſtinales tunicas conſtringit, ac acidum, quod cum partibus ciborum terreſtrioribus mixtum, auſteram indolem acquirit. Neque, quod ad calculi tam renalis & veſicæ, quam ejus, qui in cyſtide fellea & ductibus hepaticis reperitur, nec non ad tophorum inter articulos generationem aptius exiſtat, quam acidum, reperio: quia ferme omnis concretionis tartareæ in corpore noſtro cauſa eſt. Ulterius, quid partibus nervoſis & membranoſis ipſo acido inimicius eſſe poteſt, quando tenerrimas earum fibras ad ſtricturas & criſpaturas ſpaſmodicas ac dolores diſponit. Qui fonticulos in artubus gerunt, mox ab adſumto acido dolorem perſentiunt. Nutrices, quæ acidis delectantur, lac habent, quod facile tormina in infantibus ſuſcitat.

24 Igitur acidorum abuſus vel maxime ad morbos chronicos, ad ſpaſmos, ad infarctus viſcerum diſponit & ſolennes ſanguinis per menſes aut hæmorrhoides, quæ ſaluti & præſidio corpori ſunt, vacuationes intercipit. Experiuntur id fere in dies feminæ, quæ nimium acetoſis & acetariis delectari ſolent, ut etiam acetum quandoque ſæpius maximo ſuo periculo hauriant, quando in graves ſpaſticas paſſiones incidunt. Et plerumque feminæ, inſtituto morborum ſcrutinio, fateri coguntur, ſe prima adoleſcentia vel etiam poſtea nimium acidis cibis indulſiſſe. Simili ratione in viris hypochondriaca affectio ex nimis acida & craſſa diæta atque intermiſſo motu corporis ac intempeſtiva animi fatigatione incunabula ſua agnoſcit, & nihil æque hypochondriacos offendere, quam acidum, uſus ac experientia, omni futili ſpeculatione ſuperior, docet. Novi quoſdam, qui a continuato acidorum vinorum abuſu hypochondriacum malum ſibi contraxerunt, tunicis inteſtinorum ab acido exceſſivo adeo corroſis, ut continuæ alvi dejectiones cum torminibus & flatulentibus eos nunquam non fatigarent: igitur & acidum exſuperans hypochondriacam affectionem progignit; ejuſque ſymptomata acerbiora reddit. Et notabile eſt, quod omnis generis etiam plane inſipida alimenta in hypochondriacorum ventriculo aceſcant, tum, quod primarum viarum fermentalis ſuccus acidiſſima celeri fermentatione non ſpirituoſum, ſed acidum reddat chylum, tum, quod, ob alvi officium retardatum, ingeſtorum maſſa diuturna mora fortem acorem contrahat.

25 Solet vero quam maxime acidum, prima in regione diutius oberrans, capiti eſſe noxium. Qua de re cum egregius locus apud Martianum in Hippocratem *pag.* 382. exſtet, placet ipſum inſerere: *acidum*

in ventriculo exiſtens vapores acres huc & illuc diffundit, quotidie obſervatur in iis, quibus acetum non eſt conveniens, quemadmodum etiam in illis, in quorum ventriculo cibi aceſcunt. Nam communiter talibus caput dolet, propter cerebri membranas, quæ ab acetoſo vapore pungunturtur, idque hujus humoris adeo proprium eſt, ut raro caput per conſenſum a ventriculo dolere invenias, quin acetoſa in eo conſiſtunt; &, qui epilepticis motibus ſunt ſubjecti, ſymptomatibus hiſce corripiuntur, cum acetoſa in ventriculo peccant: ita enim vomitationes ſubſequentes palam faciunt. Et ego obſervavi, quamplurimos podagricos ab eadem cauſa a doloribus corripi conſueviſſe, liberatoſque aut ſaltim mitigatos, ubi acetoſa evomuiſſent: taceo mulieres cum variis uteri ſymptomatibus conflictatas, quæ a vomitu acetoſorum e veſtigio liberabantur.

26 Solet vero acidum magna in copia primis in viis generari, primo ex nimio uſu acetariorum, dein ex potu liberaliori vinorum, quæ multum acidi tartarei principii ſecum ferunt, ut ſunt Rhenana, Moſellana, Franconica & Thuringica. Tum quoque frequentior fructuum horæorum uſus, ut prunorum, fragorum, ribium, berbetum, perſicorum, malorum, pirorum, uvarum copioſiſſimum acidum, tam in primam regionem, quam in ipſum ſanguinem invehit, ſiquidem hæc ipſa eminens acidum ſecum habent, quod maxime per fermentationem, quam in ventriculo ſubeunt, longe fit fortius. Id vero ructus, vomitus acidiſſimi, torſiones ventriculi & inteſtinorum, & albicantes feces ſatis manifeſto produnt. Accidit vero non raro a dulcibus & fructibus nimia copia ingeſtis, ex occurſu bilis acris, præſertim in cholericis, fermentatione adjuvante, tam corroſivam & cauſticam acredinem in ventriculo eique annexis inteſtinis generari, ut cholerica inde paſſio ſive creberrima ſurſum & deorſum dejectio cum periculo funeſtæ ventriculi inflammationis reſultet. Quoniam vero ab adſumto acido tanta ſæpius noxa obſervata fuit & contra ab iis, quæ ſubſtantia alcalina illud plane invertunt atque exſtinguunt, præſentiſſimum auxilium ſecutum fuit: hinc plures medicorum noſtris temporibus eo proceſſerunt, ut ab acido exſuperante & variis vitiis inquinato ferme omnium morborum cauſas deducere ac derivare anniſi fuerint. Aliivero, cum animadverterent nonnullos hominum, præſertim cholericæ conſtitutionis & vina acida & cibos aceto conditos & fructus horæos refrigerantes & ſubacidos impune ferre poſſe, omne acidum plane inſons & morbis inferendis minus idoneum nimis propere declararunt: ita ſemper, proh dolor! in medicina ab uno extremo in alterum dilabimur. Nos vero in hiſce dirimendis aſſerimus: omnino acidum & ſua natura corpori noſtro maxime eſſe infenſum, dum fluidos humores facile coagulat, poros conſtringit, ut viſcerum obſtructiones, excretionum retardationes & peſſimæ impuritates inde proveniant. Multo magis vero hoc ad noxam inferendam idoneum eſt, ſi phlegmatici & melancholici, & qui corpus motu non exercent & ſpongioſæ carnis ſunt, illud nimium aſſumant. Ubi vero motu ſanguinis tam inteſtino, quam progreſſivo intenſiori, copia partium ſulphurearum & bilioſarum in ſanguine eſt, corpus quoque juvenile & motibus ac laboribus adſuetum: tum utique acidum non tam facile nocebit, ut potius ad refrenandum nimium calorem medicinam præbeat. Atque adeo nihil perpetuum eſt in medicina, quod non reſpectu individuorum & circumſtantiarum ſit diſcernendum.

27 Conſideratis ac prævisis jam iis vitiis, quæ ex intempeſtivo acidorum uſu in corpus noſtrum redundant, nunc deſcendimus ad victum nimis durum, craſſum, ſalſum, quo non modo ex leguminibus panem groſſiorem, fabas, piſa, lentes, milium & quodcunque valentiſſimum habet alimentum, ſed & omnes carnes ſale conditas, induratas & infumatas, præſertim piſces marinos, comprehendimus. Duplici vero ratione is victus peccare videtur, primo propter copiam ſalis, deinde propter compactam, duriorem, qua ejuſmodi alimenta prædita ſunt, ſubſtantiam. Equidem ſal commune carnium & ciborum optimum eſt condi-

mentum, quando eorum digeſtionem egregie adjuvat, neque minus moderato ſuo ſtimulo omnis generis excretiones promovet: attamen ubi nimia quantitate ſumitur corpori non poteſt non eſſe hoſtile, ſiquidem nullum ſal ſanguinis vel partium ſolidarum corporis noſtri principia conſtitutiva ingreditur, ſed potius omne adſumtum rurſus emunctoria ſubire & per alvum, ſudorem, urinam penitus & plane debet excerni: id quod ſi minus obtingit, ſed remanens vitales ſuccos & maxime lympham temperatam & dulcem colluluat; tunc & humorum vitium & fibrarum læſio conſequitur. Qua de cauſa, qui nimium ſalitis veſcuntur, neque ea per emunctoria aperta convenienter rejiciunt; in ſalſas defluxiones, rheumatiſmos, dolores artuum & cutis exulcerationes, puſtulas, ulcera, ſcabiem, herpetem, lepram perquam facile incidunt.

28. Longe magis vero ſal nocumentum adfert corpori noſtro, quando ejus copia cum cibis duris, craſſi & viſcidi ſucci, quos ſupra commemoravimus, ingeritur, utpote hi, generando craſſum ſanguinem & ſerum, viſcerum obſtructioni multum velificantur. Nam facto impeditiore ſanguinis & humorum per vaſa curſu atque itinere, & obſtructis excretoriis vaſculis, multæ excrementitiæ ſordes ſalino-ſulphureæ impuræ in ſuccis remanent, quibus ſucceſſive & tota humorum maſſa inficitur, & ſolidorum textura læditur atque deſtruitur. Et hac ratione fit origo peſſimi iſtius, ſeptentrionalibus maxime regionibus & maritimis locis proprii & endemii, mali ſcorbutici, cujus tanta eſt tyrannis, ut non tantum plures nationes adoriatur, ſed ita corpus omneſque ejus partes deſtruat, ut vix una ſalva ac integra ſuo munere recte defungi poſſit. Fovetur autem quam maxime a victu ejuſmodi duro, craſſo, ſalino, cœlo denſo & humido, præcipue ſi corpora motu ac exercitatione carent & inſuper ſpongioſi fuerint habitus. Memoratu dignum eſt, quod in hoc malo ſanguinis etiam color mutetur, ut pote qui plumbeus & viridis ſolet eſſe, ſi e vena dimittitur, quod teſte Eugaleno *de ſcorbuto* certum hujus morbi, etiam plebis judicio, ſolet eſſe indicium, & quod obſervatur in omnibus craſſiori cibo utentibus & qui cum hoc morbo diutius ſunt conflictati.

29. Multum quoque ad impuritatem ſanguinis & humorum augendam facit creber uſus carnis ſuillæ, tam recentis, quam ſale conditæ. Etenim caro ſuilla, licet ſapidiſſima, non facile tamen ſine noxa adſumitur propter glutinoſam ac viſcidam, qua pollet, ſubſtantiam, qua facile noſtræ carni adſimilatur & nimium nutrit ac poros occludit. Nam conſtanter, qui humanas carnes inſcienter guſtarunt, referunt, quod porcinas ſapore fuiſſe putaverint, ut habet Fonſeca *de ſanitate tuenda pag.* 45. Solet quoque perſpiratio, teſte Sanctorio, ab eſu carnis ſuillæ impeditior fieri & omnes, qui vel ulcus vel vulnus in parte quadam ſolida habent, hujus carnis noxam mox percipere poſſunt. Sicuti vero & caro ſuilla & omnis dura, craſſa & ſalſa diæta maxime nocet iis, qui vitæ ſedentariæ ſunt addicti, parum bibunt, frigido aeri corpus objiciunt: ita ejuſmodi diæta iis, qui ipſi adſueti ſunt ventriculum habent robuſtum & labore corpus valide exercent atque humidum congruum debita in quantitate ſumunt, minus infenſa eſt, ut potius corpora duriora ac robuſtiora reddat.

30. Quia vero ex cibo valde viſcido, glutinoſo ac duro ejuſdem naturæ, nempe firmioris, ſanguis generatur, hinc non duntaxat illos, qui ex obſtructione emunctoriorum & impuritate proveniunt, morbos fovet, ſed & ad graves & profundas inflammationes ſeu ſtaſes ſanguinis, præſertim peripneumonias diſponit, quibus hac de cauſa ſeptentrionales populi & maritima loca incolentes & qui duro hoc victu & pane groſſiori gaudent, valde ſunt obnoxii. Tandem etiam ad glutinoſum ſanguinem & qui obſtructionibus & morbis ex impuritate favent, multum faciunt cibi farinacei ex farina ſimilaginea, triticea, ovis, ſaccharo, butyro præparati. Ii tametſi palato grati atque accepti ſint, nihilominus ad obſtructiones & infarctus viſcerum, & inde conſequentes morbos multum contribuunt. Exſtat hanc in rem egregius locus apud

Simon.

Simon Pauli *in quadripartito botanico pag. 483. in quotidiana*, inquit, *victus ratione, qui aſſiduo ſimilagineo pane veſcuntur, nec corpus laboribus validoque opere aliquo exercent, parum ſibi conſuluntſ, nam, cum palato morem gerunt, in varios morbos incurrunt, confeſtim enim illis jecur & lien obſtruitur, nephriticiſque doloribus corripiuntur, propter ſimilæ lentorem & dulcedinem, quibus confuſaneus panis magis conducit, ob furfuris enim miſcelam minus obſtruit, facilinsque per alvum ſecedit atque hæc eſt una ex præcipuis cauſis, cur ditiores & magnates aſſiduis calculi & podagræ doloribus vivant obnoxii*. Ceterum memorandum hoc loco eſt, quod panis calidus ex furno extractus & devoratus multum detrimenti adferat & novimus quaſdam feminas exinde flatulentas ventriculi & abdominis tenſiones, ut hypochondriacas & hyſtericas crederes, fuiſſe conſecutas. Et Simon Pauli *l.c.* meminit feminæ, quæ vix horæ ſpatio poſt lipothymia corripiebatur, dyſpnœa & tandem intra octiduum orthopnœa fuit jugulata.

31. Inter hæc quæſtio non minimi momenti occurrit: num dulcia, mellita, ſaccharata morboſa & corpori noſtro inimica ſint? noſtra hac de re ſic fert ſententia, quod ſicuti ſanis omnia ſunt ſana, ſic quando ipſos dulcia non tam facile lædunt, ſed per congrua evacuatoria rurſus e corpore expelluntur, inſontia ſint. Aliter vero ſeſe res habet cum corporibus infirmis, & quorum ventriculus ac digeſtio vitio laborat & primæ ſic dictæ viæ viſcidis ac tenacibus humoribus repletæ ſunt, ut ingens ibi fermentatio & aceſcentia reperiatur: ubi hæc ipſa nunquam utilia, ſed potius ſumme noxia obſervantur. In infantibus, quæ dulcia ſunt, generationi & nutritioni vermium admodum favent, &, quod ferum vitioſum reddant, vel ex eo intelligi poteſt, quod a nimio dulcium uſu dentes facile nigredinem & cariem contrahant. Præter ea experientia clarum eſt, quod dulcia jejuno ſumta ventriculo, appetitum deſtruant & vim digeſtionis infringant, manifeſto documento ſuccum illum fermentalem & menſtrualem, qui alimentorum texturam intime ſolvit, horum efficaciā multum debilitari. Et quod ventriculi ac inteſtinorum tonum dulcia ſolvere ac relaxare ſoleant, ex eo cognoſcitur, quod non tantum a nimio eclegmatum & pectoralium dulcium uſu ſenſus gravitatis in ventriculi regione enaſcatur, ſed & alvus nimis laxa ac fluida reddatur. Quapropter experientia non minus quam ratione ſuffultus Celſus *Lib. 2. Cap. 25. & 26.* prædulcia, mel quoque, mulſum & muſtum inter ea, quæ inflant, & quæ ſtomacho aliena ſunt, refert. Deinde cum omnia dulcia facile, ut notum eſt, in fermentationem abeant, hinc ſupra modum nocere ſolent iis, in quorum ventriculo acris & in acorem degenerans alimentorum fermentatio viget, ut fit in hypochondriacis & qui ſunt alvi adſtrictioris, ubi omnia fere ingeſta in liquamen acidum & corroſivum convertuntur. Quare illis dulcia nunquam convenire experientia indies comperimus, dum acidum ſemper ab horum uſu primis viis augetur, interdum non ſine cholericæ paſſionis metu atque periculo. Tum dulcium etiam exceſſus viſceribus non adeo amicus eſt, unde Celſus *Lib. 4 Cap. 14.* omnia dulcia inimica lienoſis pronuntiat. Et Oribaſius *Lib. 4. Cap. 23.* auctor eſt: omnia dulcia lienem & jecur obruere & ſcirrhum producere. Notum enim ex anatomicis eſt, quod hæc duo viſcera ex innumeris capillaribus vaſculis ſint conſtructa, quæ facile a ſanguine & ſero tenaci & viſcido coarctari & obſtrui poſſunt. Jam vero dulcia, ubi in prima regione non mutata, ſalva ſua textura ac ſubſtantiæ ſanguinem ſubeunt, propter lentorem, quo conſtant, non poſſunt aliter, quin humores glutinoſos & viſcidos reddant. Quo magis corpora ſpongioſa, phlegmatica, atque motu & exercitatione vacua a dulcibus læduntur & ad viſcerum infarctus, obſtructiones & chronicos morbos præparantur. Poſtremo illud unicum adhuc eſt memorandum, quod in morbis pectoralibus ex abuſu dulcium & eclegmatum, præſertim in phlegmaticis, ventriculi non minus, quam reliquorum viſcerum tonus ita lædi poſſit, ut ex tuſſi humida & aſthmate diuturno cachexia cum

pedum

pedum tumore œdematoſo, imo ipſe hydrops poſſit produci.

32. JAM tractationis quoque ordo poſtulat, ut de lacticiniis noſtram exponamus ſententiam, quatenus nempe ad morbos generandos concurrant. Lac alimentorum eſſe optimum & naturæ amiciſſimum vel ex eo colligi poterit, quod chylus, qui proxima materia ſanguinis eſt, lac ſit & lacte omnis generis animantia juniora, etiam ipſi infantes, quam optime nutriantur & membra teneriora non modo inde nutrimentum, ſed & primum robur accipiant. Solo quoque lactis uſu corpora firma ac robuſta reddi & conſervari poſſe, non nulli Helvetiæ populi id ſuo exemplo nos docent, qui ſolo lacte veſcuntur. At vero cum non omnium corporum ſive naturarum eadem ſit ratio, neque ventriculus eodem modo conſtitutus, lac vero facile in coagulum caſeoſum abire queat: hinc non omnibus etiam æque utile eſt. Sicuti vero lac iis, qui nimis fluidos & ſalſos habent humores, macilenti ſunt, & vaſa aperta habent, motu gaudent & febre carent, amiciſſimum eſt: ita omnibus repletis, pituitoſis, viſcerum obſtructioni obnoxiis, & qui ventriculi ſunt imbecillioris & copioſum acidum in eo fovent, inimiciſſimum eſt. Et quoniam ex ventriculi vitio, ejuſque ab acidis & corruptis humoribus infarctu, facile caput dolet, hinc rectiſſime HIPPOCRATES *Sect. V. aph. 64. Lac caput dolentibus & febricantibus & quibus præcordia murmurant, malum pronuntiat*, quocum convenit ORIBASIUS *lib. IV. Cap. XVIII.* dumait: *lac in iis, qui frigido ſunt ventriculo, acceſcit, in iis vero, qui calido ſunt, in nidorem tranſit, ex quo fit ut febricitantibus noceat*. Idem *Lib. III. Cap. XXV.* teſtatur: *lac renes calculo obnoxios lædere & jecur in diſpoſitis obſtruere*. Quare AETIUS *Lib. II Cap. XCII.* præclare monet, quod ii, qui lacte uti velint, latas debeant habere venas & apertos viſcerum meatus. Nocet vero lactis uſus maxime iis, qui calculo tam renum, quam veſicæ laborant, quia caſeoſa, quam lac continet, materia ad calculi concretionem non parum contribuere videtur. Et quod de lacte dictum eſt, id quoque intelligi debet de uſu ovorum, quæ omnino ſanis & robuſtis, & qui integrum habent ventriculum, optimum nutrimentum, ſi ſorbilia fuerint, præbent: nocent vero quam maxime corporibus repletis & ubi ventriculus ſcatet corruptis, viſcidis & acidis humoribus, ubi facile in corruptionem & coagulum abeunt, quare febricitantibus & hypochondriacis eorum uſus nunquam non malo & detrimento eſt. Et quemadmodum, ſecundum HIPPOCRATEM, *corpora impura quo magis nutriveris, eo magis læſeris*: ita etiam ventriculum, quo magis nutriveris, eo magis læſeris.

33. A cibis veniendum ad potum eſt, iſque vel aqua vel cereviſia vel vinum eſt. Sicut vero & corpora ratione temperamenti, ratione climatis & cœli, quo vivunt, ratione ætatis & diſpoſitionis ad morbos mirum differunt, ita etiam is vel ille potus magis vel minus ipſis conveniens eſt & corpus mutat in pejus vel deterius. Multum tamen hic facere conſuetudinem negari nullo modo poteſt, utpote quæ, ſi ſubita ab uno potu ad alterum fit mutatio, corpori raro ſolet eſſe proficua; ceterum aqua eſt convenientiſſimus omnium animantium potus, cavendum vero, ne dura, tophacea ac gravis in uſum trahatur, ſiquidem hæc calculorum generationi & viſcerum obſtructioni multum lenocinatur, eo, quod difficilius progrediatur & facile in anguſtis meatibus ſtagnet. Obſervatum ſæpius fuit, quod potus aquæ duræ & aſperæ & animantibus & hominibus pernicialis fuerit, de qua militiæ dediti luculentum edere poſſunt teſtimonium. Sunt vero maximæ duræ aquæ infeſtæ viſceribus inque primis lienoſo & vaſculoſo viſceri, in cujus minimis vaſculis, ubi hæret & ſtagnat, quam facile totum viſcus in ingentem tumorem attollit. Scrophulas maximæ molis a duris & aſperis aquis increſcere in certis montium tractibus, ubi tales fontes ſcaturiunt, conſtans eſt adſertio. Maxime vero omnium cavendum eſt a ſtagnantibus, paludoſis, putridis aquis, quæ non modo exhalatione prava & maligna aerem inquinant, verum etiam gignendis putridis morbis ac febribus aptiſſimę ſunt.

34. Ex

34. Ex genere vinorum alia ſunt vel dulcia vel acida vel valde ſpirituoſa. Ubi animadvertendum eſt, quod omnia dulcia plethoram augeant & parciori manu, ubi ſanguis eſt exſuperans, danda ſint; ſpirituoſa vero, dum nimium ſanguinem & humores commovent, calorem accendunt & bilem acrem copioſam ingenerant, progignendis hæmorrhagiis, febribus ardentibus, bilioſis, ſpaſmis, doloribus, præſertim arthriticis, item convulſionibus idonea ſunt. Quæ vero ſubtile acidum tartareum fovent, ut Rhenana aliaque, morbis ex acido & viſcido incrementum dant, unde calculi, podagræ, hyſterici & hypochondriaci mali generationem promovent, præſertim ſi jam fuerit ad hos morbos ingens in corpore diſpoſitio, alias ſi corpora ſunt ſana & fluxilia, tum bene tranſeunt emunctoria, nec facile, niſi exceſſiva quantitate, nocent, ut potius chronicas, quæ ab infarctu viſcerum fiunt, paſſiones, eorum uſus egregie avertat. Quæ vero ſulphure vaporoſo ſcatent vina, nervos debilitant, & ad omnes capitis morbos, torporem, ſomnolentiam, cephalalgiam, hemicraniam, paralyſin, epilepſiam viam præparant.

35. De cereviſiis id tenendum eſt, quod quæ nimio lupulo infectæ ſunt, caput feriant, dulces vero & non fermentatæ tonum relaxando flatibus torminibuſque inteſtina diſtendant. Nimium vero alimentoſæ plethoram adferunt, excretiones minuunt & viſcerum ac præſertim pulmonum infarctibus favent. At quæ valde ſunt ſpirituoſæ, iis qui ad ſpaſmos, dolores & febres ſunt proclives, minus conveniunt.

36. ILLUD vero in genere adhuc circa potum monendum eſt, quod eo frigido nihil ad morbos, eoſque celeriter procurandos, ſit præſentius, cumprimis ſi corpus ſudore diffluat & forti motu incaluerit, nihil enim tam cito abit in ſanguinem calidum, quam frigidum humidum, nihil etiam tam ſubito vaſcula viſcerum obſtruere & ſanguinem ac ſerum in motu & circulo ſiſtere idoneum eſt, quam frigidus. Et hinc veriſſime ſcribit CELSUS *Lib. I. pag. 28. illud noſſe oportet, quod ex labore ſudanti frigida potio ſit perniciosiſſima, atque etiam, cum ſudor ſe remiſit, itinere fatigatis inutilis eſt.* Ex potu itaque frigido liberalius in corpus calidum admiſſo repente ventriculi ac inteſtinorum funeſtæ inflammationes & ſphacelationes conſequuntur, quæ vel cito vel lentiori gradu, niſi mature medicina ſuccurramus, hominem internecioni dant. Hiſtorias eorum, qui aquæ potu perierunt, legere poſſumus apud MARCELLUM DONATUM *Hiſt. mirab. Lib. IV. Cap. VI.* Et certe nihil frequentius in praxi occurrit, quam quod, ſi primam morbi originem paulo accuratiori cura inquiramus, graviſſimæ chronicæ paſſiones, hecticæ, phthiſes, cachexiæ, ſpaſticæ & flatulentæ inteſtinorum afflictiones, in feminis æque ac in viris, item atrophiæ ex potu frigido celeriter hauſto prognatæ fuerunt. Quam maxime vero aquæ frigidæ potus femellis eſt noxius circa menſium negotium, quibus ſiſtendis nihil eſt aptius, ut perite JOH. LANGIUS *Lib. II. Ep. 51.* monet.

37. UTI vero corpori calefacto nunquam expedit frigidum potum copia ingerere: ita etiam illud noxium atque perniciale eſt, ſi in febribus, aut intermittentibus aut continuis, id fiat. Evenit hac ratione ſæpiſſime, ut adſumto copioſe potu frigido in intermittentibus hydropes, abſceſſus & pedum œdematoſi tumores inde fiant. In febribus continuis periculum eſt, ne ſingultum, vel etiam ventriculi inflammationem aut ſphacelationem producat. In quodam Comite, febre continua laborante, teſte *Foreſto Lib. I. Cap XV* copioſus aquæ frigidæ potus graves pectoris convulſiones induxit. Nocet vero frigidus potus porro maximopere ſenibus & omnibus imbecillis & tenuibus, item craſſis & valde obeſis corporibus, feminis, puerperis, gravidis, infantibus & qui doloribus ex calculo, colica & podagra laborant, quos affectus ſemper exacerbat.

38. VLTIMO loco de abuſu ſpiritus vini & liquorum ſpirituoſorum, qui aquæ vitæ nominantur, quædam dicenda ſunt. Quamvis etiam hic conſuetudo ſit altera natura ac ſpirituoſi potus adſuetis non

adeo

adeo nocere ſoleant, ſicut in Poloniæ & Ruſſiæ incolis cernimus, nihilominus experientiæ, optimæ veritatis magiſtræ, teſtimonio, nihil ex nocentibus potibus tantum detrimenti corporibus humanis adfricat, quantum a liberaliori liquorum ſpirituoſorum abuſu exſpectandum eſt. Quid enim naturæ ac fluiditati chyli & ſanguinis ipſo ſpiritu vini eſt inimicius? eo quod promte ipſis coagulum inducat atque adeo & chyli & ſanguinis elaborationem impediat. Et quando tenacem ac viſcidum producit ſanguinem, dum humidum abſumunt & ejus ſolidas partes coagulat, quid ad obſtructiones & meatus viſcerum occluſos adeoque ad cachexiam, ac phthiſin, hydropem, hecticam, atram bilem generandam aptius ſit, non invenio? Nocet quoque in omnibus viſcerum & capitis morbis & diſponit ad epilepſiam, cephalalgias, convulſiones, tremores. Hoechſtedterus *Dec. X. cap 6.* ſcribit: *quidam de aqua vitæ Matthioli copioſius bibit & is paralyticus factus eſt; alter, ſimili vitio laborans, apoplecticus, tertius, qui cacochymicus fuit ac podagricus, totius corporis pruritum ſentiebat ac laſſitudinem, cui ſyncopes, dyſpnœa ac tandem mors ſupervenit.* Quando corpora aperiuntur, quæ continuo ſpiritu vini uſa uerunt, neglectis carne aliiſque eduliis, tunc ventriculus, inteſtina, omniaque interiora contracta & rugoſa inveniuntur, hepar induratum, pancreas aridum, corpus exſuccum & bilis concreta viſitur.

39 Poſtremo ex cauſis non naturalibus, & quæ ad vivendi rationem ſpectant, maximum momentum in creandis morbis motus & quies, ſomnus & vigiliæ adferunt. Et ſicuti motus atque exercitatio corporis, circulum ac impulſum ſanguinis egregie promovet & excretiones, præſertim perſpirationem conciliat, ita nimia quies & vita ſedentaria ad plethoram morbos chronicos, viſcerumque obſtructiones viam parant ampliſſimam. Nimiæ vero vigiliæ corpus viribus exhauriunt & capiti maxime nocent. Ex quibus omnibus facile intelligitur, quod varium vitæ genus, quo homines utuntur, multum ad morbos producendos contribuat. Qui vitam ſedentariam agunt, ut profeſſores, ſtudioſi, monachi, itemque ſartores, ſutores, textores, nec non, qui in aere valde humido & vaporibus repleto degunt, ut fullones, olearii, balneatores, piſcatores, zythopeptæ, lotrices, ob fibrarum tonum relaxatum, circulum ſanguinis tardiorem, tranſpirationis defectum & ſeri impuri accumulationem, ad ſcabiem, ſcorbutum, capitis dolores, morboſque putridos, vermes, hæmorrhoidum fluxum præparata habent corpora. Qui vero ſe fortiter motu exercent, ut cantores, curſores, agricolæ, athletæ, bajuli ad inflammationes, phthiſin, hæmoptyſin, hæmorrhagias & aſthmata ſunt proclives. Quicunque aere fruuntur metallicis vaporibus repleto, ut vitriarii, inauratores, ſpecularii, pictores, figuli, ſtannarii, lapidicidæ, fabri murarii, gypſarii, ob ſpaſmodicam conſtrictionem nervoſarum partium facile in aſthma & colicam convulſivam, tabem, contracturam, paralyſin incidunt. Milites ob multas aeris injurias & mutationes tempeſtatem, quibus expoſiti ſunt, virium proſtrationem patiuntur, cutiſque tonum adeoque tranſpirationis negotium plane interrumpunt, unde morbis epidemicis, febribus caſtrenſibus, dyſenteriis & iis, qui ex tranſpiratione prohibita & corruptione humorum proficiſcuntur, ſunt obvii. Mulieres ſedentariæ vitæ addictæ, adfectus circa meſenterium ſpaſmodicos perſentiunt, eruditi ob nimium laborem & meditationem caput debilitant, hinc ſi morbos patiuntur, caput inprimis adfligitur.

40 Ex iis omnibus, quæ hactenus adduximus, clariſſime appatere arbitror non modo aerem, ſed & alimenta ſanum corporis noſtri ſtatum mutandi & morbos varii generis inferendi potentia eſſe inſtructa. Quo magis intelligitur, quam neceſſaria ſit rerum naturalium accuratior diſciplina cuivis, qui ſolide in artis operibus ſe exercere velit. Is enim maximam adhibere debet curam, ut ſecundum ductum Hippocratis ejus loci, ubi medicinam facit, ſitum, aeris, aquarum indolem atque naturam & victus ac vi-

vivendi rationem probe perſcrutetur, ſiquidem hac ratione non modo cognoſcet, ad quos peculiares morbos certæ regiones inclinent, ſed & medendi rationem certe multis locis peculiarem, nec non fundamentum corpora a morbis præſervandi inde trahet ac deſumet quam feliciſſime. Apparet quoque ex hiſce, quam male hi doctores ſacris medicinæ initiandis ſibi conſulant, qui ſolidam rerum naturalium ſcientiam nullius uſus ac fructus eſſe in medicina, ſine ulla ratione adſeverant.

DISSERTATIO V.

DE VINI HUNGARICI EXCELLENTE NATURA, VIRTUTE ET USU.

§. I.

QUum excellentem Hungarici inque primis Tockavienſis vini naturam virtutem & uſum exponere conſtituerim, plures fore arbitror, qui rem ab officio medici plane alienam me ſuſcepiſſe exiſtiment. Nam perverſa illa opinio plurimorum mentibus inhæret & præſertim vulgi animum irrepſit, a medico non niſi medicamenta, eorumque formulas & varias compoſitiones pharmaceuticas expectandas eſſe; vina vero & id genus alia inter alimenta magis eſſe referenda, quorum uſus ad medicum non adeo ſingulariter pertineat. Verum enim vero quum medicus, qui valetudini & tuendæ & inſtaurandæ præeſſe vult, omnia ea ex rerum natura, quæ ullo modo prodeſſe vel etiam nocere poſſint, ſcopo ſuo accommodare debeat; ex ipſius re omnino eſſe videtur, ut non tantum ex pharmacia, ſed etiam ex alimentorum genere & diætetico fonte ea meditationi & perquiſitioni paulo ſubtiliori ſubjiciat, quæ magnam vim & efficaciam tam in avertendis, quam ſanandis morbis atque in integritate corporis conſervanda poſſident, in quibus vinorum genera propter egregiam, quæ iis ineſt, virtutem & mirabilem operationem primum omnino ac principem locum obtinere, non eſt, quod amplius dubitemus. Atque ego quidem in hac ſum ſententia, medicum, qui aliquid ſolidi & laude digni in medendo præſtare velit, longe tutius & conſultius agere, ſi laborantibus auxilium ferat alimentis & præſidiis diæteticis, quam ſi ea ipſa ex medicamentis validioribus, magis activis & naturæ corporis humani non adeo amicis adhibeat. Nam ſi antiquiſſimorum & qui methodicæ imprimis ſectæ addicti fuerunt, medicorum monumenta conſulimus, hos ipſos ſuas curationes ex diæta petitis remediis maximam partem inſtruxiſſe deprehendimus. Nam inedia, abſtinentia, motu & exercitatione corporis, quiete, frictionibus, balneis, mutatione cœli & aeris, convenienti victu, aquarum & vini potu contra graves etiam & chronicas paſſiones non ſine inſigni ſucceſſu pugnabant, rariuſque medicamentis & rariſſime validioribus utebantur. Qua in re optimos hos artis magiſtros ac profeſſores nos hodieque ſequi & imitari debere perſuaſiſſimus ſum. Qua de cauſa nobilem hanc materiam de vini Hungarici natura virtute & uſu evolvere & explanare in præſenti conſtitui; ea inprimis ductus ratione, quum ejus uſum ubique jam invaleſcere magnique æſtimari videam.

2 Prius vero, quam excellentes vini Hungarici in corpore ſano conſervando & minus firmo, reſtituendo virtutes ante oculos ponam, hiſtoriam phyſicam de hujus vini ſolo natali, cultu & præparatione hoc loco prætexere commodum mihi videtur. Ampliſſimam Hungariæ regionem in inferiorem & ſuperiorem dividi, cuivis vel leviter rerum geographicarum gnaro non poterit eſſe ignotum. Utraque vinorum nobilium, imo optimorum feraciſſima eſt, quæ tamen, quum inter ſe non parum ratione indolis ac virtutis differant, ſingula breviter ſtrictimque conſiderare oportet. Quod attinet itaque ad Hungariæ inferioris diſtrictus, ubi vites coluntur & vina proveniunt, maxime Sopronienſis recenſendus

ve-

venit, qui vinorum eſt feraciſſimus, inter quæ tamen palma maxime tribuenda eſt iis, quæ in lacu Neoſidlenſi progignuntur, omnium ſane delicatiſſima. Nam ſoli hujus ingenium producendo optimæ notæ vino quam maxime accommodatum eſt. Siquidem hic locus multis montibus ſtipatur ſaxoſis, arenoſis, copioſa ſulphurea terra imprægnatis, e quorum etiam radicibus minerales aquæ ſubinde ſcaturiunt. Creſcit ibi generoſiſſimum vinum Goldbergenſe. Minori in pretio habentur vina eorum montium, qui ſolem occidentem reſpiciunt atque arborum multitudine veſtiuntur. Et tales quidem ſunt, qui in terris pago Wohndorff vicinis exſtant, quorum vina Goldbergenſibus multum ſunt inferiora, quoniam hæc terra non tam fœcunda eſt, limoque inerti ſcatet. Neque pagus circa Gros- & Klein Hoflingen prætermittendus eſt: atque hinc eſt, quod incolæ iis loco ordinarii potus utantur. Nam in genere hoc loco ſciendum eſt, pleroſque Hungariæ incolas minus frequenter vina generoſa & optima ad quotidianum uſum transferre, quum perpauci calidiſſima æſtate & qui corpus multo labore exercent, ſine ſanitatis offenſione ea ferre poſſint, præſertim tanta in copia, quanta ad ſitim levandam requiritur. Si vero utuntur generoſis admiſcendo aquam iis tale inducunt temperamentum, quod ſuæ quiſque valetudini proficuum arbitratur. Quem morem etiam coli videmus a reliquis gentibus, quas natura fautrix vinis valde generoſis inſtruxit. Nam & Hiſpani, Itali & Galli rarius illud merum hauriunt, ſed pro potu ordinario aqua admixta diluunt atque attemperant.

3 Ex inferioris Hungariæ vinis commemoratione digna ſunt ea, quæ trans Danubium in tractu Poſonienſi progignuntur, quorum nobiliſſimum habetur illud, quod in vicinia St. Georgii civitatis ex terra ibi valde lapidoſa editur, & duplex eſt; alterum ex uvis ſelectioribus & maturioribus expreſſum, ſaporis delicatiſſimi, vocatur Ausbruch, & caro admodum venditur pretio; quum illud, quod ex uvis non ſelectus vulgari modo præparatur, vilius habeatur. Poſtea vina, quæ natales ſuos ad terram Ruſtenſem & vicos Beſingen, Modern, Razenberg referunt, optimæ notæ ſunt, & ob ſalubrem uſum & præſtantem vim ab incolis pariter ac exteris magni æſtimantur. Vina Poſonienſia, & maxime id, quod vocatur Roſter, peculiarem in eo habent proprietatem, quod minus commode aeris liberiorem ac diuturniorem acceſſum ferre poſſint: mox enim inde colorem, qui ex aureo in brunum tranſit, nec non ſaporem ſuum mutant.

4 Accedimus jam ad generoſiſſima illa ſuperioris Hungariæ vina, quæ creſcunt in iis locis, quæ appellantur civitates ſubmontanæ, in comitatu Zemplenienſi ſitæ, quarum nomina ſunt Mad, Tolezua, Benye, Talya, Schadan, Kereſtur, Tarzal, Serenſch, & Tockay. Vina omnia, quæ ibi creſcunt, ſubmontana κατ' ἐξοχὴν Tockavienſia appellantur, quoniam in eo præjudicio mercatores verſantur, ut a popularibus fide digniſſimis accepi, vinum, quod circa Tockay provenit, reliquis ſubmontanis eſſe præferendum, quum tamen omnia fere ſint æqualia, utut non negandum ſit, quod ſpectans ad meridiem certa pars hujus promontorii, ex 600. paſſibus conſtans, excellentiſſimi vini genetrix ſit. Deinde celebris eſt ille diſtrictus vinearum in territorio civitatis ſubmontanæ Tarzal, qui ſe extendit in latitudine ad 3000. paſſus, in longitudinem vero circiter 9000. paſſus patet. Hæc duo loca ſibi vicina vocantur ber Buderberg, & quamvis hæc vina, in Bucterberg Tarzalienſi & Tockavienſi nata, habeantur præſtantiſſima, non tamen hujus vini adeo parva quantitas eſt, ut ſecundum vulgarem & uſu receptam opinionem Auguſtiſſimi Imperatoris menſę tantum inferviat, quum rex pręter unam vineam non poſſideat, cæteram autem vinearum partem comites, nobiles, harum civitatum incolæ, imo ruſtici in poſſeſſione habent. Præter hæc loca ſunt multę aliæ civitates hiſce vicinæ, in quibus vinum etiam valde potens ac generoſum, optimi ſaporis & egregiæ ſalubritatis creſcit, utut Tockavienſi & ſubmontano paulo inferius, cujus naturæ eſt, quod in vinetis Zackmarienſibus producitur. Nec

inglo-

inglorium eſt Miſchkotienſe, cujus præſtantia in famam dedit mediocre oppidum, Miſckotz dictum. Tockavienſium præſtantiam æmulari etiam videntur Tarnavienſia, & quæ circa Grosvvardein ſatis benigno ſolo educantur.

5 Propoſitis ſic vinorum inferioris & ſuperioris Hungariæ optimorum natalibus, ſequitur jam, ut de uvis earumque indole, quæ ſuaviſſimum hoc nectar proferunt, quædam inſeramus. Has fere omnes ſatis commode duas in claſſes diſpeſci poſſe exiſtimo, quæ quidem differentia maxime in Sopronienſibus & Poſonienſibus animadvertitur, quarum una uvas valde nobiles comprehendit. Inter illas eminent, quarum ſuccus ſaporis dulcedine delicatiori palato mirifice blanditur, & quas incolæ vocare ſolent Augſter-Muſcateller Mener, und Gengbutten. Grauben. Ad ignobiliores referendæ ſunt uvæ albæ & cœruleæ, quarum ſuccus non tanta dulcedine gaudet, ſed ſub æſtate non adeo fervida auſteri quippiam in lingua relinquit. Præſtantiſſimæ ſunt illæ uvarum ſpecies, quæ Augſter vocantur, & mutuantur nomen ſuum partim ab inſigni magnitudine baccarum, quæ ſæpius pollicem adæquat, partim etiam a tempore maturationis, quod plerumque in principium menſis Auguſti incidit. Nulla enim regio inferioris Hungariæ uvas tam cito & expedite maturat, quam terra Sopronienſis, maxime ea, quæ lacum Neoſidlenſem ambit. Hinc etiam Senatus Sopronienſis harum uvarum primitias quotannis primo die Auguſti Romano Imperatori offerre ſolet. Incolæ has uvas ſemipaſſas dicunt Mandele, iiſque utuntur loco paſſularum majorum, quarum ſaporem mira ſimilitudine exprimunt. Cæterum de hiſce uvis illud notari meretur, quod quædam ex illis baccas obtineant paulo minores, & quæ vix ſeminis cannabini magnitudinem ſuperant. Sed tamen earum parvitas generoſitati nihil detrahit, nam ſi ad maturitatem perveniunt, ſaporis ſuavitate non cedunt majoribus. Ad nobiles uvas, præſtantioris vini genetrices, pertinent etiam Moſchatellinæ, quæ nomen ſuum debent ſucco, quem alunt, delicatiſſimo, qui & ſapore & odore nucem moſchatam æmulatur. Magnitudinem præ ſe ferunt cocculorum orientalium & colore leviter rufeſcente tinctæ ſunt. Quod ex iis paratur vinum, germanice Muſcateller-Mein vocari ſolet. Ad has proxime accedunt eæ, quas dicunt Mener, vel Mepran-Meintrauben, quoniam ſucci, quem intus fovent, ſapor & odor herbæ majoranæ valde ſimilis videtur. Velantur baccæ tenui, tenaci tamen tunica, cui puncta nigricantis coloris interſperſa ſunt. Vinum præbent ſpiritu & oleo plenum palatoque gratiſſimum Sequuntur tandem uvæ, quas vocant Gensbutten-Trauben, quarum baccæ craſſa & virideſcente teguntur membrana, & formam habent papillis caprinis ſimilem. Succo abundant copioſo, qui maxime dulciariorum uſui inſervit.

6 Quod vero attinet uvas vilioris notæ, harum in numero ſunt albæ & pallidæ, quibus a tunica, qua veſtiuntur, pellucida & alba nomen obtigit. Succum fovent copioſum, ſubdulcem, virtute tamen debiliorem. Huic generi viliori etiam adſcribendæ ſunt rubræ ſeu cœruleæ, quarum proventus maxime in terra Sopronienſi & Budenſi exuberat. Nomen gerunt ab exteriori rubra ſeu cœrulea pellicula, unde vocantur die blaven oder rothen Mein-Trauben. Succus earum paulo adſtringens eſt & acidiuſculus.

7 Recenſitis jam variis uvarum, quas Hungaria ſuperior & inferior alit, ſpeciebus, proximum eſt, ut quomodo varia ex iis præparentur vini & muſti ſpecies, paulo clarius exponamus, præſertim, quum perpaucis hic conficiendi modus notus ſit, quem a fide digniſſimis popularibus accepimus. Primum & delicatiſſimum præparant ex uvis, quas vocant Augſter-Trauben, quod ab incolis vocatur eſſenz. Colligunt ſigillatim uvas, ultra conſuetum maturationis gradum excoctas & ſemipaſſas, quas etiam interdum, ſi ſolis calore non ſatis ſiccatæ fuerint, mitiſſimo furni calori committunt, ut magis flacceſcant, eaſque a racemis revulſas torculari ſubjiciunt, cujus forti preſſione ſuccus elicitur, nectaris ſuaviſſimi æmulus, qui exacto deſpumationis tempore vinum præbet generoſiſſimum, oleoſum,

quod

quod diu dulce manet & ſpatio unius anni demum defecatur, caroque venditur pretio & magnatum menſæ inſeruit, quod mercatores pro aliis vinis perficiendis emunt. Secundum genus dicitur Ausbruch, quod paratur ex uvis nobilioribus invicem collectis, ex quibus, ſeparatis racemis, torculari identidem exprimitur ſuccus dulciſſimus, cui poſt aliquot dies fervefacto adjiciunt uvas ſemipaſſas, ita fervente muſto dulcedo uvarum paſſarum extrahitur; vinum fit dulciſſimum, oleoſum, ſaporis gratiſſimi, cujus dulcedo valde diu immutata durat. Tertium genus eſt, quod conficitur ex puro muſto nobilium uvarum, quod fermentatum dat vinum valde ſpirituoſum, minus dulce, limpidum. Sequitur poſtea quartum genus, quod ex diverſis uvarum ſpeciebus, nobilibus & ignobilibus, parant, & ſic muſtum copioſum acquirunt, quod peracta fermentatione vinum præbet mediocre, quod nec nimis aquoſum, neque etiam nimis generoſum aut dulce eſt, præſtantia tamen vino Rhenano palmam dubiam reddit. Ex vilioribus pallidis parant muſtum, quod fermentatum cedit in vinum cibarium, quo maxime incolæ utuntur, quoniam liberalius hauſtum non adeo facile ebrietatem inducit. Ex rubris ſeorſim etiam parant vinum, dum ſuccus ex contuſis uvis exprimitur, qui rubris pelliculis per aliquot dies ſtat ſuperfuſus. Ex muſto fit vinum rubrum, ſaporis quodammodo adſtringentis. Hæc omnia vina quo diutius ſervantur, eo præſtantiora fiunt & fortiora, & odore quodam naturali & proprio prædita ſunt.

8 Vera ſic & ſpeciali vini Hungarici hiſtoria deſcripta, liceat nobis jam in peculiares vites, proprietates ac virtutes eorum inquirere, quibus ab aliis vinorum generibus diſtinguuntur, eorumque, quæ in ſupra memorata hiſtoria continentur notabilia, genuinas rationes invenire ac reddere. Primo vero omnium eſſentiales hujus vini characteres & notæ enumerari merentur, quæ ſunt primo, quod hæc vina præ omnibus aliis valde ſint ſpirituoſa; ſecundo, quod quædam, præſertim generoſiora, ut fere ſunt die Eſſentz und der Augbruch, diutius ſervent ſuam dulcedinem, alia vero non ita: tertio, quod peculiari aromatico odore & ſapore prædita ſint: quarto, quod vim habeant diaphoreticam, roborantem, & liberalius etiam hauſta nullum dolorem in capite vel languorem in artubus relinquant, ſed potius totam corporis naturam roborent: quinto, quod generoſiora non vappam contrahant, atque in vitris clauſis optime per multos annos conſerventur.

9 Primum itaque diſpiciendum venit, unde tanta vini Hungarici, præſertim quod in ſuperiori tractu creſcit, excellentia dependeat, ut plurimorum, Italici etiam, Hiſpanici & Gallici vincat præſtantiam: quod vero in inferiori Hungaria provenit, Germanicis omnibus palmam reddat dubiam. Cujus rei cauſam altius inveſtigare, non adeo difficile vel operoſum erit, ſi conſiderate ac diligenter nobiſcum reputemus, Hungariam regionem eſſe ita a natura comparatam, ut omnibus iis præſidiis inſtructa ſit, quæ ad generoſi ac potentis vini eſſentiam unice requirnntur. Sita eſt fertiliſſima hæc regio in illo orbis terrarum ſpatio, quod gradu elevationis poli quadrageſimo & quinquageſimo deſcribitur, imo poſita eſt in ejus medio, quod tabulas geographicas vel leviter inſpicienti in oculos incurrit. Jam vero perpetuæ obſervationis res eſt, certoque experientiæ ſuffragio compertum habemus, has regiones, quæ intra quadrageſimum & quinquageſimum gradum elevationem poli habent, vinis nobiliſſimis progignendis maxime eſſe idoneas. Nam ſi univerſam Europam per omnem ambitum uſque ad ejus fines perluſtramus, oculorum ſane judicio conſtat, hanc lætiſſimam cœli regionem ſibi ſubjectam habere Portugalliam, Hiſpaniam, Galliam, Italiam, magnamque partem Germaniæ, Auſtriam, Styriam, Carinthiam & fere totum tractum Rhenanum, Hungariam, Tranſylvaniam & eximiam partem Græciæ, quas terras, continuo & cohærente tractu exporrectas, vina omnium præſtantiſſima proferre animadvertimus. Cujus rei ratio non abſtruſa videtur; nam ſub hac poli elevatione ſitæ terræ fœcunditate fere omnes ſuperant; propter maximam temperiem, qua

gau-

gaudent, quæ omni propagationi, fœcunditati & augmento eorum, quæ e terra naſcuntur, eſt accommodatiſſima. Hæc vero conſiſtit in abundantia ſubtilioris humiditatis & efficacia caloris ſolaris: illa ad nutritionem & augmentum, hæc vero ad creſcentium rerum perfectionem, coctionem & maturitatem confert. Eſt enim hiſce in regionibus efficacior ſolis operatio, quam in reliquis, quarum ſitus in ſeptentrionem declinat, quæ parciſſimo ſolis calore foventur.

10 Ea nimirum in varianda vinorum indole ſolis vis eſt & efficacia, ut in reliquis cauſis, quæ ad nobilitandam & exaltandam eorum virtutem conſpirant, primum ac principem locum tueatur. Quemadmodum enim ejus calor univerſale quaſi naturæ inſtrumentum eſt, quo in augmentandis & perficiendis vegetabilibus utitur, quo fœcunda reddit animantia, eorumque vitam cuſtodit: ita maxime ejus calor paulo penetrantior in excoquendo & dulcificando uvarum acido ſucco fere omne fert punctum. Sol enim paulo altior & perpendiculariter poſitus aeris & ætheris fluidum in vorticoſum & celerrimum motum abripit, & nobiliſſimum nutricium ſuccum ita attenuat atque expandit, ut tenuiſſima radicum ora ſubire poſſit. Deinde eundem, oſtiis radicum ſuſceptum, per anguſtias filamentorum & tubulorum, quibus vitium compages contexta eſt, vi propellit mirifica, ejuſque progreſſum ad diffuſas racemorum propagines inſigniter adjuvat. Denique etiam ſuccum intra uvarum folliculos collectum amplius reſolvit, torquet, attenuat, pleniusq; elaborat ac perficit, ut tandem ſublata cruditate plane dulceſcat. Quo fortior itaq; ſolis eſt in ſuccum vitium nutritioni deſtinatum operatio, eo perfectiorem eum fieri nullum eſt dubium. Patet ex hiſce facile ratio, quare in regionibus, ſeptentrioni valde vicinis, uvæ non facile dulces fiant & matureſcant, nec vinum generoſum ibi poſſit produci, & cur ſub æſtate frigidiuſcula vina debilia, acida & languida, ſub æſtate autem calidiori generoſa & ſpirituoſa evadant.

11 Neque vero ſolus calor ſolis, licet ſit ferventiſſimus, progignendis optimis vinis aptus eſt. Adſpiciamus jam tantummodo eas regiones, quæ intra trigeſimum quintum & decimum quintum elevationis poli gradum ſitæ ſunt, in quibus Barbariam, Lybiam Indiamque hoc loco nominaſſe juvat, quibus intenſior ſolis æſtus graviter incumbit. Nihilominus ibi admodum rarus vini eſt proventus, aut ſi quæ proveniunt, non tanta excellunt virtute, quantam ea obtinent, quæ ſub temperatiori cœli ingenio naſcuntur, cui Hungariam aliaſque regiones ſubjectas eſſe commemoravimus. Neque deficit ratio: nam calidiſſimis hiſce in regionibus rarius cadunt pluviæ, & ſi cadunt, per multos menſes continuant, graveſque fiunt inundationes, quibus irrigatæ terræ quandam fœcunditatem concipiunt. Jam vero inter omnes conſtat, potiſſimum eſſe pluviales aquas, quæ vegetantibus, maxime etiam vitibus, genuinum pabulum & nutrimentum præbeant; ſi itaque eæ deficiunt & vites convenienti nutrimento defraudantur, hæ ſolis vehementiori calore quaſi torrefiunt: ſi vero pluviæ adſunt continuæ, deficit æſtuans ſolis calor, neq; etiam nimia humiditas fœcundationi & perfectioni vegetabilium idonea eſt, ſed potius humiditatis & caloris temperamentum ad eam requiritur. Quapropter in lucis temperatæ zonæ ſubjectis, ubi temperies caloris & humiditatis non deficit, omnes plantæ, vegetabilia & vites optimos ferunt fructus. Quare etiam non mirum eſt, Hungariam fere omnes regiones fœcunditate ſuperare & optimæ notæ proferre vinum. Regio quidem hæc torquetur ſæpius certis temporibus, imprimis interdiu, incredibili calore, qui incolis multam creat moleſtiam. At diem calidiſſimum nox ſequitur paulo frigidior, qua ſub forma roris aqua in forma vaporum in atmoſphæra contenta & ſolari calore valde attenuata deſcendit, qui totam terram mira fœcunditate imbuit, atque in vitium ſanguinem & ſuccum convertitur.

12 Neque vero ſolus eſt cœli calidioris favor ſoliſque benignitas, cui adſcribi debeat vini Hungarici excellentia,

ſed etiam in ejus ſocietatem venit ipſius ſoli natalis indoles & conditio. Nimirum ad generoſioris vini efformationem non ſufficit blandum cœli ingenium, niſi conſpiret conveniens terræ temperamentum, & quo ingens vinorum differentia proficiſcitur. Quemadmodum enim frumentorum ſemina, licet etiam vegetiſſimum ſolis calorem experiantur, lætam in meſſem ægre effloreſcunt, niſi opportuno ſolo excipiantur: ita etiam ad efficiendam vini præſtantiam ac nobilitatem parum valet convenientiſſima cœli inclinatio, niſi a favorabili terræ genio ſecundetur. Quando autem vividior ſolis operatio ſolique opportunitas conveniunt, admirabilem ſane in amplificandis vini dotibus exſerunt efficaciam. Ante omnia igitur illud animadverſione dignum eſt, quod nobiliſſima Hungariæ vina, quæ maxima in celebritate ſunt, & reliquarum virtutem longiſſime exſuperant, naſcantur in ſummis montium jugis, ſolem orientem vel meridianum reſpicientibus, inque fluviorum confinio poſitis, quorum etiam terra admodum arenoſa & copioſo ſulphure imprægnata eſt. Hæc autem locorum poſitura, hæc ſoli indoles ita omnino comparata eſt, ut generoſiſſimo vino perficiendo quam maxime inſerviat. Primo enim ſcire oportet, montes altiſſimos, quorum facies in orientalem vel meridionalem plagam directa eſt, vini feraciores eſſe aliis locis humilioribus vel etiam montoſis, quorum ſitus ad ſolem occidentem propius accedit. In illis aer ſpirat puriſsimus, nulliſque peregrinis effluviis contaminatus, illi ab omni ventorum ſeptentrionalium injuria immunes ſunt, dumque præruptis jugis vividiores ſolis radios excipiunt & verſus ſe invicem reflectunt, calorem augent, conceptumque diutius retinent. Aer autem purus, vegetus & ſolis calore extenuatus ſucco nutritio uvarum ſe intime miſcet atque inſinuat, ipſique ſubtilitatem & quandam ſpirituaſcentiam conciliat, vinaque maxime ſalubria reddit, ut promtius minimos etiam corporis humani tubulos tam ſecretorios, quam excretorios tranſeant. Subtile & æthereum hoc principium vinis admixtum efficit in partibus noſtri corporis ſolidis quoddam robur ac vigorem, ut ſanguinis & humorum circuitus facilitetur. Nam tenuiſsimum & æthereum hoc elementum quo majori in copia liquidis & potulentis ineſt, eo majori ſalubritate ea aliis præſtant, quod ipſis etiam in aquis animadvertimus fontanis, maxime vero mineralibus, acidulis, thermis, quæ efficaciam ſuam in medendo & a ſalibus & maximam partem a principio aereo æthereo, quod accedente vel levi calore vel motu bullarum copioſiſsimarum auctor eſt, quæ vitri parietibus adhærent & foras erumpunt. Quo ſpirituoſo principio ſi grivatæ fuerint, longe interiores evadunt, & ſaluberrima earum virtus multum elangueſcit. Præterea & aer purus ac defœcatus & ſolis æſtus efficacior in cauſa eſt, quare omnia ea, quæ in editioribus & montoſis locis ſuccreſcunt ac germinant, & teneriori habitu & nobiliori virtute ſplendeant, quam quibus ſolum natale humilius valdeque depreſſum & planum obtigit. Plantas in montibus & altioribus locis creſcere ſaluberrimas, roborante & aperiente virtute præditas, artis medicæ periti optime norunt. Frumenta, quæ ibi naſcuntur, tenuiori cortice eſſe donata, ac meliorem & copioſiorem farinam dare, fœnum quoque & gramina ad nutrienda jumenta & nobilius lac præbendum eſſe aptiſsima, in re œconomica verſatis perquam notum eſt.

13 Ego vero hoc loco & occaſione egregium illud argumentum, quod videlicet ad præſtantiora vina generanda loca montoſa & declivia, & ubi in eorum radicibus flumina feruntur, ſint aptiſsima, paulo explanatius evolvendum eſſe arbitror. Nam ſi locâ natalia eorum vinorum, quibus naturæ benignitas Germaniam noſtram fortunavit, conſideramus, obſervare licet, nobiliſsima vina in tractibus montanis, maxime ſoli orienti vel meridiano oppoſitis, circa flumina, quæ infra tranſeunt, prognaſci, & aliis etiam propter nobiliſſimam virtutem vulgo proferri. Ecquis enim neſcit, in Franconia Wirtzburgenſe, Wertheimenſe,

ſe, Klingenbergenſe, quæ omnia in montibus Moeno vicinus proveniunt, ceteris eſſe ſuperiora? Quorſum etiam ſpectant vinum Nierenſteinenſe, Hochheimenſe, Muchelbachenſe, Cocheimenſe, quæ non procul a Meni fluvio producuntur. In montibus circa fluvium Rheni poſitis prodeunt Bacheracenſe, Rudelsheimenſe, Laubenheimenſe, Johannesbergenſe & hujus generis plura. Circa fluvium Moſæ quæ creſcunt, ex his celebrantur Duſemundenſe, Selleri; circa fluvium Kocher proveniunt etiam nobiliſſima Neccarina; in montibus, quos transfluit fluvius Albis, optima vina, quæ ſuppeditat Bohœmia & Miſnia, proferuntur. Eodem modo res habet cum vinis Auſtriæ, quorum præſtantiora in locis montanis circa Danubium exſtant. Patet hinc etiam ratio, quare vinorum circa lacum Neoſidlenſem optimorum ſit proventus, & loca illa ſuperioris Hungariæ ſubmontana, ubi generoſiſſimum & Tockavienſe vinum abundat, ſuperius enumerata, in confinio fluviorum præſertim Teyſſe poſita ſint.

14 Sequitur jam, ut hujus ſalubritatis & excellentiæ vinorum, quæ in montibus fluviis vicinis producuntur, cauſas, & quare in locis planis & humilioribus non tanta bonitate gaudeant, inquiramus. Nos in ea ſumus ſententia, præſtantiam & ſalubritatem vinorum præter ſolis efficaciam etiam nutrimento vitium teneriori & ſubtiliori deberi. Quum vero omne plantarum alimentum ex aqueis & tenuioribus ſulphureis pinguibus partibus ſit compoſitum, facile inde judicare licet, quæ ad ſubtilem reddendum nutritium ſuccum & præbendas particulas aqueas ſulphureas pingues tenuiores, levioreſque conferunt, ea etiam ad nobilitatem & ſalubritatem vinorum præſtandam eſſe aptiſſima. Jam vero quum montes expoſiti ſint nocturnis roribus, qui circa confinia fluviorum ſunt abundantiſſimi, & ſubtiliſſimam & æthereo principio intermixtam aquam fovent, non mirum eſt, rorem optimum eſſe nobiliſſimarum vitium nutrimentum. Fatendum quidem eſt, rorem nocturnum per ſe ad nutriendas vites non ſufficere, ſed pluviæ ut accedant neceſſe eſt, quæ plenius nutrimentum toti vitium compagi afferant. In eo tamen poſita eſt differentia, quod copioſæ pluviæ, in locis planioribus collectæ & diu ſtagnantes, ſitum & putredinem contrahant, valdeque craſſum & impurum nutrimentum reddant. Ubi vero poſt humectationem terræ, quæ vites alit, citius delabuntur, nulla harum ſtagnatio, nulla corruptio locum invenire poteſt.

15. Diximus etiam ſupra, ipſius ſoli naturam atque indolem diverſam multum facere ad differentis vini, nobilioris vel ignobilioris, proventum, quod jam plenius & accuratius evolvendum erit. Conſtat nempe ipſius experientiæ & oculorum teſtimonio, nobiliſſima vina, ubicunque terrarum creſcant, natale ſolum habere terram non valde pinguem, craſſam, lutoſam, nigram & viſcidam, ſed potius ſaxeam, arenoſam, calcaream, vel ſciſſilem lapidem. Videtur quidem primo intuitu ejuſmodi terra valde infœcunda & ſterilis, & progignendis ac fœcundandis plantis & fruticibus minus idonea; ſed tamen res aliter habet cum vitibus, quæ ſi nobiliſſimum ſuccum ferre debent, utique talis terræ indoles huic rei aptiſſima eſt, & quidem eas ob cauſas, quia arenoſæ, calcareæ & ſaxoſæ ejuſmodi terræ diutiſsime retinent ſolares radios, qui hic concentrati radices blando ſuo calore fovendo efficiunt, ut nutrimentum per omnes ejus poros facilius tranſeat. Deinde dum per hujus generis terras quaſi per filtrum humiditates & pluviales aquæ tranſmittuntur, has ipſas non modo attenuant, inque minimas partes diſſolvunt, ſed & craſsiores & rudiores partes ſeparant ac detinent, ut longe ſubtilior ſuccus nutritius evadat. Ubi tamen notandum venit, quod ejuſmodi terræ vinarum & montium ſimo & ſtercoracea materia ſingulis fere tribus vel quatuor annis probe imbui debeant. Nam hæc ipſa utique pingue & ſulphureum principium, ſine quo nulla ſit fœcundatio, ſuppeditant; ſed tamen ad purificationem & ſubtilitatem etiam hujus ſulphureæ & oleoſæ materiæ ſolum arena-

ceum & calcareum multum confert. Ubi vero terræ ſunt valde pingues, lutoſæ & viſcidæ, ibi nec depurantur ſatis aquæ pluviales, nec ſulphur ſoli ſatis ſubtile redditur, ſed integrum & minus defecatum canales & poros plantarum ac vitium ſubit.

16 In diverſiſſima igitur ſoli natura, & quidem non ſine ratione, diverſi ſaporis, quo vina prædita ſunt, eorumque ſalubritatis & inſalubritatis cauſas poſitas eſſe exiſtimamus. Neque enim ignotum eſt, mirifice inter ſe ratione ſaporis & odoris differre vina Rhenana, Franconica, Hungarica, Moſellana & alia etiam aliis eſſe ſalubriora; quam differentiam ſolo natali ſi quis adſcribere velit, is utique non multum errabit. Dici enim vix poteſt, quam diffidens planeque diverſa ſit natura atque indoles ſoli & terræ, quod vel ex colore, odore, textura, conſiſtentia, poroſitate, craſſitie, imo ex deſtillatione aliisque laboribus mechanicis & chymicis ſatis ſuperque cognoſcimus. Mirum itaque eſt, quod vineæ, quæ habent eundem ſolis adſpectum, quæ etiam in ejuſdem altitudinis montibus poſitæ ſunt, & ejuſdem generis vites alunt, vina tamen ratione præſtantiæ, ſalubritatis, ſaporis ac penetrantiæ admodum diverſa proferant. In cujus rei illuſtrationem ut ſaltem unicum adducamus exemplum, notum eſt, vina, quæ circa pagos Hochheim, Kochheim & Caſſel, e regione urbis Moguntiæ producuntur, naſci ex unius generis vitibus, quæ etiam eodem modo tractantur, eodemque prorſus ſole foventur; nihilominus præſtantia mire inter ſe differunt, ut longe etiam cariori pretio Hochheimenſe præ Kochheimenſi & hoc præ Caſſellano ematur. Quum vero nihil fiat ſine ratione, valde credibile eſt, hujus differentiæ cauſam referendam eſſe ad ſoli diverſitatem, quæ non adeo aperte in ſenſus incurrit. Et quum etiam vinum Hungaricum ratione ſaporis & odoris aliquid habeat præ aliis vinis peculiare ſibique proprium, & ſpiritus etiam ex iis deſtillatus ſaporem & odorem exhibeat ſingularem, nullum ſane dubium eſt, quin hoc ſoli natalis peculiari naturæ ſit adſcribendum.

17 Accedimus jam ad virtutem vini Hungarici, præſertim Tockavienſis, explicandam, quæ etiam quodammodo peculiaris eſt. Nam plura vinorum genera dantur, ut Rhenana & Moſellana, quæ virtute diuretica & alvum ſolvente eminent. Hungarica vero diaphoretica, imo ſudorifera virtute præ omnibus aliis excellunt quod quiſque ſanus homo experiri poterit. Nam ſi quis illud paulo liberalius atque etiam ad ebrietatem uſque hauſerit, mane totum corpus ſudore diffluere obſervabit, ſi modo vinum bonæ notæ & purum fuerit. Quemadmodum vero liberior tranſpiratio & ſordium in corpore ſuperfluorum excretio, quæ per corporis corticem, nempe cutim fit, omnium excretionum eſt præſtantiſſima, quoniam totum corpus & univerſam ſanguinis & humorum maſſam a ſordibus depurat; ita vina diaphoretica ſaluberrima eſſe, quilibet facile judicabit. Liberior enim & vel ad ſudoris eruptionem aucta tranſpiratio intenſiorem & expeditiorem ſanguinis motum ſequitur, cordiſque & partium ſolidarum ſanguinem impellentium, robur ac vigorem indicat, quod utique ad tuendam valetudinem, eamque a morborum cauſis atque inſultibus præſervandam plurimum valet.

18 Præterea vinorum Hungaricorum ſalubritas eo manifeſtatur, quod nullum fere acidum in ſe cuſtodiant, neque illud in primis viis relinquant, quemadmodum omnia fere Germaniæ vina id faciunt, adeo, ut ab iis omnes, qui imbecillem habent ventriculum, qui affectu hypochondriaco laborant, & ubi alvi eſt ſegnities, plane abſtinere debeant. Quam nocivum vero ſit acidum, ex alimentis in corpore relictum atque ad maſſam ſanguinis traductum, res jam ſatis clara & inter medicos deciſa eſt. Quis enim neſcit, eam eſſe acidorum indolem, ut tunicas nerveas ventriculi & inteſtinorum arrodant, extractum ex alimentis ſuccum præcipitent, alvum conſtringant, ſanguinemque & reliquos humores ad craſſitiem, ſpiſſitudinem & coagulum diſponant, & arthritidis, rheumatiſmi, calculorum frequentiſſimam cauſam con-

conſtituant, in fœminis vero, dum ſaluberrimum menſium fluxum retardant, innumeris malis, quibus affligi ſolent, occaſionem præbeant, quæ omnia a vinis Hungaricis non exſpectanda ſunt incommoda. Alia vina, ſi deſtillantur, præſertim quæ in Germania proveniunt, tertiam circiter partem ſpiritus inflammabilis præbent, tres vero ſui partes in cucurbita relinquunt, ſaporis valde acidi & auſteri. Hungarica vero vina, quæ fermentationem ſubierunt generoſiora fere dimidiam partem ſpiritus vini grati odoris exhibent, dimidia parte relicta ſubaeidi dulcis ſaporis. Vina autem generoſiora, oleoſa & dulcia ſuperioris Hungariæ, item der Dusbruch, non quidem tantam copiam inflammabilis ſpiritus ſuppeditant, ſed præter phlegma inſignem copiam magmatis viſcidi dulcis præbent, quod ſiccatum & igni injectum flammam concipit.

19 Ex his elementis & ingredientibus vini Hungarici jam expoſitis quiſque peritus medicus facile judicare poterit, quas alat in medendo virtutes, quibus corporibus, ætatibus & temperamentis conveniat, & quibus in morbis uſurpari poſſit. Qua de re etiam, ut ſcopo noſtro medico ſatisfaciamus, paulo fuſius & diſtinctius agendum erit. Diximus in ſuperioribus, ipſa vina Hungarica diverſis modis præparari, & inter ſe quoque ratione nobilitatis differre, hinc etiam virtutes ſingulorum non eſſe eaſdem, ſed differentes facile apparet. Nonnulla enim valde generoſa & dulcia ſunt, ſuamque dulcedinem diutius ſervant. Alia ſunt tenuiora & ſpirituoſiora, minoris dulcedinis. Dulcia maxime ſunt recentia, & quæ in Hungaria ſuperiori ex nobiliſſimis uvis proveniunt. Sed placet hoc loco, priuſquam ulterius progrediamur, ante omnia inquirere, quare vina Græca, Hiſpanica, Italica, aliaque in regionibus calidioribus, etiam ex uvis optimis parata, dulcia non diu retineant ſuam dulcedinem, ſed eam mox deponant, ita ut vel in fortia aceta degenerent, vel in valde ſpirituoſa vina convertantur; vina vero Hungarica, præſertim quæ ex urbibus ſubmontanis ſuperioris Hungariæ ad nos veniunt, & quæ vulgo dicuntur Dusbruch, eam diutius ſervent. Etenim omnia muſta, ſive ſucci ex uvis recenter expreſſi ſingulari dulcedine linguam afficiunt, quæ tamen mox poſt fermentationem perit. Deinde omnia muſta deſtillata parum vel nihil dant ſpiritus inflammabilis, poſt fermentationem vero, quum jam omnis fuerit finita, multum ſpiritus phlogiſti exhibent, acido & tartareo phlegmate remanente. Quare vero vina Hungarica non ita deponant ſuam dulcedinem, ſed eam ſervent, & cum vetuſtate generoſa evadant, res ſcrutinio non erit indigna.

20 Supra jam memoravimus, diverſis modis tractari & præparari vina Hungarica; ex qua peculiari tractatione erit etiam petenda ratio durantis illius dulcedinis. Nam ubi ſuccus ex uvis nobilioribus & maturis ſemi paſſis & exſiccatis elicitur, qui eſſentia dicitur, diutiſſime manet dulcis. Deinde quando muſto ſubdito calore ferventi immittuntur uvæ paſſæ vel aliæ adhuc recentes, dulcia identidem vina emergunt, quorum dulcedo diutiſſime durat. Quæ vero non ex ſiccatis uvis vel ex muſto fervefacto proveniunt vina, ea utique, non ſecus ac alia vinorum genera efferveſcentia, gratum ac dulcem ſuum ſaporem amittunt, idque etiam fit in noſtris regionibus. Nam ſi quis muſta recentia calori vel igni admoveat, ut ex parte ebulliant, quemadmodum additis herbis, vina v. g. cochleariæ, enulæ, abſinthii, meliſſæ parantur, non amplius ita efferveſcunt, ſed dulcedine diutius linguam afficiunt. Eadem encheireſi in inſulis Canarienſibus vina, quæ dicuntur Deſt, item Hiſpanica, vina de Tint, de Alicante incolæ parare ſolent. Cauſa igitur durabilis illius dulcedinis non eſt a natura, ſed dependet ab artificio, ab igne nempe & calore, qui hunc peculiarem effectum producit, quod fermentationis actum prepediat, qua unio dulcium diſſolvitur ac deſtruitur, ingenſq; mutatio ipſi muſto ratione qualitatis inducitur. Fermentatio vero eſt nihil aliud, quam motus inteſtinus aeris & ætheris partiumque aquearum in muſto contentarum, qui partes, quę

mixturam dulcium corporum conſtituunt, diſſolvit, particulaſque acidas et ſulphureas terreaſque, quę inter ſe commixtæ dulcedinem formant, a ſe invicem ſeparat, adeo, ut acidum incipiat in ſulphureum ac terreum principium agere, unde fit ebullitio, ſpumeſcentia et evaporatio partium ſulphurearum, nec non partium craſſiorum terrearum in fundum dejectio: qui motus ebullitionis dum diu durat, acidum cum ſubtiliori ſulphure et phlegmate ſeſe intimius conjungit rurſus, et vinum inde ſurgit, ſive liquor acido ſpirituoſus. Quodſi vero per calorem muſtum ferveſit, et ex parte ebullit, particulæ aereo æthereæ ſubtiliores aqueæ, quæ prima ac præcipua motionis illius inteſtinę fermentativę cauſa efficiens ſunt, ex intimis muſti poris exturbantur atque aufugiunt, unde neceſſario ſequitur, ut partium liquoris dulcis ſalva et integra maneat textura ac diſpoſitio, et inimica earum ſeparatio impediatur. Quum vero non omne principium aereo ęthereum et ſubtile humidum per fervefactionem evaporet, ſed quędam pars ejus remaneat, impeditur quidem vehemens fermentationis actus, ſed tamen remiſſior et lenior ſpecies fermentationis adhuc manet, a qua etiam defœcatio ſucceſſiva et ſpirituaſcentia blandior horum vinorum dulcium producitur.

21 Explicata ſic dulcedinis, quę vinis Hungaricis ineſt, ratione, jam longe felicius et clarius vires et virtutes horum vinorum peculiares deducere ac determinare licet. Vina itaq; dulcia generoſa, quū nihil fere in ſe habeant acidi, nec valde ſpirituoſa, ſed temperata ſint, corporis humani naturę admodum amica et blanda obſervantur; eo quod omne dulce et temperatum nutritioni et ſuccorum deperditorum reſtaurationi valde aptum ſit: quare etiam lac, quod ſenſu medico dulce eſt, multum nutrit. Hinc hęc vina ad ſuccum nutritium chyloſum temperatum blandeque ſpirituoſum reddendum multum valent, unde ſi moderatiori doſi uſurpentur, nullum dubium eſt, quin ſuccos nutritioni aptos reddant, et corpora exſucca et arida, imbecillia etiam, alant ac nutriant, vireſque ſimul reſtaurent. Rectiſſime igitur ejuſmodi vina medicis et ſapientiſſima antiquitate lac ſenum vocantur, qui virium reſtauratione valde indigent. Deinde etiam eorum uſus admodum ſalubris et utilis eſt iis corporibus, quę vel ex nimia ſanguinis profuſione aut diuturno morbo, preſertim acuto, aut fatigatione corporis et animi ſuccos et vires amiſerunt, viriumque amiſſarum et nutritionis reparationem expetunt, ſi nempe inter cibum parciori manu, ſed crebrius ſumantur. Porro ubi digeſtionis vis eſt diminuta, ubi acidorum humorum eſt colluvies, alvuſque ſtipata et adſtricta, ſuppetias hęc vina ferunt deſideratiſſimas. Nam ſubtili ſuo ſpiritu adaugent calorem, viſcidaque dulcedine acidum contemperant et lubricas inteſtinorum tunicas reddunt, ut excrementorum progreſſus ac tranſitus fiat facilior. Quapropter ſummo cum fructu hypochondriacis, arthriticis, podagricis, quibus omnibus acida vina valde infenſa ſunt, illa exhibentur, quippe qui inde magnum levamen, quotidiana id teſtante experientia, perſentiunt; ſiquidem hos morbos valde pertinaces ex tartareis ſalibus invicem concretis prognaſci extra dubium eſt. Quū igitur acidum prima in regione collectum attemperent, atque impediant, quo minus cum particulis ſanguinis coire et congredi poſſit, utique tartari generationem ejusque cauſas prævertunt et removent. Accedit etiam, quod inteſtinorum et ventriculi tunicis valde nerveis et exquiſitiori ſenſu armatis multum faveant, dum blanda ſua viſciditate eas oblinunt, ut a ſuccis acidis corroſivis ibi ſtagnantibus non offendantur, vel earum læſio ab hiſce jam inducta emendetur, partesque corroſæ demulceantur ac deliniantur. Denique etiam paulo liberalius ſumta, modo non crebrius, non facile nocent, nec corpora, ut alia vina, ad morbos diſponunt, ſed eos potius, præſertim chronicos, præcavent. Nam quum circulum ſanguinis ſtrenue promoveant, atque inſuper perſpirationem redant auctiorem, corpus a multis ſordibus excrementitiis liberando id agilius et alacrius reddunt.

Que-

22 Quemadmodum vero nihil eminente quadam virtute agendi præditum in tota rerum natura existit, quod incongrue atque immoderate usurpatum non noceat, licet sit sua natura optimum: ita etiam cum optimæ notæ vinis, Hungaricis quoque, comparatum est. Nam parcius uti eo debent, qui nimium abundant succo et sanguine, et ubi vasorum ingens est angustia, eaque succis referta, quoniam non modo eorum augent copiam, sed et dum in motum intestinum calidum eos coniiciunt, ex ingente sanguinis turgescentia calores, anxietates, sanguinis congestiones, imo ad inflammationes viscerum internas dispositiones, febresque synochæ et sanguinis profusiones fieri possunt, præsertim si quis ea crebrius et immoderatius in usum velit recipere. Infensa etiam sunt iis, qui ex motu et calore æstuant, vel ad choleram et vehementem iram proclives sunt. Vidimus ab ejusmodi vinis dulcibus et spirituosis, in actu iracundiæ fortius haustis, inflammationem ventriculi subortam, quæ emetico imprudenter a medico exhibito adaucta intra paucas horas mortem induxit.

23 Accedimus jam ad vina Hungarica spirituosiora, quæ motum fermentationis sustinuerunt; ea prioribus calidiora esse, nemo facile in dubium vocabit. Hæc utique corporibus humidioribus, et ubi multum crassi phlegmatis in partium tubulis subsistit, sub moderatiori tamen semper usu, valde conveniunt. Hæc etiam digestioni primarum viarum labascenti calore et spirituascentia sua valde succurrunt, inque morbis chronicis, qui ex atonia et nimia laxitate fibrarum proveniunt, in alvi fluxibus, flatulentiis, in dispositione cachectica, affectibus paralyticis, colicis, opem ferunt exoptatissimam; sed ut moderatior eorum sit usus, providendum est. Et quemadmodum omnia calidiora sanguinem in vehementem motum conjiciunt, eumque valde exagitant: ita sanguinei et cholerici, plethorici atque ad vehementiores animi affectus proniores, iis ut parcissime utantur, necesse est, si ardentes febres, sanguinis profluvia, congestiones et inflammationes itemque nimios conatus et motus ad hæmorrhoidales venas evitare velint. Novimus, quosdam plethoricos et vitæ sedentariæ addictos, quis iis frequentius usi fuerunt, in dorsi graves dolores incidisse, quos passiones calculosæ et ischiadicæ sequutæ sunt, quibus deinde sanguinis missiones in pede, neque minus diluentia ac nitrosa profuerunt. Habent vero vina Hungarica generosiora id commodi secum, ut correctionem acidis et ponticis humoribus, si prima in regione stabulentur, dulcificantem medicinam præbeant. Nam corrosivos etiam mineralium spiritus vini rectificati additione sufficienti temperari inque blandam et dulcem naturam converti, spiritus vitrioli, nitri et salis dulcis præparatio chymica luculenter demonstrant. Et quum sæpius ex cruditatibus acidis in senibus vel imbecillibus capitis dolores, ophthalmiæ, dysuriæ, hemicraniæ, stranguriæ, eructationes et vomitiones acidæ eveniant, certe hi convenientissimum præsidiū in vinis Hungaricis, tam dulcibus, quam spirituosis invenire possunt: hæc enim inter vina stomachum confortantia principem sibi locum vindicant.

24 Cætera Hungariæ vina, quæ non tam spirituosa, sed temperatiora sunt, quod attinet, præstat iis uti loco vini Rhenani vel Franconici, si quis cum molestissimo illo hypochondriorum malo aut podagrico affectu conflictetur, quia non tam subtile acidum ac tartareum principium, nerveis partibus valde inimicum, quod iis se altius insinuat, secum ferunt, et transpirationem etiam melius adjuvant, quæ his in morbis excretio est desideratissima.

25 Convenienti sic usu et viribus vini nostris traditis, exposita etiam eo male utendi ratione, jam breviter strictimque proponere placet, quam opportunum in nonnullorum medicamentorum præparatione illud locum habeat. Igitur primo optime inseruit destillationi quarumdam spirituosarum ex speciebus aromatis vel sale volatili oleoso pollentibus. Serenissimus Rex Prussiæ, Fridericus, Augustissimæ memoriæ frequenti in usu ad

flatulentias deprimendas habebat aquam carminativam. quæ ex cortibus aurantiorum recentium, pomorum Chinenſium & citri cum vino Tockavienſi per deſtillationem præparabatur, cui ad dulcificationem pauxillum julapii roſarum additum fuit, quæ odoris fragrantia, ſaporis ſuavitate, & excellente virtute utique ſe commendabat. Ex vino Hungarico deſtillatus ſpiritus aliis ex vino vel fecibus vini paratis ſpiritibus longiſſime præferendus eſt; non modo enim ſapore & odore aroſſiatico, ſed & viribus differt. Præter virtutem enim confortantem & caleſacientem blandum ſomnum placidamque quietem, ſi circa lecti ingreſſum ſumatur, inducit, ob ſulphureum, quo gaudet, principium, quodammodo vaporoſum, ſed blandum, & nervorum texturæ eorumque fluido amicum

26 Præterea Hungaricum generoſum, præſertim Tockavienſe, optimi menſtrui vicem gerit, quo in elixirio ſtomachico & antihypochondriaco præparando feliciſſime utor, cujus præparatio hæc eſt: ſumo corticum aurantiorum recentium unam unciam, qui in mortario contunduntur in maſſam, cui extracti cardui benedicti, centaurii minoris, ſalis tartari æquali portione drachmas duas admiſceo, & poſtea olei macis, olei de cedro guttas viginti adjicio; affunditur vini Tockavienſis libra una medica, extractio fit in Mariæ balneo: poſt ſubſidentiam clarus liquor decantetur, qui ad cochleare dimidium cum convenienti vehiculo datus in morbis, qui ex prava digeſtione naſcuntur, & prima in regione ſedem habent, & maxime in moleſtiſſimo illo hypochondriorum malo, ſi quod aliud remedium, præſentiſſimi uſus eſt. Eodem modo elixir proprietatis præparationem, ut loco ſpiritus vini ſumatur vinum Hungaricum, & loco ſpiritus vitrioli ſal tartari, in feliciorem uſum inſtitui poſſe, nemo facile inficias ibit. Poſtea etiam hoc vinum optimum præbet vehiculum ad aſſumenda medicamenta, quæ ſaporis paululum nauſeoſi ſunt; ita enim gratia iis conciliatur. Species aromaticæ & nervinæ ſi cum eo infundantur & cum hoc infuſo partes externæ, ſi qua læſio aut contuſio, tumor aut impotentia motus eas obſideat, calide foveantur, nihil poteſt eſſe præſtantius. Corticis chinæ uncia una, & florum chamomillæ vulgaris uncia ſemis, addita ſalis tartari drachma una, ſi decoquantur cum libra una vini Hungarici, medicina fit antifebrilis, quæ ſi ventriculus nimia imbecillitate laborat, in febre intermittente & chronica, præſertim ubi vires morbo vel ætate fractæ ſunt, virtutem habet excellentiſſimam.

27. Ultimo loco de adulteratione horum vinorum quædam adjicienda ſunt, quæ noſtra tempeſtate & uſitatiſſima; maxime eam ob cauſam, quia hæc dulcia vina ob eximiam virtutem magno in pretio habentur. Solent eam tentare, dum muſto recenti dulci cuicunque vel etiam calefacto adiiciunt uvas paſſas Hiſpanicas vel ſaccharum etiam, & parum ex fecibus cereviſiæ albæ addunt, ita in loco temperato fit ebullitio, & liquor gratus, ſuavi dulcedine præditus emergit, quem incautis parumq; vinorum naturam intelligentibus pro Hungarico vendunt, & ut naturalem ſaporem hoc vinum æmuletur, portionem vini Hungarici inferioris admiſcent. Sed ſapor & odor, maximeq; virtus ab iis diſtinguitur, qui frequentius genuinis vinis uſi fuerunt. Certiſſimum tamen vini Hungarici genuini indicium illud eſt, ſi liberalius hauſtum nullam capitis gravitatem inducit, ſed potius corpori alacritatem affert. Nam licet artificialia dulcedine placeant, valde tamen inſalubria ſunt; caput enim ſtatim occupant, & immodice hauſta mirum languorem ac gravitatem toti corpori inducunt. Spirituoſum enim & ſubtile illud elementum, quod ſalubritatem vinis ingenerat, & ex vitium, ſolis, ſoli & nutrimenti natura peculiari affertur, in ejuſmodi arte factis plane deficit.

28 Coronidis loco id prætermittere intactum non poſſumus, quod ſalubris & præſtantiſſima vini Hungari præſertim ſuperioris indoles communiter, imo ab ipſis incolis etiam ſolo, ubi vites creſcunt, aurifero adſcribi ſoleat, eo quod terra Tockavienſis roborans in ſe auri ſulphur copioſum contineat. Quinimo variæ circumferuntur hiſtoriæ & litteris etiam mandatæ

ſunt,

ſunt, de quibus legi poſſunt Jacobi Tollii epiſtolæ itinerar. In ipſis botris & acinis compactas ſæpius auri atomos mire ſplendentes fuiſſe repertas, ita ut etiam membranulę exteriores auro quaſi obductę fuerint. Et ajunt, in Tockavienſi tractu, ubi generoſiſſima naſcuntur vina, videri non raro aurum inſtar funiculi rotundi ſimul e terra enaſci; quas tamen hiſtorias in medio relinquimus, utut non de earum fide dubitandi prægnantes habeamus cauſas. Id ſaltem dicimus, nec aurum, nec alia metalla ad fęcunditatem terræ, multo minus ad ſuccos vegetabilium nobilitandos, & ſalubres reddendos quicquam conferre poſſe.

DISSERTATIO VI.

DE VALETUDINE SENUM TUENDA.

§. I.

FInem velle, nolle tamen media, perverſa plurimorum & tantum non omnium fert aſſuetudo, nullibi frequentior, quam ubi de præcipua felicitatis humanæ parte, ſanitate ſcilicet, conſequenda agitur. Etenim nemo certe non, diu ſoſpes & incolumis vitam tranſigere ardenter percupit: ſed vix ullus admittit ſubſidia, hoc eſt, præceptis obtemperat, quæ ad obtinenda hæc bona deducunt, ut nempe ex præſcripto ſaluberrimarum ſic dictarum diæteticarum regularum, omnem plane ſuam vivendi rationem inſtitueret, ſervando exactum moderamen & æquale temperamentum, tam quoad tempus quam ipſum adhibendi modum & uſum, in iis, quorum ope vita ſuſtentatur, & ad quæ præter aerem, cibum & potum, corporis alimoniæ potiſſimum dicata, referenda ſunt ea, quæ ad placidum & moderatum ſomnum inducendum, corporis motum & exercitationem, nec non ad legitimum excretionum vitæ miniſtrantium ſucceſſum pertinent, non neglectis iis, quæ ad mentem compoſitam, ſedatam & ab impetuoſis affectuum exagitationibus immunem ſervandam, aptæ ſunt atque idonea. Hæc autem curioſa ſalutarium ejuſmodi legum obſervatio, omnibus quidem, qui vitam longam & morboſarum afflictionum expertem vivere geſtiunt, cujuſcunque ætatis, temperamenti corporiſque conſtitutionis ſint, & ſub quocunque cœlo degant, ſummopere eſt inculcanda & excolenda: attamen infirmi potiſſimum ſunt, debiles ac præſertim ſenes, imbecillimis merito accenſendi, qui earundem omnium exquiſitiſſimam habere debent rationem; eo quod facillime ab incongruis læduntur & leve tantum contra normam admiſſum delictum graviſſime luunt, quod robuſtioribus & ætate vigentibus nihil plane noxæ infert. Quia vero ætate provectiores, quo magis viribus & corpore labentibus annis deficiunt, eo magis per longiorem experientiam rerum gerundarum peritia atque prudentia augentur alioſque ipſo uſu longe antecedunt: nihil utique æque neceſſarium ac ſaluti publicæ utilius excogitari & ſuſcipi poteſt, quam ex artis, quæ ſanitati præeſt penu, ſalutaria monita & conſilia hunc in finem depromere, quo veneranda ejuſmodi, habilia & exercitata capita, diutiſſime animo æque ac corpore valentia ſuperſint, reique publicæ conſiliis ſuis proſint. Quod quidem negotium, licet jam dudum nonnulli tractare exorſi ſint, ipſa tamen argumenti dignitas & utilitas nos allexit, ut noſtras etiam de eodem meditationes in publicum producamus & ſequenti tractatione ſalutaria præſidia ipſamque rationem valetudinis ſenum conſervandæ, uberius paullo ac perveſtigatius exponamus.

2 De ſenum itaque ſanitate & integritate, per diætam ſalubrem & convenientem victus rationem conſervanda, dum curatius acturi ſumus: primum opus eſt, ut eam ætatis humanæ periodum, quæ ſenectutis nomine effertur, exactius determinemus, & ab aliis annorum terminis rite diſtinguamus. Dividitur autem ſenectus, ſecundum receptum in ſcholis ordinem, plerumque in tres periodos, quarum prima a quinquageſimo ſexto ad ſexageſimum tertium uſque ætatis annum porrigitur, & viris communiter, ſive

ſive vegeta, vocari ſolet, eo quod hac decurrente, vires plerumque ſatis conſtant parumque imminutæ obſervantur. Secundam ſexageſimi tertii & ſeptuageſimi anni termino includunt, qua actionum et functionum vigor notabile patitur decrementum. Et tertia denique, quæ decrepita audit, a ſeptuageſimo ad octogeſimum annum et ultra prorogatur & cum ipſa vita terminatur, ita, ut eadem robur ſenſim mirifice atteratur, vires conſumantur, corpus animuſque vacillent, donec mors omnia extinguat.

3 Conſtitutis his ipſius ſenii diverſis terminis, jam facile patet: per ſenectutem, quæ ab Hippocr. ipſe morbus nuncupatur, et pro ultima vitæ periodo et prona ad interitum via judicatur, nullam aliam eſſe intelligendam, quam conſummatam illam et decrepitam. Sunt enim et novimus plures ſenes ſexagenarios et ſeptuagenarios, integris ſenſibus, tam externis, quam internis pollentes, vegetos, cibos probe adhuc appetentes, concoquentes ſomnumque longum adhuc et quietum capientes, neque tam facile ab externarum rerum, aeris, cibi et potus uſu, niſi quoad genus, modum et tempus exceſſus acceſſerit, detrimentum patientes. Sed hi omnino ſunt, qui a parentibus ipſaque nativitate, ſtabilem, firmam et ad diutius ſubſtinendum ac protrahendum ſanguinis curſum, ſolidorum nacti ſunt ſtructuram: neque elapſa ætate, per intemperantiam vitæ et affectuum, luxuriam aliaque voluptatum lenocinia, languidum, imbecille et effœtum corpus reddiderunt, et jam attritum ſenectuti tradiderunt.

4 Hinc etiam eſt, quod ſapientiſſimus noſter ſenex *Sect. 2. aphor. 39.* diſertis verbis edicat: *ſenes minus, quam juvenes ægrotare*, eos nempe, qui bonam corporis obtinuerunt naturam, temperanter vixerunt et in viridi, vel media etiam, ſenii periodo verſantur: quum contra idem graviſſimus auctor, *lib. 1. de diæta*, morboſiſſimos dicat eos, qui maxime ſenes ſunt, hoc eſt qui decrepiti et a Græcis πρεσβυται ἀδι γέροντες nuncupantur, ſive, qui ſenium et inſignem virium imbecillitatem, non tam ob ætatem ingraveſcentem adepti ſunt, quam ob intemperantiam ſuam, et admiſſa in rerum ſic dictarum non natutalium uſu, delicta, ſibi contraxerunt. Etenim quo magis juvenes ac viri incontinentiæ indulgent nihilque moderati habent, eo magis et citius vires corporis profundunt, illud cauſtarium reddunt, et ſic ante rempus ſenes fiunt, miſeram, infirmam multiſque morbis obnoxiam vitam ad extremum uſque halitum trahentes. Ex quo quum pateſcat: ſenes non tam annis, quam virium conſtitutione æſtimandos eſſe: utique nos etiam, de valetudine ſenum tutanda differentes, per ſenes non ſolum eos, qui ob grandiorem ætatem, ſed etiam qui ſua ipſorum culpa ac vitio anticipato termino, ſenium, ſive præcipitatum vigoris decrementum, incurrerunt, volumus intellectos.

5 Ut autem certa ac rationali methodo incedamus in enumerandis iis, quæ ad conſervandam ſenum valetudinem faciunt; neceſſarium eſt, ut prius dilucide exponamus: quæ illa ſint mala, quæ in ſenio conſtitutos potiſſimum infeſtant ipſiſque quaſi propria ſunt, nec non a quibus cauſis hæc ipſa dependeant? In genere igitur tenendum eſt: ingentem in ſenectute virium defectum et roboris imminutionem ingruere, quæ tamen ad vitam ſuſtentandam ſanitatemque ſervandam ſummopere ſunt neceſſariæ. Quodſi enim functiones, quæ recepta in ſcholis voce animales dicuntur, penſitamus ingraveſcente ætate, memoria et acumen quoque ingenii debilitantur et langueſcunt, oculi caligant, ſomnus eſt brevis, non placidus, interruptus, vireſque minus reficit. Quoad actiones, κατ' ἐξοχὴν ſic dictas vitales, et quæ a viribus denominationem ſortiuntur, laſſa ſunt et languida ſenilia corpora et ad laborem et exercitationem minus prompta, perquam facile ad languorem dantur, pedes nutare incipiunt, pulſus tardius, utut durius micat et omnes partes, inque primis pedes, a frigore facile afficiuntur et inhorreſcunt. Et tandem ad actiones ſic dictas naturales quod attinet, univerſus corporis contabeſcit, facies rugas contrahit et livido colore perfunditur, tem-

pora

pora collabuntur, oculi fiunt concavi, cutis exſucca et arida, dentes vacillant et decidunt, ciborum appetentia proſternitur eorumque digeſtio minuitur.

6 Jam ſi ſpecialius paullo morborum, quibus ſenilis ætas ſolenniter affligi ſolet; conſiderationem et cenſum inimus, luſtrando omnes corporis a capite uſque ad calcem partes, in illo frequentiſſime ſedem figunt capitales affectus ſenum, apoplexia, lethargus, paralyſis et vertigo, unacum tinnitu aurium, incipiente ſurditate viſuſque hebitudine. In narium et faucium confiniis coryzæ, acres in laryngem deſtillationes, tuſſes, pituitæ viſcidæ ſcreatus, quin ipſe catarrhus ſuffocativus, ſæpe ſcenam ludunt. Cor una cum arteriis, lenta febres, quæ maraſmus dicitur, infeſtante, crebrius pulſatur, & ſucci laudabiles cum ipſis viribus paullatim abſumuntur & diſſipantur. Digeſtionis officina, ventriculus ſcilicet & duodenum, nec non organa alimentorum ſolutioni, chyli elaborationi ſervientia, & ductus recrementitiorum eliminationi dicati, alvi maxime receſſus et urinariæ viæ, tantopere a priſtina indole defeciſſe obſervantur, ut cibi ingeſti facile aceſcant, in ructus et flatus explicentur, ſtomachum et inteſtina inflent, caput torpore gravent, dolores ac tormina pariant, alvus plerumque ſolutior ſit et crebrior ad deſiſtendum ſtimulus, vel plane lienteria et cœliaca paſſio infeſtet, urina utplurimum cum difficultate ardore, vel dolore reddatur, et ſaturate tincta, nonnunquam etiam ſanguinolenta, prodeat. In corporis cortice univerſo, et maxime ano, moleſtiſſimo percipitur pruritus. Denique pedes levi de cauſſa occupant inflammationes eryſipelaceæ, ulcera mali moris, quandoque etiam iiſdem exquiſitus dolor inſidet, cum tophis et ſubſequente ambulandi impotentia. Quin omnes morbi interni et externi, omnia ulcera, vulnera oſſiumque fracturæ, in ſenili corpore difficilliſime ſanationem admittunt, et vix ac ne vix quidem coeunt ac conſolidantur.

7 Et hos modo enumeratos morbos, non ſolum in noſtris oris noſtroque tempore ſenibus familiares eſſe, ipſa experientia luculenter confirmat; ſed idem etiam in quibuſvis plagis contingere et priſco etiam ævo obtinuiſſe, antiquiſſimorum auctorum fide uberius conſtat. Ipſe enim graviſſimus medicinæ parens HIPPOCRATES, plurimas in ſenili ætate ſolennes ægritudines integro *aphoriſmo* 31 *Sect.* 3. fuſe commemorat, quem clarus olim in Academia Jenenſi Medicinæ Profeſſor, ANDREAS ELLINGERUS, *in paraphr. aphoriſm. poet.* ita numeris latinis reddidit:

Dyſpnœa, tuſſis, cum catarrho, urinæque
Seu difficulter, ſive guttatim exiens,
Renumque acutus, inſuavis & dolor
Nexus revinctorum oſſium quo vacillant,
Vertigo, apoplexia, habituſque corporum
Mali, vigiliæ, alvus ſoluta & humida
Nares oculique, totiuſque corporis
Pruritus, acies luminum retuſior
Glaucedineſque, auditus & gravis, ſenum,
Τῶν πρεσβυτῶν, ſunt morbi & arroſtemata.

HIPPOCRATI accedit CELSUS, qui *lib.* 2. *cap.* 1. *p. m.* 46 ſenectutem longis magis morbis, adoleſcentiam acutis patere aſſerit, & *lib.* 5. *cap.* 28 ulcera, et præcipue cancrum, in ſenibus maxime fieri perhibet. Ut prætereamus alios, qui idem conceptis verbis teſtantur.

8 Verum enim vero non ſatis eſt medico, qui ratione et demonſtratione certa cuncta aſſequi et metiri nititur, ut tantum ſciat, quæ fiunt; ſed neceſſe eſt, ut cauſſas, quare ſic et non aliter quid contingat, et ſigillatim ut quam ob cauſam ſenectus hiſce potiſſimum morbis pateat eruere et clarius ſiſtere poſſit. Primo itaque loco altius paullo rimandæ et exponendæ erunt genuinæ ac veræ rationes, quibus tribuendum, quod in ætate provectis tanta virium jactura et imminutio fiat, et ſenſim paullatimque ſic ſucceſſive increſcat, ut tandem ex plenaria earum defectione ad mortem fiat aditus. Veterum quidem placita ſi arceſ-

ſere

ſere hanc in rem velimus, ut ad unum fere omnes edixerunt: ſenectutem eſſe inevitabilem quandam caloris nativi humidique radicalis diminutionem et abſumtionem, et inde quoque cauſas languoris et functionum læſarum in hac ætate derivarunt. GALENUS autem ejuſque dogmatum ſequaces ac æmuli, nimiam abundantiam humidi excrementitii in ſenibus, et partium ſolidarum nimiam frigiditatem, ſiccitatem et ariditatem accuſarunt. Recentiores in ſpirituum, tam vitalium quam animalium, qui virium inſpirarent defectum, cauſam rejecerunt. Ac recentiſſimi quidam inevitabilem hanc ſenii ipſiuſque mortis neceſſitatem, ita ex facili explicari poſſe crediderunt, ſi ſupponerent principium vitale movens, quod a ſummo rerum conditore certis quibuſdam limitibus ac terminis circumſcriptum, quos ſi attingeret, deficeret et ab opere ſuo in regenda ac ſuſtentanda machina deſiſteret, et ſublata ejus in corpus actione, ſic omnes in eodem functiones collaberentur.

9 Aſt qui notiones claras, diſtinctas adæquatas, a confuſis quæque minus concipi poſſunt et intelligi, reales conceptus, a ſpecioſis verbis, et remotas quoque nimis quandoque cauſas a proximis et veris diſcernere novit: is certe omnibus his verba tantum dari, non rationes, perſpiciet; quum ex iiſdem neque morborum ſenilium, explicatio deduci ac perſpicue explanari, neque congrua ad arcendos eos præſidia depromi et ad uſum impendi poſſint. Quin potius, quum quilibet homo, temperatiſſime etiam et ex præſcripto, exquiſitiſſimarum regularum diæteticarum vitæ rationem adornans, ingraveſcente ætate, inſignem in omnium functionum exercitio perſentiat debilitatem et notabilem virium lapſum, quem tandem mors excipit; in proclivi eſt judicare: verum hujus defectus et languoris cauſam, in ipſius corporis compage ejuſque partibus inquirendam eſſe, ita quidem, ut primo et principaliter non tam in natura ac temperie fluidarum conſiſtat ibique quærenda ſit, quam potius in ſolidarum, quæ juxta ætates valde differunt, mutata ſtructura et textura, fundamentum et originem obtineat. Nam ſi ſolidarum corporis partium, oſſium nempe, nervorum, tendinum, muſculorum, membranorum et tunicarum in annoſioribus, et animantibus et hominibus, intuemur conſtitutionem et habitudinem: certe hæ omnes longe denſiores, duriores, aridiores, rigidiores et compactiores eſſe, quam in tenerioris et juvenilis ætatis, animadvertimus.

10 Jam vero omnium omnino animantium nec non hominum corporum fabrica ita concinnata eſt, ut mere ſint hydraulica, quod vaſa ipſaque viſcera, ex tubis majoribus, minoribus et minutiſſimis capillaribus, conflata, per quas varii generis fluida jugiter ire, redire, fluere, ſecerni iterumque excerni debent, ſi rite et ex æquo functionum in corpore ſucceſſus ſperandus. Increſcente igitur fibrarum et tunicarum, e quibus vaſa exilia æque ac ampla coagmentantur duritie et craſſitie, neceſſarium utique eſt, ut ipſi canales anguſtentur, quin minima illorum plane concidant et collabantur, ut tranſitus humorum ipſiuſque ſanguinis, per eorum alveos vel tardius ſuccedat et ſufflaminetur, aut plane præcludatur et denegetur. Eo facilius autem eoque majori cum detrimento in arctius adducuntur et oppilantur vaſorum cava, in organis, quæ ex congerie minutiſſimorum tubulorum conflata, et potiſſimum fluidiſſimis ſuccis ſpirituoſis, et ſecundum HIPPOCRATEM impetum facientibus, partibus ſeparandis dicata ſunt, cujus generis ſunt cerebrum, nervi et tubuloſa teſtium ſubſtantia, in inteſtinis cruſta villoſa cum lactis, nec non canaliculi, qui ſuccum roſcidum nutritium in muſculis ſecernunt. Quod ſi enim exiles meatuum in his partibus cavitates procedente tempore et ob ipſam ætatis rationem in anguſtum magis coeunt et ficciores fiunt, nec ſubtilior ſanguis et lympha, nec ſucci, qui potentia et viribus movendi inſtructi ſunt, ab alimentis et ſanguine nec ſeparari, nec in organa, ſenſibus et motibus miniſtrantia, influere poſſunt; non poſſunt utique non vires

ac vigot ; tam in ſenſuum quam motuum exercitio, mire labefactari ac dejeci ; quandoquidem omnis tonus, robur, vigor & motus reciproci ſyſtoles & diaſtoles nec non periſtaltici, in canalibus maxime ſecretoriis & excretoriis viget, potentia & adminiſtratio, a tunicis muſculoſis & nerveis, nec non ſubtiliori ſanguine arterioſo & fluido nerveo, penitus duci debent ac derivari.

11 Si porro, ſpecialiori diſquiſitione morborum quibus infeſtatur ſenectus, natales rimari velimus : certe præcipui eorundem a copia & impuritate ſanguinis & lymphæ viſcida ſalſo tartarea, & a naturali blanda ac dulci ſua ſcheſi deflectente humorum natura petendi ſunt. Inde enim tuſſes, coryzæ, atrophiæ, defluxiones acres, urinæ difficultates & ſtillicidia, cutis pruritus, originem ſortiuntur ; inde exulcerationes & difficiles in partibus læſis conſolidationes, cum cachexia, ſive malo habitu, ſenibus familiariſſimo, incunabula trahunt ; inde calculoſæ in renibus, veſica urinaria & fellea concretiones, nec non tophaceæ, in artuum juncturis excluduntur ; inde quoque vigiliæ, gingivarum putredines, dentium vacillationes ortum nanciſcuntur. Quin eadem quoque cauſa ſubeſt, quare nulla ætas tam facile pateat ſphacelationibus & cancroſis exulcerationibus, præſertim in corporis exterioribus, quam ſenilis. Summa enim eaque fœda & corruptiva humorum impuritas, cum virium defectu, ſive cacochymia, quę communis & fere perpetua eſt ſenibus & quam ipſa hęc ętas progignit, corruptionis hujus, quę in partibus extremis prodit, vera cauſa, origo & fons eſt.

12 Unde vero tanta humorum ſordities in extremam ętatem incidat, ipſique quaſi propria, vel familiaris admodum ſit, ut etiam nonnulli ſenectutis vitium cum malo ſcorbutico comparare permoti fuerint ; jam erit evolvendum. Nos, uti omnis impuritatis in humoribus cauſam, in organorum, quę excretionibus vacant & fęculentas ac alienas materias a ſuccorum vitalium conſortio ſegregant, vitium reiicimus : ita idem etiam in ſenili cacochymia gignenda animadvertere licet. Etenim libera & ſufficiens per cutis meatus perſpiratio, omnium, quę corpus a putredine & interitu vindicant excretionum ſaluberrima eſt atque præcipua ; ita, ut hac imminuta, plurimę recrementitię ſordes multaque inquinamenta in corpore remaneant & vitę ſervientes humores conſpurcent. In decrepitis autem & ſenio confectis, hęc per corporis corticem ſuccedens evacuatio, propter aridam & ſiccam cutim, poroſque ac tubulos ſubcutaneos coarctatos & contractos, valde minuitur ac ſupprimitur ; quo fit, ut dulcis alias & ſaporis expers nutritius ſuccus, peregrinę & falſę indolis humore inficiatur, urina multo acrior & ſalibus onuſtior cum dolore reddatur, corpus minus recte alatur, ulcera difficilius coeant, fracturę ęgre conſolidentur, & quę hujus generis plura ſunt. Et quia bilioſi pariter & lymphatici humores, a ſuppreſſa cohibita ſordium per cutis perſpiracula eliminatione, acrimoniam & alienam indolem contrahunt : neutiquam certe mirum videri debet, ſi ob eandem lienteriæ, cœliacę paſſiones & alvi crebriores dejectiones ſenes quam maxime impetant ac detineant.

13 Ad mictum denique cruentum quod attinet : cur is tam crebro in decrepita ętate conſpiciatur, & quare veſicę morbi ſenilia potiſſimum affligant corpora ; ex facili reddi poſſe rationem exiſtimamus. Id enim crebriori obſervatu compertum habemus ; eos, quibus antea per ani venas ſanguis ſeceſſit, poſtea vero ſubſtitit, vel non ſufficienti in copia ſtilavit, ſanguinolenta mictione tandem infeſtari & veſicę vitiis quam maxime laborare, dum cruor, prohibito per hęmorrhoidales venas exitu, reſtagnans, ad ramos earum veſicam verſus excurrentes defertur, ibique perrumpens, in ejus cavum effunditur & cum urina emittitur. Quando tamen facile contingit, ut perforata ſic interiori veſicę tunica, factum vulnuſculum ob perpetuum urinę acrioris appulſum iterum non conſolidetur, ſed in ulcus tranſeat, aut ipſe ſanguis altius & firmius tenerrimis ſurculis impactus, eoſdem nimium diſtendat, inflammationem pariat,

cor-

corrumpatur & ſic ulcus ſuſcitet, non ſolum ex ſuccedentibus apoſpaſmaticus ulceroſis, ex urina præcipitatis & concreſcentibus calculis generatur, ſed ipſa etiam urina turbida, pultacea & cum magna difficultate ac ardore ſtillat, donec tandem læſo ſphinctere, ejus oriatur incontinentia.

14 Addutis ſic atque perſpectis cauſis morborum, qui ſenilem ætatem frequentiſſime adoriuntur ſummamque ingenerant infirmitatem: paratiori nunc via accedimus ad præſidia quæ vires ſenum, pari cum vita paſſu ambulantes, fulciunt, difficiles iſtas morboſas afflictiones arcent. Quum vero prima in medendo ſapientiæ pars ſit, ea noſſe, quæ nocent, utile non minus, quam neceſſarium viſum fuit ea præmittere, quæ ætate provectis adverſa ſunt & inimica, quæ naturale virium robur frangunt ac dejiciunt & alendis, quin augendis morborum cauſis favent: quo majori poſtea cura & ſollicitudine, qui in ſenio proceſſerunt, ſibi ab iis cavere poſſint. Ordiamur proinde ab iis, quæ ſubito & potentiſſime vires convellunt & ſingularum fere partium robur proſternunt, quo nomine potiſſimum notanda ſunt ea, quæ animum percellunt impenſius affligunt & ſollicitant, quibus merito diuturnum mœrorem & gravem angorem annumeramus, quo plures ſenes ſubito e medio ſublatos novimus. Et ſane pro re ſatis effari nequeo, quam gravi & perniciali noxa longius protracta triſtitia animique ſollicitudo, tam firmos & valentes, quam multo magis ſenio feſſos, infirmos ac imbecilles, mactet. Inde enim ciborum appetentia perit, ſomnus fugatur, languor & imbecillitas totum corpus occupat, vigor ingenii & corporis atteritur, extrema frigeſcunt, alvus fit ſolutior, ſudor ex pedibus ob inductam debilitatem, noctu copioſius manat. Quapropter in declivi hac ætate omni certe ſtudio & cura evitandæ ſunt quævis occaſiones, quæ ægritudines anxias & acerbas importare, aut mœrorem & terrorem incurrere poſſunt. Nam ſicuti ad difficiles & chronicas paſſiones excludendas ipſamque ſcorbuticam ſanguinis impuritatem ingenerandam, auctore EUGALENO, nihil magis quam triſtitia, animique mœror confert: ita omnino alendis & augendis ſenum afflictionibus, quæ natales ex crudis potiſſimum & impuris humoribus trahunt, exitialis hic affectus quam maxime ſervit & velificatur.

15 Porro omnes, qui ætate graves ſunt, ſolerter animum ab immoderatiori ira continere debent. Hæc enim ſi incidit in corpora impuro ſanguine oppleta, aut ſi inferiores partes ſpaſmis ac doloribus torquentur, perquam facile apoplecticum aut hemiplecticum inſultum, vel inflammationem eryſipelaceam, aut ventriculi, inducit. Non minus ſenibus infirmioribus exitioſa adeoque fugienda eſt venus. Nam licet, forſan ob lymphæ ſeminalis majorem ſalſedinem, ſtimulos eandem perſentiant: attamen, ſi vim naturæ inferentes, hos promovent & ad ipſum exercitium deſcendunt, certiſſima virium ſubſequitur jactura, quæ nonniſi ad difficiles morbos, quin ipſum interitum, aditum pandit. Maxime omnium vero ii, qui eam ætatis periodum attigerunt, ut, præſtolante ex priſco fœdere morte, mox tranſactæ vitæ ratio ipſis reddenda ſit, id potiſſimum per Dei gratiam agere debent, ne peccatis ſeſe polluant, quæ conſcientiæ ſuffragio, ipſos injecto metu redarguant, animumque lacerent, & ipſi ſic graſſante in vires angore, eaſdem diſperdant corpuſque morbis obnoxium reddant.

16 Poſt animi turbas, in eorum, quæ ſenibus evitanda ſunt, ſenſu, ſecundum utique locum ex rerum non naturalium claſſe meretur frigus. Nam ſi quid aliud, certe hoc, naturæ corporis ſenilis infenſum eſt atque adverſum; quia, dudum notante HIPPOCRATE, *Sect. 2. aph. 20.* obdurat eamque rigidam & pallidam reddit, quæ jam tum in annoſioribus dura, arida & contracta, ſordium ex ſubcutaneis tabulis exhalationem prohibet & ad plurimas ægritudines viam ſternit. Hinc eſt, quod admiſſo ad partes inferiores vel etiam ipſum corporis habitum paullo intempeſtivus frigore non modo cutis inhorreſcat & ſubito humorum ad interiora converſio oriatur, gravedines, tuſſes,

tuſſes, deſtillationes & raucedines, cum languore, inappetentia & inquietudine ſuſcitentur, ſed etiam apoplexiæ metus ingruat. Et hæc etiam ratio ſubeſt, quare ſenes æſtate optime valeant & hieme peſſime habeant, adeo, ut auctore eodem HIPPOCRATE, ſenes hieme bis ſenes ſint. Eo igitur ſtudioſe allaborandum eſt ſenioribus, ut corpus, maxime pedes, exquiſite veſtibus adverſus auræ perfrigoratæ allapſum muniant, neque eidem, poſt ſomnum maxime & ſub linteorum mutatione, acceſſum præbeant, ac præterea nunquam non ejuſmodi regimini ſtudeant, ne corpus ventis borealibus, aut pluvioſæ ac procelloſæ tempeſtati exponant, neque hiemali potiſſimum tempore ex calidiori hypocauſto, mox in frigidum locum, vel ex hoc, confeſtim in valde calefactum conclave concedant. Similiter quum in locis depreſſioribus, humilioribus aut ſubcavis, in terram altius demiſſis conclavibus, quæ liberioris aeris tranſitui minus patent & vappidis terris exhalationibus referta ſunt, ob inſpirationem aeris minus puri ipſamque perſpirationem ſufflaminatam, degere vel dormire inſalubre admodum ſit & ſanitati diſpendioſum: utque eadem curioſe vita, & ſaluberrima ſemper ſenes ſeligere debent domicilia.

17 Accedimus nunc ad ea, quæ in victus ratione ætate gravioribus fugienda ſunt. Hæc inter inprimis connumeranda nimia & avidior ciborum ingeſtio. Quod ſi enim ſimul & ſemel largiori alimentorum copia infarcitur ventriculus, is jam tum ob ætatis rationem ſolutior, ingeſtorum molem non debite ſubigere, comminuere & in laudabilem ſuccum convertere poteſt, neque chylus, ex indigeſta maſſa extractus, a ſanguine intimius abſorbetur, & hinc perſpirationi parum idoneus eſt. Quin potius, dum cibi diutius in ſtomacho mora nectunt, cruditates, inflationes ac tenſiones ventriculi, flatus, nec non ſomni perturbationes, excludunt, aliaque incommoda inducunt, Unde ſcire non minus quam vere CELSUS *lib. 1. cap. 2.* fatur: *ubi ad cibum ventum eſt, nunquam tuta eſt ſatietas.* Cujus in ſententiam conſpirat HIPPOCRATES *lib. de diæt. acut. prava*, inquiens, *eſt hæc dieta, cum quis plures cibos corpori præbet.*

18 Quoad ciborum vero genera, ſenio plane inimici ſunt, qui glutinoſi compactiores et plurimum alimenti craſſi, rudioris cuſtodiunt, a CELSO valentioris materiæ dicti, nec non qui, ob tardiorem minuſque expeditam concoctionem, ægrius inteſtinorum volumen trajiciunt et flatulentiis ingignendis favent. Horum familiam ducunt ova ad duritiem cocta, carnes & piſces nimis ſaliti vetuſtiores & duriores, marini, vel indurati, fabæ, milium, lentes, piſa omneſque placentarum, quæ ex lacte, ovis, butyro & farina tritici pinſuntur, ſpecies, nec non ipſa pinguia, ægrius ſemper ſolubilia. Eundem quoque in cenſum referenda omnia cruda, dura, et quæ ob fibrioſiorem texturam, difficile in digeſtionis officina diſcerpuntur, ſed ob viſcoſam tenacitatem facile in flatus reſolvuntur, ex vegetabilium claſſe depromta, cujus generis potiſſimum ſunt, napi, rapæ, bulbi, braſſicæ ſpecies, dauci, allium, cepæ, raphani, acetaria, ex lactuca variiſque herbis parata.

19 Sed nihil certe magis ſenibus damni importat iiſque adverſum eſt, quam acida, ipſius vitæ principiis inimica. Hæc enim dum ſolidas partes præter naturam afficiunt, conſtringunt, irritant, denſant, meatus coarctant afficiunt, conſtringunt, irritant, denſant, mentes coarctant, minima vaſa obſtruunt et vinculum ſeri ac ſanguinis deſtruunt, fluida incraſſant, & excretiones, præſertim quæ per alvum ſuccedunt, impediores reddunt: utique non poſſunt non ſenibus corporibus, in quibus ſolidorum conſtitutio jam vitiata ipſaque fluida ſpiſſitudinem contraxerunt et lentius circumaguntur, maximum injungere detrimentum. Deinceps quum ea ventriculi in annoſis ſit habitudo, ut ob imminutum robur et motum periſtalticum, viſcidas quoque et crudiores ſanguinis particulas, per progreſſivum et inteſtinum motum tardiorem minus evolutas, ſubtiliſatas et ad ſulphureo alcalinam naturam eductas, ingeſta facile in ejus cavo aceſcant, et

ſic ſaponariam illam alcalinam billis indolem infringendo, ad ſtrictiorem alvum, teneſmum, feces albas aliaque mala anſam præbeant; iterum dilucide pateſcit: non ſolum quæ acidam & noxiam indolem apertius produnt, ſed etiam in ſtomachum delatam, acetoſam & pernicialem naturam induunt, in grandiori ætate, tam ex ciborum, quam eorum, quæ potui inſerviunt cenſu, ſummo eſſe vitanda ſtudio.

20 Potiſſimum huc trahenda ex iis, quæ conſpectius, ipſo ſapore teſte, aciditatem monſtrant, ſunt omnes horæi fructus, acidi & immaturi, acetaria, vicida, potiſſimum Rhenana, nec non cereviſiæ vetuſtiores. Ex his vero, quæ in ventriculi cavo demum acetoſam indolem ſuſcipiunt valetudini noxia ſunt, nominandæ inprimis omnis lactis, excepto ſolo aſinino, cum regimine dato, ſpecies, omniaque ex ipſo parata, maxime caſeos. Dum enim lactis materia cum acido, in ventriculo ſenum ubertim deliteſcente, congreditur, in coagulum abit & in firmam tractam difficulter ſolubilem denſatum, parietibus adhæreſcit, & cum ſucco corroſivo, acido & bilioſo mixtum partem, cui incumbit, rodit, moleſtum in præcordiis ſenſum, cum inflatione ſtomachi excitat, variaque alia damna, in capite potiſſimum, ex conſenſu oriunda importat. Idem tenendum de dulcibus & conditis, & variis bellariorum generibus, quippe quæ, ſi non ſolutiorem alvum reddunt, damnum gignunt, & teſtimonio CELSI imbecillo ſtomacho aliena ſunt in eoque coaceſcunt. Eo major autem noxa ab iis metuenda, ſi cum acidis, ut vino Rhenano, ſumantur, eo quod aciditatem quidem promte imbibunt, ſed firmius retinent, donec tandem calore accedente, fermentatione acerrimam & corroſivam indolem induant, qua ventriculum & inteſtina mordente, anxia & nauſeabunda circa præcordia moleſtia percipitur, & alvi tormina, irritus ad deſiſtendum ſtimulus cum albis ſtercoribus excluditur.

21 De potus delectu jam quidem ex præcedentibus conſtat, damnoſum eſſe omnem illum, qui acidum in receſſu alit, addendum vero etiam & ſenibus pernicioſum eſſe reor hunc, qui caput petit, gravat & facile inebriat, ſive vinum ſit, ſive cereviſia. Quia enim in ſenibus caput maxime, cum univerſo genere, inſigni infirmitate laborat: profecto omnia ſpirituoſa & ebrietatem inducentia, cerebro & nervoſarum partium naturæ valde inimica, ipſumque ſanguinem nimis rarefacientia, in iis non cum eximio damno naturale robur & motum magis pervertere, & diſtentis nimium a ſanguine expanſo tenuiſſimis cerebri vaſculis, graviſſimis capitis morbis occaſionem præbere. Et quum legitimus alvinæ excretionis ſucceſſus ſenum valetudinem quam maxime tueatur: utique, tam in cibo quam potu, ſolicite ſibi temperare debent ab omnibus, quæ eundem turbare aut cohibere poſſunt, e quorum numero, præter acida, notanda potiſſimum cydonia & ex ipſis conflata, vina auſtera rubicunda, Gallica maxime quæ vocant Pontac & Claret, nec non cereviſiæ vetuſtiores, præſertim e tritico coctæ, utpote quæ, longiori mora non ſolum magis ſpirituoſæ redduntur, ſed etiam acorem contrahunt. Denique ætate grandes deſidiam quoque nimiamque quietem fugere debent; quandoquidem ſi his indulgent, humores lentius per corporis vaſa volvuntur, ſpiſſeſcunt, & excretionibus ſuppreſſis, facilis ad obſtructiones aliaque mala eſt aditus.

22 Remotis igitur & interdictis, quæ ſenum valetudinem labefactant ac deſtruunt: progrediendum eſt ad ea, quæ eidem ſervandæ proſunt. Eſt vero inprimis mens hilaris, æqua, compoſita & ab affectuum impetu immunis, quæ non ſolum motibus machinæ vitali conſervationi dicatis minus perturbatum ſemper concedit ſucceſſum, ſed etiam vigorem corporis fulcit ac tuetur. Et optime certe a ſapiente dictum eſt: *animus gaudens ætatem floridam facit, ſpiritus triſtis exſiccat oſſa*. Quare nihil magis e re ſua eſſe putent ii, qui obrepente ſenectute valetudini conſulere nituntur, quam ut pacato, CELSO ac excitato fruantur animo, illum ſubinde oblectando & innocenti voluptate & lætitia perfundendo,

cujus

cujus uberrimam materiam penitior rerum, tam divinarum in ſacro codice comprehenſarum, quam naturalium in ampliſſimo naturæ libro obviarum, contemplatio ſuppeditat.

23 Deinceps acris quoque magna vis eſt, ad inducendam tam ſecundam quam adverſam valetudinem, corporibus præſertim imbecillis ſenilibus, quæ mutato illo, illico etiam mutationem experiuntur. Ne igitur ex inſalubri aura detrimentum accidat ſenio feſſis, eligendus erit aer temperatus, purus, tetris halitibus non inquinatus, ſed liber, iſque ruralis: quippe qui verum ſanitatis pabulum, quod vires inſpirat, appetitum excitat, concoctionem juvat ipſique libero excretionum ſucceſſui ſervit. Inprimis e re illorum eſt, ut incolant conclavia ampla & ſpatioſa, ad quæ aer libere pertingere eademque perflare poteſt, orienti quoque & hiberno potiſſimum ſoli patentia.

24 Apprime enim ſenibus conducit ſolaris caloris hieme præſertim & autumno uſura; quandoquidem ſicuti floribus, herbis aliiſque vegetabilibus, brumali tempore propagandis, ad incrementum & durationem ſolis acceſſus ſummopere confert: ita pari etiam ratione, marcida ſenum corpora hiemis ipſiuſque ſenectutis moleſtias longe tolerabilius perferunt, ſi ſolari naturali calore, & non tantum adſcititio per ignem ſuſcitato, perfruantur. Veteres hunc in finem in ſuperiori ædium parte conſtruebant ſolaria, quæ ſolem undique exciperent apricaque eſſent, & recepti inter eos ad valetudinem tuendam moris erat, ut crebrius nudi in ſole jacerent, ſederent vel ambularent, quod in ſole uti, & inſolationem dicebant, cujus commoda Mercurialis *lib. 6 cap. 1.* fuſius exponit.

25 Prodeſt etiam nonnunquam, præſertim Majo & Septembri menſe, qui ſaluberrimi cenſentur, ſenibus, ut peregrino aere ſe confirmant, quod præſidium priſci identidem ad conſervandam & fulciendam corporis integritatem mirifice commendarunt; ita, ut Plinius *lib. 3. ep. 1.* de Veſpricio quodam fidem faciat, quod conſtanter hanc regulam ſervans, poſt ſeptuageſimum & ſeptimum annum, aurium oculorumque vigorem integrum, agile & vividum corpus ſervarit. Idem clariſſimo argumento docent diuturni & quam maxime rebelles morbi, quos, quum non tempus, non remedia vicerunt, mutatum cœlum ſubinde ſuſtulit.

26 Porro motus corporiſque exercitatio viribus fulciendis & ſanitati ſervandæ longe utiliſſima eſt. Dudum id profeſſus eſt Celſus, perhibens: *ignaviæ corpus hebeſcere, labore firmari, illa maturam ſenectam, hoc longam adoleſcentiam fieri.* Quemadmodum enim ipſa vita, omniumque tam animi, quam corporis functionum integritas, conſiſtit in motu ſolidarum æque ac fluidarum partium æquali ac imperturbato: ita certe, quin motitatio corporiſque exercitium, huc adjuvando, non ſolum vitæ & virium conſervationi eximie patrocinetur, ſed etiam in ætate declivi vigorem ingenii ac corporis ſuſtentet & augeat, ipſique ſanitatis conſtantiam ſpondeat, non eſt quod dubitemus. Et licet plura ex remediorum claſſe ſint, quæ corpus calefaciunt & motum ſanguinis intendunt: motus tamen corporis his omnibus longe præferendus, quippe qui, naturalis magis & de proprio principio calorem & progreſſus augmentum inducit, ille vero adſcititius, externus & aliunde accenſus, naturæ non adeo amicus.

27 Sunt vero ejuſmodi exercitationum modi eligendi, qui corpus non nimis languori dant, ſed ætatis provectioris viribus reſpondent. Saluberrima ambulatio, vel præſertim litteralis, quo ſedentaria vita, quam poſcunt muſæ, per intervallum temperetur corpuſque refocilletur. Hæc quo moderatior eſt, ſub temperate calido cœlo, eo plus emolumenti præſtat, præſertim ſi tribus, vel etiam quatuor, ante, nec non poſt cibum ſumtum, horis, inſtituatur; quandoquidem hoc pacto, concoctionem non turbat, ſed eandem adjuvat & appetitum excitat.

28 Aptiſſimum quoque imbecillis & ſeneſcentibus, nec non qui muſis in quiete & ſeceſſu litant, motus genus eſt clara

lectio, cujus uſum veteres eximie collaudarunt. Dum enim elata voce diutius emiſſa, reſpiratio intenditur, non ſolum pulmones crebrius attolluntur, latius panduntur, incaleſcunt & cum aere ſordes eliduntur, ſed univerſus etiam ſanguinis circulus, cum calore, ſpiritu & perſpiratione augetur, quo fit, ut partibus robur infundatur omneſque in corpore functiones expeditius et melius ſuccedant. Quin auctore Celſo, figurata voce inſtituta lectio robur ventriculo maxime ingenerat et ciborum concoctioni egregie ſervit; ſiquidem motis ſub ſermone thoracis ſeptique tranſverſis muſculis, vicinus conquaſſatur ventriculus et comprimitur, ut non ſolum ſanguinis arterioſi et fluidi nervei in ejus tunicas augeatur impulſus, ſed etiam major ſalivalis et fermentalis menſtrui fiat affluxus. Ut adeo pateat, egregio beneficio publice docentes in eo frui, quod ipſa muneris ratio ipſis injungat, ut ademtis maxima ex parte aliis motus ſpeciebus, voce corpus exerceant.

29 Leniſſima et imbecillimis quam maxime conducibilis corpus agitandi ratio eſt geſtatio in lectica: quippe quæ, ad diſcutiendum id, quod coiit in habitu corporis et liberum perſpiratum retardat, ſine ulla vehementia plurimum confert. Iiſdem quoq; ſenio & debilitate affectis, Celſus *lib.* 4. *cap.* 5. ſuadet, ut ejuſmodi exercitationis genus adornent, qua ſuperior corporis regio magis dimovetur et percietur, illudque in omnibus ſtomachi vitiis accommodum et ex uſu eſſe confirmat: id quod commodiſſime perficitur manuum motitatione et brachiorum agitatione, per pulſationem muſicorum inſtrumentorum, luſuum varia genera et qui plures alii ſunt modi.

30 Motus vices in iis, quibus exercendi corpus occaſio et locus deeſt, ſupplet frictio, quæ utiliſſime non modo in capite et dorſo, ſed etiam pedibus et toto corpore inſtituitur; eo quod inde calor inſitus excitatur, motus ſanguinis per minima vaſcula urgetur, cutis rarefit, et ſi quæ ſubtus hac latent ſuperflua tranſpirant. Multum certe huic detulerunt veteres, et Celſus inprimis in corporibus imbecillis et levata adverſa valetudine, ejus adminiſtrationem præcepit, neq; dubium eſt, quin eadem debilibus etiam ſenum corporibus apprime proficua ſit. Tutiſſimum vero et opportunum eſt, corpus quotidie, perfecta concoctione alvoque prius excreta, mane in lecto, vel veſperi ante lecti introitum, maximeque partes extremas, pedes potiſſimum, panno aſperiori ad cutis ruborem uſque perfricare, et ita quidem, ut fricatus deorſum ducatur; liquidem lentior ſemper eſt ſanguinis ex inferioribus partibus ad fontem recurſus, qui hoc auxilii genere adjuvandus eſt, inprimis quem pedes ſenum et imbecilliorum ex facili et plerumque frigeſcat.

31 Non minus priſcis in quotidiana corporis cura olim frequentiſſimus fuit balneorum et unctionum uſus, et pugnare hæc præſidia contra frigiditatem et aciditatem partium, ſenibus exitioſiſſimam affirmarunt. Verum noſtris in regionibus, quæ cœlum longe frigidius et rigidius obtinent, auramque inclementiorem fovent, quam Græcia aliaque calidiora loca, minus tutus eſt ſenibus balneorum infeſſus, inprimis autumno et hieme, eo quod aer perfrigeratus corpus ambiens, tonum cutis magis deſtruit et ad deſtillationes ac gravedines diſponit. Interim tamen iis, qui ſenio non adeo exhauſti ſunt, æſtivo tempore, fatigatis per motum et iter membris, non adeo diſſuademus, ut partes, tam inferiores, quam ſuperiores, accommodo balneo, in conclavi maxime ſpatioſo, amplo, alto et lucido, foveant. Unctiones autem magis, inter noſtrates etiam, uſui eſſe poſſunt, ita eaſdem adornando, ut partes inferiores, et maxime etiam ſpina, ad ſolem, vel fornacem calidam, calide cum oleo v. c. amygdalarum dulcium, vel pinguedine caponum et gallinarum, additis aliquot olei lavendulæ guttis, inungantur et leniter perfricentur.

32 Præterea ſomni ad vitam et ſanitatem ſervandam tam præſtans eſt uſus; ut ſine eo durare nequeant, et ad vires reparandas tam incomparabili facultas, ut omnem, cujuſcumque etiam

ana-

analeptici, dilaudatam virtutem longiſſime exſuperet. Is enim non ſolum ſpirituoſas et fluidiſſimas ſanguinis et lymphæ partes fovet et tuetur, ſed etiam nutritium et alibilem ſuccum retinet, quo ſolidæ partes egregie humectantur et dulci rore perfunduntur: ut adeo ad exſuccas et aridas corporis marceſcentis partes, eodem nihil ſit utilius et aptius, et ex vero a Galeno monitum: *omnibus ex ſiccitate laborantibus, ſomnus opportuniſſima eſt medicina.* Quo magis itaque ſenibus ficcitas eſt infenſa, et genuina, tam imbecillitatis eorum et extincti caloris, quam ipſius mortis cauſa, eo magis ipſis ſomnus amicus et in pretio eſſe debet, et is quidem non interruptus, non fatigans, inquietus, nimiſque acciſus, ſed placidus, plenus et reficiens, qualis eſſe ſuevit poſt cœnam facilem et frugalem animoque hilari et tranquillo quieti ſeſe dantibus. Incubandum vero etiam ſtratis mollibus, non ſolum ut ipſe ſomnus eo quietior ſit, ſed etiam quo molleſcente inde & relaxato corporis habitu, ſanguinis liberior in hunc fiat appulſus, & ſordis per aperta cutis ſpiracula eo promtius difflentur.

33 Succedunt ingeſta, cibus ſcilicet & potus, in quorum delectu maximopere reſpiciendum ad ſenilium corporum, tam quoad annos, quam virium diverſa habitudinem. Etenim quibus firmior adhuc ventriculus minuſque annorum, non facile diſcedant ab aſſueta victus ratione, licet tantiſper durior ſit & ex viliorum more; qui vero ſolutioris ſunt ſtomachi, uti decrepita ætate confecti, ſelectum inſtituant & accommodis cibis utantur, iis nempe, qui probatiſſimi ſucci, temperati, faciles concoctu, nec diu in ventriculo moram nectentes eumque gravetans & moleſte afficientes. Commendamus hunc in finem inprimis juſcula ex caponibus, gallinis aliiſque alibilium carnium generibus, nec non liquamen ex contuſis cancris fluviatilibus, ſine aqueo vehiculo, aſſuſo vini modico, adjectiſque aliquot citri taleolis & macis fruſtuliis, in vaſe clauſo, impoſito aquæ bullienti, per decoctionem paratum. Eandem quoque in rem laudem merentur brodia, quæ ex pane groſſiori furfuraceo, cum aqua & vino, addito cinnamomo & ſaccharo, conficiuntur, nec non, ſuccus ille gelatinoſus, qui ex aſſatis carnibus ſtillat, quippe qui, tanquam ſelectiſſima & ad chyli naturam quam maxime accedens pars, nativi caloris in ſenibus ſubſtantiam egregie inſtaurat affuſo ſolidis temperato, et ſpirituoſis delibatiſſimo, nutrimento. Neque etiam penitus abſtinendum a cibis levioribus: qui alvum lubricam ſervant & acidos in prima regione ſuccos contemperant, cujus genera ſunt pira & poma dulcia, pruna Hiſpanica, fructus cynosbati cum paſſulis aqua et vino decocta. Parcior vero ſemper ſit cœna ſenibus, præſertim ſi caput infirmitate detinetur, vel tuſſis humida urget, ipſiuſque ventriculi robur remiſſum. Nam licet ſomnus cœnam excipiens ingeſtorum digeſtionem ſecundet; ipſe tamen, ſuperfluorum per alvum, urinam, perſpirationem et pituitæ ſcreatum impendit, eaque ſuſpenſa, cruditatum fit proventus, quas ventriculi inflatio, ructus, capitis oppletio, pondus, ſenſuum torpor, nocturna tuſſis corporiſque ſub ſomno jactatio arguunt.

34 Non minor cautio circa potum adhibenda. Et ut prius de cereviſiis mentem promamus; rariſſima certe ſunt exempla ſenum, qui eaſdem fere poſſunt. Nam ſi juniores, flatuum generationi velificantur, ſin vetuſtiores, acorem contraxerunt et caput petunt, uti ſolenne inprimis eſt ex tritico coctis, ſi vero lupulo amaricantes et validioris materiæ, humoribus lentorem et capiti ſegnitiem inſinuant. Quare ſi quis cereviſias aſſuetus, nec aquarum potum admittere poteſt, tenuiſſimæ, vulgo Dalb biet, craſſioribus præferendæ, & ſpirituoſæ gratiores, quo nomine notæ ſunt Goslarienſis, Brunſuicenſis & Mecklenburgenſis, ſaltim inſtar medicinæ ſtomachicæ, modice, et quidem in cœna, bibendæ. Qui vero aquis aſſuefacti, his leviſſimas et puriſſimas, leniter tantum cum ligno lentiſci, vel corticibus citri, decoctas, potui dare expedit, eo ſalubriores, ſi cum vino aptore miſceantur.

35 De vino ejuſque uſu, communis

quidem veterum ſententia fert : pueris dilutum , meracum & potens ſenibus conducere ; norma tamen eſt neutiquam perpetua , ſed potius cum judicio & diſcrimine applicanda . Omnino enim natu grandioribus ſaluti eſt , ut vinum minus potens bibant , vel forte , quale vetus Rhenanum & inter Gallica optimum Burgundicum eſt , aqua temperent : ita tamen ut ſi aquæ potus ordinarius , illius tertia vel quarta pars confundatur . De generoſioribus autem monendum : quod potentia eorum ſimulque dulcia , quorum cenſum ſubeunt , quæ ſuperior Hungaria profert , inprimis Tockavienſe , porro e Gallicis Languedocenſe , Vin de St. Laurenz , Luſitanum quod ex Portu Cale advehitur , Florentinum & inter Franconia der Stein-Mein ſenili ætati admodum ſalubria ſint , modice tamen & crebrius inter cibandum ſorbillata , quo pacto juvant concoctionem , calidum nativum , ex priſco loquendi more , inſtaurant , neque minus univerſo corpori calorem infundunt & ſeroſas ſordes , tam per urinarios meatus , quam ſubcutaneos tubulos , ejiciunt .

36 Sunt vero etiam præter frigidos potus , recepti noſtra ætate uſus calidorum potulentorum genera , Thee ſcilicet Coffee & Succolada , quæ , an grandævis etiam proſint , diſpiciendum . Hæc utique ſenibus eorumque valetudini tuendæ aptiſſima ſunt , etiam paullo liberalius propinata ; eo quod humectant , craſſos & ſalſos humores diluunt , meatus patulos ſervant , & calore ſanguinis progreſſum ſordiumque cum perſpiratione diffiationem promovent : modo ventriculus liberaliorem ferre poſſit copiam . Interim tamen , quia vis herbæ Thee adſtrictiva ſenili corpori non adeo favet , rebus ſuis melius conſulunt , qui tutioris virtutis herbas cum calida infundunt , eoque nomine inprimis herba veronicæ , betonicæ , meliſſæ , præſertim Turcicæ , cum corticibus citri & aurantiorum , commendationem merentur . Decoctum quoque Succoladæ , ſi cum aqua paratur , adjecto uno vel altero ovi vitello , ſenum conſtituti oni & nutritioni quidem maxime accommodum eſt : ſed moderamen tenendum , nec nimis crebro eo utendum . Neque etiam potus Coffee plane rejiciendus , quod ſi enim alvum ſolvit & nervoſo generi non obeſt , acidum , quo ſeniorum ventriculus plerumque obſidetur , infringendo & contemperando , egregie inſervit . Sorbillantur autem ejuſmodi calidæ potiones , noſtra quidem ſententia , commodiſſime & optime mane in lecto , quo iiſdem lenis & placidus mador eliciatur .

37. Sed hæc de vitæ regimine & victus ratione in tutanda ſenum valetudine ſervandis ; jam nonnulla adjicienda ſunt , de aliis præſidiis , medicamentoſis magis & non ita quotidianis , integritati tamen ætate provectiorum egregie patrocinantibus . Et primo quidem loco excutiendum : num thermarum vel acidularum potus ſenibus utilis ſit & accommodus ? In hac autem conſideratione potiſſimum ratio habenda non ſolum virium , quæ uſuris conſtent , & ipſius periodi ſenectutis , quæ non adeo ſit declivis , ſed etiam facultatis mineralium aquarum , quæ minus vehemens eſſe debet . Proinde in decrepitis & a vigore defectis , quales communiter ſunt qui ſeptuageſimum annum compleverunt , caute mercandum eſt in medicatarum aquarum commendatione , ac potiſſimum improbandæ ſunt validiori agendi vi inſtructæ , quarum claſſem ducunt Pyrmontæ & Egranæ , ex thermis Carolinæ , ex ſalſis Sedlicenſis , cum fonte , qui ad pagum Seydſchutz ſalit . Temperatarum vero & mitius operantium uſum admitti poſſe cenſemus , & ex his quæ ſaluberrima eſt , Selteranæ , inprimis ſi tempore æſtivo loco ordinarii potus , cum tertia vini Rhenani optimæ notæ parte nupta , exhibeatur ; ita enim acidum vini , cum alcalino aquæ elemento in tertium quoddam ſal abſterſivum degenerat , cujus ad excretionum ſucceſſum ſecundandum eximia eſt virtus . Addi etiam poteſt huic mixturæ elæoſacchari citri ſufficiens quantitas , tum ut ſaporis gratiam captemus , tum

etiam

etiam ut viribus tantiſper proſpiciamus.

38 An venæſectio ſenibus proficua ſit? vexatum in foro medico eſt dubium, facile diluendum & ſolvendum, ſi ſubactum medici judicium acceſſerit. Quod enim in ſenili corpore, ſi firmior adhuc ventriculus & appetentia vegeta, ſanguinis abundantia adſit, nullum eſt dubium, eo major & certior, quo minus ſubotioſo minuſque laborioſo, ſenibus familiari vivendi genere, is per motum conſumitur. Quin potius in pleriſque non ſolum humorum redundantia, ſed etiam ex hac oriunda impuritas peccat, ut plurima ipſis ſolennia mala, ac inprimis infeſtiſſimus provectiori ætati maraſmus, a craſſo & copioſo ſanguine, quo viſcera turgent & infarcta ſunt, originem rahant. His igitur ſanguinem mittere, eſt vitam prorogare & ſanitatem ſervare, præſertim ſi jam antea venæſectioni aſſueverint, diæta lauta ac vinoſa fruantur, ſanguiniſq; per ani venas ſeceſſus ſubſtiterit. Novimus certe plures, qui ſubtracto quotannis aliquoties e vena ſanguine, ætatem, quæ robuſtiſſimis etiam ſatis longa eſt, impleverunt, & annum octogeſimum quartum & ſextum exceſſerunt. Contra vero ſi corpus impenſius enervatum, vires confectæ, appetitus dudum proſtratus, ſanguinem educere, piaculum foret & ſenectutem extinguere. Sed quum nobile hoc non minus quam utile argumentum, jam olim peculiari ſcripto fuſius pertractavi ſupervacaneum duco, plura de eodem, ibi dicta, huc tranſcribere.

39 Præterea quum alvina excretio, ſive excedat, ſive deficiat, ſenum ſaluti periculum minetur, legitimi ejuſdem ſucceſſus quoque ratio habenda erit. Quod ſi autem alvus compreſſa fuerit, ejus ſolutio neutiquam validioribus, & virulenta indole gravius in vires graſſantibus, molienda; ſed confectæ huic ætati, præter laxantes, ex ſalſis, dulcibus & pinguibus, cibos apprime dicata & accommoda eſt manna, ad unam vel alteram unciam, cum lacte aſinino, vel ſero caprillo, oblata; quippe quæ, pectori amica, tuſſi medetur & ponticos auſteros in primæ regionis diverticulis obhæreſcentes ſuccos egregie cicurat, eoſdemque ſine virium damno, promte per ani ſeceſſum exturbat. Sæpius quoque obſervavimus, exhibito ſaltim pulvere abſorbente, vel bezoardico fixiori, alvum in ſenibus fuiſſe motam, hanc forſan ob cauſam, quod alcali terreum pulveris ingrediens, cum acido primarum viarum in ſal tertium abiit, & tunicis inteſtinalibus ſtimulum inſinuavit. Sennata autem nec non aloetica exulent. In ſegnioribus tamen & phlegmaticis, ſi res poſtulant, pilulæ temperatæ balſamicæ ex uſu eſſe poſſunt, cujus generis ſunt Beccherianæ & ad imitationem harum paratæ & correctæ. Et ſi forſan acciderit, ut ob fecum ſiccitatem & copiam alvus obſtipetur, injiciendi ſunt clyſteres emollientes oleoſi & his ſtercora evocanda. Sin vero nimis crebro alvi dejectio ſenes exerceat, ut metus lienteriæ ſit, nocentiſſima ſunt adſtringentia; tutius eſt, diæta quodammodo ſiccante uti, abſtinendo ab omnibus acidis, ſalſis & acribus, ſtimulum inferentibus. Et ad reparandum inteſtinorū laxatum tonum, ex cinnamomo paratis nihil eſt præſtantius. Utiliſſimum quoq; eſt balſamum noſtrum ſpirituoſum ſic dictum vitæ, cujus guttæ 10. ut plures, cum duab. ol. cinnam. guttis interius aſſumendæ, eodemq; exterius ventriculi regio inungenda.

40 Supereſt tandem, ut de iis, quæ ex medicamentorum claſſe ad refocillandas in grandævis vires faciunt, nonnulla addamus. Quamvis autem plurimi ad hoc perficiendum ſpirituoſis & aquis ſic dictis ſtomachicis, primas deferant: cautiſſimus tamen eorum ſit uſus auctor ſum, ne liberali manu & crebrius propinata, ſanguinem, præſertim ſi redundet, exagitent et caput imbecillius reddant; quin, in ſenectute viridi & vino fruentibus, plane ab iiſdem abſtinendum eſſe cenſeo. Interim ſi vires vacillantes remediis ſuſcitare ex uſu ſit, tria, quæ principem inter analeptica locum tenent, ambram ſcilicet, cinnamom. & ſuccinum, & ex his lege artis parata, pleniſſime commendamus. E liquorum autem analepticorum compoſitionibus, hanc maxime utilem & accommodam fere reor formulam: Rec. myrrhæ electæ unciam unam, croci unciam dimidiam, corticum citri & aurantiorum ana

uncias duas, cinnamomi acuti unciam cum dimidia; affunde ſpiritus liliorum convallium libram dimidiam, poſtea adde vini Hungarici menſuras tres, deſtilletur lege artis per alembicum, prodiens liquor ſuaviſſimi odoris et ſaporis, julepo roſar. grata dulcedine imbuatur et affuſa drach. una eſſentiæ, uſui ſervetur. Eſt certe hoc remedium tam accommodum ſenum feſſæ naturæ, et tam præſtans ad imbecillitatem ſublevandam, quam vix ullum aliud, firmat quippe ventriculum debilem, caput roborat et blandum quoque ſomnum inducit. Poterit autem de eodem nonnunquam cochlear unum vel alterum, vel ſolo, vel intincto pane mellito Norimbergenſi exhiberi. Non minus etiam viribus & ſtomachi infirmitate egregie ſuccurrit elixir noſtrum balſamicum viſcerale temperatum ad cochleare dimidium poſt paſtum propinatum, inprimis ſi refracta doſis balſ. noſtri vitæ admiſceatur: quod balſamum ſi ad aliquot guttas infuſo thee inſtilletur, et exterius, attracto per nares odore, verticis, nuchæ et neceſſitate exigente aliarum a robore defectarum partium inunctione, in capitis dolore, vertigine aliiſque ſenum afflictionibus, opem præſtat longe ſaluberrimam.

DISSERTATIO VII.

DE

SALUTARI AC NOXIO VENÆSECTIONIS USU.

§. I.

SI unquam breviter, ſolide tamen et accurate univerſæ medicæ artis natura tradita fuit, certe ab antiquiſſimo et probatiſſimo medico HIPPOCRATE præſtitum fuiſſe arbitror, qui *libro de Flatibus* docet: *medicinam nihil aliud eſſe quam additionem & ſubtractationem: ſubtractationem eorum, quæ exſuperant, eorum vero, quæ deficiunt, additionem: Qui vero illud optime facit, is optimus medicus exiſtimandus eſt, quique plurimum abeſt ab eo præſtando, is plurimum in arte medica deficere cenſetur.* Profecto hac vere mechanica definitione graviſſimus auctor univerſæ noſtræ artis indolem ac ſolidum fundamentum complexus eſt. Ecquis enim eſt, qui liberum functionum corporis noſtri exercitium, quo ſanitatis natura continetur, in ſola moderatione motuum, et humorum debita proportione ac temperie verſari ignoret? utpote nihil vitæ ac ſanitatis negotio tam inimicum, et tam adverſum eſt, quam eorum, quæ vitam diſpenſant, exceſſus aut defectus: qua de cauſa omnis generis morbificæ cauſę humorum et motuum exceſſum et defectum reſpiciunt. Et quicunque morbum vult tollere, is nihil aliud agere debet, quam ut motus et materias deficientes vel ſuperabundantes in naturæ amicam temperiem ac moderationem reducat. Huc quoque omnis generis, quæ alma mater natura largiter nobis conceſſit, remedia ſpectant, quæ vel evacuandis vel reſtituendis humoribus aut nimiis motibus compeſcendis vel tardis promovendis unice dicata eſſe animadvertimus.

2 Ex quibus omnibus clariſſime appareret, magnum noſtrum HIPPOCRATEM univerſæ artis præſertim praxeos medicæ fundamenta nobis doctiſſime tradidiſſe, quæ ſi quis paulo diligentius et perquiſitius attendat, is optimus certe effato COI medicus cenſebitur: habet enim hic normam ac regulam, qua ſcit, quid agendum, quid omittendum ſit. Quum vero excedens et ſuperfluus ſanguis ex conſenſu etiam ſolertiſſimorum medicorum ipſaque teſte experientia, maxime omnium adfligat, et morboſis paſſionibus producendis admodum idoneus ſit, hinc facile apparet, principem merito locum inter ea, quæ exſuperans detrahunt, venæſectionem ſibi vendicare: quia ſanguis quo naturæ, ſi moderatus fuerit, amicior eſt, eo, ſi ſuperabundet, nocentior exiſtit. Quapropter magna ſemper laus et gloria divino venæſectionis remedio conſtitit. Comperit enim ratio et experientia confirmavit, omnibus aliis auxiliis tam operationis celeritate et ſecuritate, quam tolerantiæ facilitate hanc eſſe ſuperiorem:

hinc

hinc nullo ferme in morbo a veteribus et HIPPOCRATE eſt intermiſſa ; ejus quoque utilitatem præter veterum teſtimonia longus et quotidianus uſus comprobat. Quo majora autem uſu in praxi medica ſunt commoda, adeo ut non tantum ad arcendos a corpore morbos, ſed etiam ad periculum in iis avertendum ipſoſque ſanandos ſummum ſit præſidium ; ita e contrario eo graviora inde reſultant incommoda, ſi nulla ſubjecti, cauſæ morbi, temporis ac virium ratione habita ea adminiſtratur, quare id laboris jam in nos ſuſcepimus, & in præſenti de venæſectionis non ſolum ad vitam ſanam et longam conſequendam ſalutari ſed et noxio uſu agemus.

3 Dicturi itaque de venæſectione, eamque ceu ſecurum et ſummum ad proſperam ac longam vitam impetrandam auxilium adſerturi, neceſſarium omnino arbitramur præmonere, neutiquam nobis in præſenti eſſe propoſitum, ut ſolam ſanguinis detractionem protrahendæ vitæ ſufficientem aſſerere velimus, vel quod ſine venęſectione nemo proſpera ac fecunda valetudine frui, aut ad vitam longam ſpem ſibi poſſit facere. Neque enim ullum tam abſolutæ efficaciæ in univerſa rerum natura datur remedium, de quo quis certum ſibi, nedum talem effectum poſſit pollicери : ſed omnia, quæ in auxilium promta ſunt remedia limitatis viribus determinantur, et naturæ corporis ægrotantis potiſſimum innituntur. Præterea novimus, qui ſine venæſectione per longam ætatem firma gaviſi ſunt valetudine. Novimus quoque, qui cum venæſectione præmaturo fato defuncti ſunt : quapropter hoc loco nobis non eſt animus, ut aſſeveremus ſanguinis vacuationem omnibus promiſcue individuis quadrare, vel ad longam vitam neceſſario perducere ; ſed hic eſt noſter ſcopus, hæc mens noſtra, ut adfirmemus tantam virtutem, ut plures, quibus propter ſanguinis redundantiam et gravis morbus, & ſubitæ mortis periculum immineat, ab imminentibus hiſce malis tueri ac defendere poſſit.

4 Prius vero quam in hujus rei explicationem paulo altius deſcendamus, non ſine fructu fore arbitror, ſi eorum qui vel totum vel ex parte hoc remedii genus contemnunt, rationes ac argumenta examini ſubjiciamus. Quamvis vero neque ullam unquam auxilium tanto medicorum conſenſu ab incunabilis fere ſcientiæ medicæ per tot ſecula ubivis fere terrarum, et per tam conſtantem experientiam, approbatum fuerit, præterquam ipſa ſanguinis per ſectionem venæ emiſſio ; nihilominus eſſe et fuiſſe ſemper, quod ſatis demirari nequeo, qui fere divinum hoc auxilium ex toto damnare imo infamare, vel tamen parciſſime eo utendum eſſe, contenderunt, vix ac ne vix comprehendendum eſt. Quod unicum certe documento eſſe poteſt luculento, quanta imperitia non dicam ignorantia inter gentem medicorum adhuc verſetur ; quæ res quo certior, eo magis deporanda videtur. Atque non tanta nos tenere debet admiratio, quare olim ERASISTRATUS et ante ſeculum forſan ELMONTIUS hoc remedium contemtui habuerunt, quandoquidem ERASISTRATI tempore ſpiſſis tenebris adhuc rerum phyſicarum et medicarum cognitio erat involuta. HELMONTIO vero viro alias nobili, et per ignem Philoſopho, qui nunquam artem agitavit ; hic error de facili videtur condonandus : quod vero ex eo tempore, quo magnum illud mundi inventum, ſanguinis intelligo circuitum orbi innotuit, et hinc corporis humani œconomia paulo ſubtiliori ſolertia excoli cœpit, ac univerſa medicina ex tenebris in ſereniorem lucem aſſerta fuit, adhuc ex medicorum cohorte dentur, qui vel ex toto venæſectionem repudient, vel nimis timide ac trepide cum hoc agant, illud merito vituperandum videtur.

5 Poſſemus certe hoc loco, ſi velimus ire in exempla et niſi veritas odium, moleſtiam ac periculum gignat, multos caſus recenſere, ubi plures ceterum ſani ac ætate florentes ex ſola venæſectione tam curando quam præſervando omiſſa in graviſſimos et lethales morbos inciderunt, qui certiſſime potuiſſent maturæ venæſectionis auxilio ſervari ; ſed hæc lubenter jam prætermittimus : potius hoc loco non alienum eſſe exiſtimamus, ac

patrocinium venæſectionis agam & argumenta in contrarium, qua fieri poteſt brevitate ac perſpicuitate diſcutiam. Mittimus vero Eraſiſtratæos, quos olim jam ſuo tempore Galenus *lib. de Venæſect.* adverſus Eraſiſtratum non ſine felicitate refutavit, ſed rationum momenta, quibus nonnulli ex recentionibus uti ſolent intuebimur. Præcipuum vero quod aſſerunt eſt: ſanguinem non modo vitæ eſſe theſaurum, ſed & ipſius animæ vehiculum & inſtrumentum, & ſanguine amiſſo non modo vires, ſed & vitam amitti. Cum vero omnis theſaurus non ſit minuendus, ſed potius ſervandus & reparandus, hinc male cum ipſis agi aſſerunt, qui vitalem liquorem tam improvide profundunt. Inſuper confugiunt ad experientiam, qua oſtendunt plures a detractione ſanguinis ita fuiſſe debilitatos, ut ægerrime priſtinam valetudinem fuerint aſſequuti. Porro quoque dicunt, complures firma & æquabili valetudine frui & longa vita gaudere, qui totam ætatem nullam ſanguinis imminutionem paſſi ſunt. Illud vero primum & præcipuum illorum videtur argumentum, quod nullam plethoram ſeu boni ſanguinis redundantiam noxiam eſſe contendant, ſique forſan ſuperfluus & pravus vas inhæreat, felicius eum abſtinentia, motu & tutioribus remediis abſumi poſſe aſſeverent.

6 Operæ itaque pretium erit, ut hæc dubia, quæ primo intuitu videntur ſpecioſa, paulo accuratius diſcutiamus. Primo vero non ibimus inficias, ſanguinem pretioſum & deſideratiſſimum, quo vita & anima ad ſuas operationes utitur, eſſe liquorem, quo penitus amiſſo & vita exſpiret, & anima corpus ſuum deſerat, neceſſe eſt: quo nomine utique optimus vitæ eſt theſaurus. Concedimus quoque immoderatam ejus profuſionem admodum debilitare, corporiſque robur imminuere. At vero ſanguis eſt theſaurus vitæ & animæ ſuſtentaculum, dum nempe libero & æquabili flumine vitalem ſuum in orbem motum per corporis partes abſolvit. Nunquam enim ſanguis in ſe ſpectatus ratione mixtionis ſuæ præſtat vitam, vel animam cum corpore jungit, ſed tum demum, quando in orbem agitur, & placido motu per corporis fertur tubulos, unde etiam talis motus recte dicitur vitalis, iſque eſt, qui commercium corporis cum anima ſtatuminat, ſimulac vero optimus alias liquor in parte quadam ſubſiſtit, & progreſſivo motu exuitur, protinus amplam non modo morbis & morborum cauſis, ſed & morti occaſionem ſubminiſtrat. Quod vero nimium exſuperans ſanguis vitalem circulum turbet, noſtrum eſt inferius oſtendere.

7 Remoto vero hoc dubio ad aliud deproperamus: naturam nempe nihil facere fruſtra declamant, utpote quæ tanta ſapientia inſtructa ſit, ut non majori, quam par eſt, copia vitalem hunc liquorem progeneret. At huic aſſertioni optima veritatis parens experientia ſolenniter contradicit. Cui uſui enim eſt ingens illa pinguedinis moles, qua ſubinde corpus humanum obruitur, annon potius plus exitii quam ſalutis naturæ adfert? Sique nihil noxii vel ſupervacanei aut deficiens quoddam natura proferat, unde fit, quod unum corpus præ altero debilius, & non modo ad morbos, ſed & ad mortem promtius exiſtat? Unde porro evenit, quod natura tam parata ac promta ſit in morborum aliis cauſis fabricandis? Quo magis apparet, corpus noſtrum ita eſſe diſpoſitum, ut tam facile noxia quam utilia producat.

8 Accedimus jam eam rationem, quod videlicet experientia comprobet, amiſſo ſanguine mire corporis robur debilitari: ſed admodum etiam lubrico & invalido fundamento hæc innititur. Quid enim notius, quam quod ex corporibus pleni habitus per vulnera ſæpe ſæpius incredibilis ſanguinis copia ſine noxa profundatur? In hujus rei illuſtrationem occurrit elegans locus apud Joh. Heurnium *in Com. lib. 1. aph. 3.* dum ſcribit: *Illuſtriſſ. Aurantiæ Princeps Wilhelmus Naſſovius Antverpiæ a latrone læſus ſclopeto in collo, ita ut jugularis magna illa vena maximam ſanguinis funderet copiam per plurimos dies, cum quotidie plures ſanguinis libras emitteret, fluxione tandem colcothare cohibita ſalvis viribus evaſit.* Quid porro familiarius in praxi accidit? quam quod fœminæ ex abortu ac in puer-

perio

perio immenſam ſubinde ſanguinis quantitatem collectis mox viribus effundant. Neque adeo crebrior per venam ſectam ſanguinis detractio viribus infenſa eſt, ut fert vulgi opinio. Legimus apud Sculletum *in obſervat. 2. Virginem ſeptingenties per vitam venæſectiones paſſam fuiſſe ſine omni ſanitatis periculo.*

9 Neque Gallorum hodie medicorum morem ignotum eſſe exiſtimaverim, qui acuta febre detentos decem ſæpe repetitis venæſectionibus interdum citra detrimentum ſingulare exercent. Sanguis enim eſt, qui ex boni ſucci alimentis, ſalvo ſaltim ac integro manente appetitu, facilius reparatur, præſertim in iis, quibus laxæ fibræ ſunt, & ſpongioſa carne gaudent, quandoquidem in his ob lentiorem curſum temperatior fit calor, qui potius ſervat ſanguinem, quam ut ipſum conſumat. Deinceps non conſtantis eſt experientiæ unicum virium fomentum eſſe ſanguinem. Vidimus potius a venæſectione oppreſſas in plethoricis vires protinus erectas. Equidem negandum non eſt, quin ſæpenumero venæſectio male a medicis a imperitis inſtituta corpora viribus exuat, ipſaque mirum debilitet, ſed tamen remediorum abuſus non tollere debet verum eorum uſum, nec ſiniſter quandoque ſuperveniens eventus ejus legitimum uſum excludit: nam vix prodeſt, quod non lædere poſſit idem.

10. Urgent præterea ii, qui minus ſanguinis vacuationibus favent, quod plures ſine venæſectionibus longam & ſanam egerint vitam. At hi perpauci numero ſunt, neque vero omnibus alma natura tam valens ac robuſtum a nativitate corpus conceſſit, cujus robur humorem alienum & excedentem facile vincere poſſit: pauci etiam ſunt, qui motu, labore, commodoque ac attemperato victu bonam, quam a parentibus nacti ſunt naturam ſecundant. Hiſce diſcuſſis deveniendum jam ad ultimum, quod tamen primo loco eſſet ponendum. Communis nempe eſt ſententia, quæ etiam in Gallia, teſte Jouberto, adhuc viget, primam venæſectionem a morte liberare poſſe, quare nonnulli hoc remedii genus ad averruncuncandam mortem differunt. Ad hæc vero dicimus, ſi ſanguinis miſſio hominem ab impendente morte vendicat, certe non aliter hoc præſtat, quam ſanguinem exſuperantem, a qua morbus ſubnatus fuit, & qui multum periculi minatur, ſubtrahendo: an non vero conſultius eſt matura venæſectione morbum & illud, quod ſubeſt mali, depellere, quam periculo ſe manifeſto exponere, quia hoc non raro labente bene agendi occaſione & tempore hominem perimit.

11. Dilutis itaque iis, quæ in contrarium poſſent moveri, dubiis, ſequitur jam ut firmioribus ratiociniis venæſectionis tam neceſſitatem, quam utilitatem ad tutam & proſperam valetudinem diu ſervandam ſtatuminemus. Præcipuum vero ad firmandam noſtram ſententiam ex ipſa natura corporis noſtri argumentum deſumemus. Tam provide enim & tam ſapienter a benigno conditore conſtructa machina noſtra & tam inſignibus viribus dotata eſt, ut non modo ſponte ab eo, quod vitæ eſt infenſum, ſe liberare & feliciter tueri poſſit: verum etiam ut ſola ſæpius optima morborum ſine medici opera ſit medicatrix. Jam vero cum nihil æque ſit valetudini adverſum, quam ſuperabundans ſanguis, eo quod vitalem in orbem motum ſufflaminet; hinc nihil prius & antiquius prudens habet natura, quam ut ſanguinem ſuperfluum convenienti motu, debito quoque tempore ac loco feliciſſime eliminet: id vero non modo in ſequiori ſexu magno cum alleviamento ſingulis præſtat menſibus, verum etiam in puerili ætate vel adoleſcentia exſuperantem ſanguinem per nares, in adultioribus per ſedis venas ſtatis ſubinde periodis, non ſine ſingulari commodo evacuat. Et quandocunque ſolennis & ſaluberrima hæc ſanguinis excretio vel ob languorem ex ætate vel ex longo morbo provenientem vel ob alias cauſas e. g. præpoſteram curationem ſupprimitur, vel penitus ceſſat, protinus ingens malorum agmen corpus adfligit. Fiunt enim ex conſuetis narium hæmorrhagiis deficientibus graves cephalalgiæ, ophthalmiæ, vertigines, in adultioribus apoplexiæ, aut ſenſuum depravationes. Menſium vero inordinata vel deficiens fluxio

quanta

quanta mala non concitat? inde enim ſpaſmodicæ internarum partium tractiones, cachexiæ, lentæ febres, miræ flatulentiæ, ac digeſtionis vitia ſequuntur. Ex hæmorrhoidum vero impedita vel ceſſante evacuatione graviſſima quoque mala, ut ſunt hydrops, inſaniæ, nephritides, ſpaſmi primarum viarum, flatulentiæ, aſthmata, cachexiæ & apoplexiæ ſubnaſcuntur. Monſtrat certe medico ſapientiſſima natura, quid ipſi ſit agendum: nam cum medicus languidæ naturæ miniſter & adjutor, vel valentis ſpectator eſſe debeat, hinc naturæ methodum optimam addiſcere, & cum attentione imitari debet. Videlicet ubi deficit, eam adjuvare, id eſt arte ſanguinem exantlare ſuperfluum, qui tantas moleſtias creat, enitatur; quo remedio tam ad depellendos, quam etiam ad ſanandos prædictos affectus nihil eſt efficacius.

12 Ex his itaque clariſſime perſpicimus, venæſectionem maximum fundamentum in ipſa natura habere, cujus ars tantummodo eſt imitatrix. Solvit autem venæſectio plethoram, quæ fœcunda morborum eſt procreatrix: at cum ex recentioribus nonnulli dentur, qui plethoram exiſtere pernegant, hinc non alienum eſſe judicio eorum etiam rationes paulo perquiſitius intueri. Dicunt, ſanguinem bonum minus abundare poſſe, talis vero ipſis eſt, qui gelatinoſus temperatus & floridus apparet. Verum enim vero ipſe ſanguis duplici modo conſideratus bonus dici poteſt, vel ratione mixtionis ſuæ, vel relatione facta ad motum, qui demum recte hunc titulum meretur. Nam etſi optimus, & gelatinoſus in vaſis contineatur, minus autem recte & æqualiter per corporis partes circumferatur, tum ad vitam & ſanitatem tuendam plane inidoneus eſt: quandoquidem ſi tardiori nimis motu provolvitur, facile in vaſis præſertim minimis ſubſiſtit, & ſi viſcidiores ejus partes ſecedentes coaleſcunt, atque emunctorium vias occludunt, & hac ratione magna & noxia fit viſcerum offenſio. Cum vero optimus & temperatiſſimus, qui gelatinoſa rubicunda ſubſtantia cognoſcitur, maxime omnium facile redundet, patet, nullum æque hoc ipſo ad morbos generandos eſſe aptiorem. Frequentiori enim conſtat experimento, ſanguinem ex plethoricorum vel etiam ſanguineorum venis extractum, utplurimum mixtione gelatinoſum, temperatum, coccineo & eleganti colore tinctum eſſe. Ubi itaque talis ſanguis animadvertitur, ex eo recte ſagaciores medicorum judicant, multum ſanguinis in ejuſmodi corporibus generari, miſſionemque ejus eſſe utiliſſimam: contingit id ipſum maxime in fœminis & qui ſpongioſo habitu gaudent, laute vivunt, & mentis ac corporis motibus vacant; ibi enim temperatior calor ſanguinis, ex gelatinoſa ſubſtantia chyli, proventui mirifice velificatur. Etenim quo intenſior corporis fervor ac æſtus eſt, eo major liquoris hujus vitalis fit conſumtio. Siquidem celerrima ætheris agitatione, qua caloris natura continetur, nexus ac unio partium ſanguinis texturam conſtituentium facile diſſolvitur, ut ex nobili & temperato alimento inutile excrementitium ſulphureum liquamen emergunt. Qua de cauſa vehementior corporis motus ac labor neque minus febrilis æſtus pingue & ſanguine ſuperans corpus celeriter extenuat.

13 Ex dictis itaque clariſſime patet, non modo habitum corporis plenum ac coloratum, ſed & ſanguinem optimum periculi imminentis eſſe plenum, quia ubi bonus ſanguis gignitur, ibi ejus quam facilis fit abundantia, quæ in pejus omnia ſucceſſive præcipitat, qua de re perite non minus ac ſcite noſter Hippocrates *lib. 1. aph. 3.* prodidit: *athletarum evexia, quæ ad ſummum diſtenſionis evaſit, periculoſa, unde talem evexiam ſine cunctatione ſolvere oportet*: hinc dicebat Celſus: *ſi plenior quis, ſpecioſior & coloratior ſe ipſo factus videatur ſuſpecta ſua bona habere debet*, quia inquit: Heurnius: *a nimia ſanguinis ubertate calidum nativum exſtinguitur & præcipiti lapſu homines rapiuntur, & interceptis carotidum viis, parva apoplexia ſit.* Quemadmodum vero redundans ſanguis tam infenſus naturæ ac inimicus ſit, noſtrum jam eſt exponere. Videlicet laudabilis ex bono chylo in vaſis ſupra modum collectus

lectus copia ſanguis vigori ac elateri, quo cordis muſculi & arteriarum tunicæ inſtructæ ſunt, nimium reſiſtens, curſum ac circulum ſanguinis reddit difficiliorem, unde ſanguis ob debiliorem curſum ſpiſſeſcit, craſſus evadit, ad obſtructiones & ſtagnationes gignendas paratiſſimus. Rationem vero hujus rei ex mechanicis eruere non magnæ erit difficultatis: nobiliſſima enim motus ſcientia eſt, quæ nos docet, ex proportione & relatione virium moventis & reſiſtentis motus effectû profluere, adeo ut quo major potentia ſit virium in impellente, et minor in reſiſtente eo celerior fiat motus; ſicut contra, quo major mobilis reſiſtentia eſt, eo plus viriû moventi detrahitur, et tardior fit impulſus. Itaq; ſicut major molis quantitas majorem gignit reſiſtentiâ, ita major quantitas ſanguinis activitati et pulſui cordis atque arteriarum elateri plus quam minor reſiſtit, conſequenter ſanguis tunc minus expedito circulo per corporis partes circumfertur. Perquam curioſum vero illud anatomicum experimentum eſt, ubi ex flatu immiſſo in venam cavam vel ductum thoracicum canis viventis, cordis motus mox ſiſtitur, ſubſequente inte morte. Cujus phænomeni nulla alia ſubeſt ratio, quam quod dextra cordis auricula, cujus fibrarum ſtructura valde tenera eſt, a flatu nimium diſtenta, non amplius contractioni ſufficiat; unde cordis motus etiam conquieſcat neceſſe eſt. Neque dubitamus, quin ex nimia ſanguinis redundantia, ſi præſertim hic excedente calore acris vel ſpirituoſo liquore interius expandatur, cordis auriculæ eodem modo poſſint diſtendi, ut fibræ ſupra modum extenſæ ad propulſandam ſanguinis congeſti molem & ad circulum continuandum fiant plane minus idoneæ, unde lypothymiæ viriumque oppreſſiones plethoricis perquam ſunt familiares.

14 Quis itaque medicorum tam ſocordis ingenii & hebetis mentis eſt, qui non perſpiciat, venæſectionem tam noxa ſanguinis nimii cogeſtione ſummum eſſe præſidium, eo quod ſuperfluum ſanguinem ſubtrahendo protinus convenientem proportionem inter cordis arteriarumque muſculos & inter vim ſanguinis reſiſtentis, reſtituat, circulum ſanguinis rurſum æqualem et liberum, a quo ſanitatis et vitæ ratio pendet, reddendo. Quod etiam experientia confirmatum habemus, dum oppreſſæ nimio ſanguine vires unica venæſectione, augentur, pulſu citatiori calore et perſpiratione reddita intenſiori.

15 Quamvis vero hęc, quæ adduximus, ita ſint comparata, ut quemvis etiam, poſſent convincere, nihilominus dantur, qui hæc ſubvertere enixe laborant, dicendo ſanguinis exceſſum longe tutiori via, videlicet abſtinentia, inedia, victu tenui, motu corporis intenſiori, infuſis calidis, quam periculoſa venæſectione conſumi ac caſtigari poſſe. Verum non imus inficias, illud fieri poſſe, ſed quis eſt noſtris temporibus ita comparatus, ut a conſueta ſua indole, vel nimia edendi cupiditate facile deflectat et rigida hæc præcepta ſequatur? Et utut hæc cuncta fieri poſſent, tamen, ubi præſens impendet a ſanguinis ubertate præſertim in paſſionibus acutis periculum, hęc commemorata remedia, quia tardiſſime agunt, plane non ſufficiunt. Manet itaque et manebit perpetuo venæſectioni ſua laus et gloria.

16 Confirmata ſic firmioribus ratiociniis venęſectionis neceſſitate, proximum jam eſt, ut paulo ſpecialius, quibus in morbis avertendis, quo tempore et qua ratione ſectio venarum ſit inſtituenda, proponamus. Primo vero dicimus: omnibus, qui ſucci pleni ſunt, vaſa ſanguine repleta habent, bene appetunt, laute vivunt et vita ſecura ac otioſa fruuntur, neque ſanguinis ſolennem et ordinariam quandam vacuationem habent, detractionem ejus ad depellendas, quæ preſſo certe ſequi debent pede, ægritudines longe eſſe utiliſſimam: Perraro enim accidit, ut homines ita comparati periculum evadat, quod feliciter venæſectione bis vel ter anno inſtituta poteſt propulſari. Nunc vero devenimus ad eos morbos, quibus dimovendis venarum inciſio idoneum eſt remedium. Videmus ſæpenumero robuſtiſſimos, qui ſecura videbantur frui valetudine præter omnium ſpem repente procidere omnique motu ac ſenſu privatos exſtingui. Neque novum eſt

mul-

multos in lecto, quem ſani firmique conſcenderunt, emortuos reperiri. Novimus & ante oculos plura nobis verſantur exempla, ubi tales funeſtos eventus prædixi. mus. Novi in hac urbe tres floridę & ſanæ viſæ feminas, quæ ſubito fato cecide. runt.

17 Quodſi vero ſolertiori ſtudio tam ſubitæ mortis cauſas explorare animus eſt, tunc demortuorum corpora aperiendo, plerumque has duplicis generis eſſe obſervamus. Vel enim ruptio vaſorum intra cerebrum, aut in thoracis vel abdominis cavitate, quod tamen minus frequenter fit, viſitur; vel polypoſa in cordis thalamis concretio, magna venarum occludens orificia, cauſa deprehenditur. Incurrunt vero apoplexiæ periculum maxime ii, quibus copioſus intra venas ſanguis fertur, maximè ſi ſenectuti fuerint propiores, facilius vero malum gignitur, ſi poſt largos imbres aquilonaris tempeſtas & ſævientis boreæ flatus repente ſequatur. Qui ſanguinis miſſionem, quam alioqui ſalutariter adhibuerunt, temere negligunt, facile quoque eadem corripiuntur, id quod & iis evenit, quibus ſanguinis per nares vel ani venas profluvium, vel ſponte conſtitit vel ſuppreſſum eſt, hinc etiam mulieres lochiis non rite fluentibus, hoc acerbo malo adfectas vidimus. In præſervatione hujus funeſti & feralis mali, ſi quid aliud certe venæ in pede tuſio plurimum ſibi vendicat, quæ ubi circa æquinoctialia tempora inſtituitur, ſecuram præſtat valetudinem.

18 Quod ad polypi originem attinet, patent identidem huic quam maxime ii, qui ſanguine abundant & habitu prædi. ti ſunt ſpongioſo, inſuper obeſi, multum comedunt, ſed parum bibunt, vitam agunt ſedentariam, ac ſpiritum vini copioſius ingurgitant, fit exinde ſanguis viſcidus ac craſſus, qui minus expedito i. tinere corpus percurrit, unde viſcidiores & glutinoſæ ejus partes columnis cordis facile adhærent, in fibrillas paulatim coaleſcentes. Quo minus vero promtum eſt tale concretum veluti mortis fomentum ulla medicina diſſolvere, eo facilius ac paratius eſt, hujus geneſin præcavere, quo nomine pręter abſtinentiam & motum corporis validiorem nec non liberaliorem aquæ calidæ potum, venæ ſectio omnibus præferenda videtur. Nacto enim liberiori ſpatio, longe expeditius ſanguis per cordis thalamos ac tubulos venoſos movetur, unde concretio, quæ quietis & motus retardati ſoboles eſt, minus poteſt contingere.

19 Deinceps heroicum noſtrum remedium in gravibus acutis paſſionibus præſertim, ubi inflammationis metus ſubeſt, præcipuum fert punctum, idque non modo in curando, ſed maxime omnium in præſervando præſtat. Eſt videlicet ſolertioribus practicorum haud incognitum, quantum periculi in febribus ſub initio & ſtatu præſertim immoderata ſanguinis profuſio habeat, cui ſymptomati ſanguinei ſic dicti & plethorici in tales incidentes morbos plerumque ſunt obnoxii: quantum itaque auxilii a venæ ſectione tam ad præſervationem, quam ad ſanationem, ſi mature inter initia morbi adhibeatur, expectandum ſit, quiſque qui mediocri tantum judicio pollet, facile dijudicabit. Pleuritides, peripneumoniæ, anginæ, nephritides & id genus alię inflammationes vel principaliter adfligunt vel ſecundario ſuperveniunt aliis morbis ob ſanguinem copioſum ſpiſſiorem factum, qualis e vena miſſus plerumque apparet. Quid vero hiſce gravibus vitiis plus præcavendis & propulſandis ſanguinis decenti detractione convenientius ſit equidem non video?

20 Abortus præſertim grandiori fœtu grave malum eſt, ipſoque partu longe periculoſius, eo quod ſecundina retenta vaſorum orificia adaperta maneant & ſic lethales utplurimum fiant hæmorrhagiæ. Invadunt tales abortiones præcipue ſanguine redundantes, ſi gravi terrore percelluntur. Præcavet vero dira hæc mala omnium optime phlebotomia in tempore inſtituta, quæ in quibuſdam confidentius repeti poteſt. Animadvertimus enim quibuſdam feminis abortum eſſe frequentiſſimum, adeo, ut repetitis vicibus recurrat, a cujus mali amolitione, aliis non neglectis, nihil aptius eſt venę ſectione, quæ pro ratione circumſtantiarum non ſemel vel bis, ſed ſingulis

men-

menſibus, ſicuti tales obſervationes mihi notæ ſunt, debet continuari. Quoniam vero ordinario abortus circa tempus menſium conſuetum ſolet invadere, opportunum utique tunc eſt, circa hoc, ſi res poſtulat, ſanguinem demere.

21 Ceterum plethoræ ſolutio gravidis adminiſtrata ſanas reddit puerperas, vividos gignit infantes & multorum malorum materiam præſcindit. Ordinario enim gravidæ ſunt plethoricæ & inde fiunt cacochymicæ multis impûritatibus in vaſis collectis, quæ matri & infanti malo ſunt, ſiquidem in puerperio purpuræ tam rubræ, quam albę, neque minus partium internarum inflammationi fomitem prębent. Solent quoque prægnantibus adhuc alia incommoda ſuccreſcere: ſcilicet pedum & abdominis tumores oedematoſi, ferinæ tuſſes, vomitiones, dorſi dolores, odontalgiæ, languores, quæ cuncta ſanguinis imminutio, non omiſſo clementium laxantium uſu, egregie præoccupat. Dein ab impuro gravidarum ſanguine infantes frequentem ſibi contrahunt labem. Fiunt non modo inde infirmi, ſed & ſi natura valet, variis exanthematibus, ut ſunt tineæ capitis, aphthę, eryſipelata, variolæ, morbilli, cruſta lactea, valde exercentur. Qui itaque ab omnibus hiſce vitiis immunes eos reddere percupit, ſanguinem ad juſtam menſuram reducat, neceſſe eſt. Quam gravia ſymptomata ſuppreſſa lochia cauſentur quotidianis exemplis edocemur, ſequitur plerumque periculoſa admodum inflammatoria febris complures perimens. Non ſemel ſed ſæpius ſummo cum fructu inter initia ſectionem venæ in puerperio, ubi lochia cohibita fuerunt, vitiis alias difficilliſimis mitioribus inde redditis vel iiſdem plane averruncatis, vidi adhibitam.

22 Accedimus jam chronicas eaſque contumaces paſſiones, quibus amoliendis vix par habet ſanguinis copioſioris diminutio. Non incognitum eſt iis, qui in artis opere frequenter verſantur, quod vere & autumno maxime circa æquinoctia graves morbi aboriantur & reſuſcitentur, in quo numero ſunt hæmoptyſes arthritides, aſthmaticæ pectoris oppreſſiones, inſaniæ melancholicæ, hemicraniæ, febres & acutæ & intermittentes, colicæ convulſivæ, hemiplexiæ, quæ ſæpe anniverſarias & ſtatas temporum periodos obſervant, hiſce generoſa & alioqui probata præſidia fruſtra ſæpe opponuntur: venæſectione vero circa æquinoctia celebrata, non neglectis iis, quę primam regionem ab impuris ſordibus liberant, omne punctum ſanationis conficitur.

23 Arthritis malum eſt, quod omnis ætatis & ſexus homines vario tempore & diverſis in artubus exercet. Et quamvis eos, qui vel natura languidiores fuerint vel præpoſtero vivendi genere debilitatem membris contraxerint, potiſſimum invadat, attamen a ſanguine plurimo, qualis fit ob evacuationes ſolennes cohibitas, maxima parte fovetur. Sanguinei enim & ſpongioſo habitu præditi plerumque fiunt arthritici, quibus ſi per hæmorrhoides aut alia loca ſuperfluus ſanguis fertur, ab hoc malo evadunt ferme immunes. Quicunque itaque a ſęvis hiſce doloribus ſuum corpus tueri percupit, is nihil prius habere debet, quam ut temperata diæta nimium ſanguinis proventum impediat: deinde omni ſtudio ea removeat, quæ viribus ullo modo convellendis idonea ſunt. At ſolenni & ſpontanea ſanguinis ceſſante vacuatione vel intermiſſa in iis, quibus humorum aderat plenitudo venę ſectione, ſi magnam malum incidit, tunc plus matura ſanguinis detractione quam ullo alia medicina efficitur.

24 Menſium profluvium, a quacunque etiam cauſa ſuppreſſum fuerit præſertim ob languentem naturam, quę circa quinquageſimum annum plerumque accidit, innumerabilibus illarum corpora malis obiicit, quæ ſolers medicus nunquam non matura venæſectione præcavere debet; hac enim graves diaphragmatis ſpaſmi cardialgiæ ſyncopticæ, cordis palpitationes inde mox conquieſcunt, neque tutius præſidium eſt, multa mala ab illis, quibus propter ętatem provectiorem plane deficiunt avertendi ipſo hoc nobiliſſimo noſtro ſanguinis mittendi remedio.

25 Dolor calculi eſt unus ex atrociſſimis, ſed ſi originem ejus ſpectemus vix

alix

alia eſt, quam quod lente nimis procedens plus juſto abundans & ſpiſſus ſanguis in renalibus vaſculis ſtagnet eorumque elaterem ac tonum imminuat, unde urinę difficilis fit ſecretio, hinc tartarus ex hac ſecedens paulatim concreſcit & inimicum hunc hoſpitem ingenerat. Videmus itaque plethoricos vitęque ſedentarię addictos, & quibus hęmorrhoides vel menſes non amplius feruntur, potiſſimum diro hoc malo exerceri. Et hęc quoque eſt ratio, quare fluentes hęmorrhoides magno ſint nephriticis remedio: ubi vero illos non provocare licet, vicariam operam ipſa venęſectio in pede prę ſtat. Et notavimus plures a calculo, quem dolor circa lumbos prænunciabat, hoc modo immunes redditos.

26 Cachexia & qui hanc inſequitur ſcorbutus atque hydrops ex ſanguinis & ſeri redundantia, factaque viſcerum inde obſtructione citra omnem contradictionem ſuam originem nanciſcitur. His difficilioribus vitiis maxime ii patent, qui fibras natura laxas exiliaque vaſa habent, atque ex victu craſſo, duro, item intemperantia, nimio otio vaſa humoribus aggravarunt. Arduum vero ac difficile eſt, has graves adfectiones viſceribus non amplius integris eradicare; neque tamen, ſi recens malum fuerit, omnis ſanationis ſpes eſt amittenda, quam in ſanguinis matura detractione motu ac labore uſuque aquarum mineralium prę cipue ponendam eſſe arbitramur.

27 Ex longis et periculi plenis vitiis non ultimum eſt phthiſis, quę multos in juventute conſtitutos perimit opprimitq; At vero ab hac venęſectione corpora defendi poſſe, paradoxon multis videbitur, ſed tamen experientię id eſſe conſentaneum, pluribus exemplis confirmatum habemus, ubi nempe junes ſanguine pleni ex variis cauſis macilenti facti, ſpiritus anguſtia, tuſſi ſicca, dolore circa pectus gravativo, calore intenſiori diu correpti in extremo phthiſeos periculo verſantes, admiſſa phlębotamia et uſurpatis aquis mineralibus cum lacte caprino mixtis, nec non pediluviis et nitroſo abſorbentibus rurſus obeſi et robuſti prę ter omnium exſpectationem facti fuerunt, priſtinis incommodis penitus ſublatis. Neque porro incognitum eſt, eos, qui hęmoptyſi patent, quam facile fieri phthiſicos, ſanguine ex aliis partibus ob ſpaſmodicas interiorum ſtricturas ad pulmones cum magno impetu congeſto, qui poſtea vaſorum orificia diſrumpens floridus tuſſi eiicitur. Iam vero nil familiarius eſt, quam quod hęmoptyſin male tractatam pulmonum exulceratio ſubſequatur. Quum vero provide inſtituta venęſectio aliaque ſanguinis a pulmone motum divertentia commodiſſime hęmoptyſin pręcaveant, hinc quoque phthiſeos periculum depelli hac ratione poſſe certum eſt.

28 Ultimum eſt, ut venęſectionem in ſenibus longam vitam producendi eſſe prę ſentiſſimum artis ſubſidium confirmemus. Communis et peſſima opinio increbuit, quæ non modo vulgum, ſed medicos etiam occupavit, ſenectuti ſanguinis detractionem eſſe inimicam, eo quod ſenibus, qui ordinario invalidi ac infirmi ſunt, non conveniat, illud, quod virium pabulum ac alimentum eſt, ſubfurari. Quoniam vero ſupra jam hanc rationem deſtruximus, hinc ſupervacaneum ducimus hæc ipſa faſtidioſe repetere; quin potius experientia ſolidoque ratiocinio nixi adfirmamus, venæſectionem ſenibus, quibus adpetitus adhuc integer ac ſalvus eſt et quorum vaſa turgent, ad longam vitam et ad ſeniles ægritudines amoliendas eſſe convenientiſſimam. Error eſt, ſanguinis miſſionem ſenectuti vires ſubtrahere, poſſem enim hoc loco complura exempla proponere, ubi ſeptuagenarii imo octuagenarii per aliquot annos ſingulis fere menſibus venam aperiri paſſi ſunt ſine ulla virium diminutione. Certo ſcimus, plures eam ætatem ad quam pervenerunt, non attigiſſe, niſi ex conſilio medico ſingulis annis minimum bis venæſectionem admiſiſſent.

29 Dein nulla regio eſt ubi tam liberaliter hoc auxilii genus admittitur præterquam in ipſa Helvetia. Nemo fere eſt, qui non bis minimum ſingulis annis venæſectionem ibi ſibi curat adminiſtrari, vixque in ulla regione, quam in hac tam longęvi homines reperiuntur. In uni-

univerſum vero plurimi ſenum ſunt plethorici, inque primis ii, qui robuſtiori natura & vegeto ad huc appetitu gaudent, quibus ſanguinis copia præſertim ex boni ſucci alimentis adſumtis intermiſſoque exercitio in vaſis colligitur, quam expedit; accumulatus itaque nimium in viſceribus ſubſiſtit, illaque infarcit, obſtruit, unde ad cachexiam & maraſmum via præparatur paratiſſima. Ob lentiorem quoque humorum curſum & perſpiratum ſegniorem perfaciles fori contingunt ſeceſſiones, unde catarrhi, tuſſes, raucedines, paralyſes, pruritus, ſtranguriæ, dyſuriæ ſenibus perquam familiares propullulant, ſi quando vero gravi animi motu vel acri frigore accedente redundans ſanguis ex partibus inferioribus ad caput & pulmones nimium urgetur, apoplexiæ & ſubitaneæ mortes, catarrhi ſuffocativi celerrime ſuboriuntur. His itaque de cauſis ſenibus ſanguine plenis nunquam venæſectionem inutilem judicamus, adeo, ut potius eam ad longam vitam impetrandam expeditiſſimam eſſe adſeveremus, modo ſimul ea quæ vires frangunt & huic ætati ſunt aliena removeatur.

30 Ex his jam adductis cuivis erit perſpicuum quam generoſum magnæque utilitatis tam ad morbos avertendos quam debellandos venæſectio ſit remedium; nunc propoſiti ratio quoque poſtulat ut de ejus noxio uſu quædam dicamus. Multi proh! dolor ſunt, qui omnium fere morborum ortum & cauſas, nimia ſanguinis abundantia deducunt atque derivant, eaque propter liberales nimium ſunt in ſanguine profundendo, ac in omnibus tantum non morbis venam ſecandam eſſe præcipiunt prætereaque ſciunt fere nihil. Etenim ſanguinis & bonorum ſuccorum in vaſis copiam, hæc nimium diſtendendo, lentius juſto progredi ſpiſſeſcere, imminutis excretionibus ſordibus inquinari & vitalibus motibus infenſam fieri, eaque propter ſubtractionem exigere, eſt utique certum. Sed pari ratione viciſſim firmum eſt ratumque: ſanguinis & bonorum ſuccorum defectum ac inopiam, ſive parciorem juſto quantitatem, cum vitæ & ſanitatis periculo junctam eſſe, & fœcundam morborum ſuppeditare matrem, ac ob id conſervationem potius, quam conſumtionem ſanguinis poſcere. Vires enim, quæ functionibus, & vitalibus & animalibus & naturalibus præſunt, ſufficientem omnino ſanguinis & humorum, ad facilem & liberam circulationem, quantitatem poſtulant; hæc autem imminuta ad ſolidorum robur naturale, vim motricem ac tonum non ſufficit, his vero elangueſcentibus, labaſcit illico humorum progreſſus, ſanitas ipſaque vita. Teſtes hujus ſunt ii, qui ſanguinem non adeo copioſum in venis alentes, eundem inprimis paullo largius ſubtrahi patiuntur, quippe qui, haud raro ſub ipſa miſſione, ſuſpenſo cordis & arteriarum motu, animo deficiunt, in animalibus poſtea æque ac voluntariis motibus, notabilem perſentiſcunt languorem, & oppreſſis viribus, de digeſtione languente & ſtomachi gravitate juſtas edunt querimonias. Quid? quod etiam in vulgus notum eſt, effuſo nimium ex vaſorum ſyſtemate ſanguine, cum viribus vitam & animam effundi. Ut adeo, vel ex hiſce tantum, abuſum etiam in ſanguinis miſſione frequentiſſime committi poſſe, pateat abunde.

31 Inducuntur autem plerumque morborum artifices ad præpoſterum ejuſmodi conſilium falſa illa hypotheſi quaſi morbi tantum non omnes orirentur ex plethora. Noſtra igitur jam demonſtrandi methodus primo omnium exigit, ut hanc confutemus, & evictum demus; plurimos & præcipuos morbos, non a ſanguinis & humorum abundantia, ſed ex longe aliis cauſis, maximeque virium & ſuccorum inopia, ortum ducere. In quo quidem recte perficiendo, ex vere pathologiæ principiis in genere repetendum erit: nullum morbum, ſive præternaturalem in ſolidis & fluidis corporis noſtri partibus mutationem, ſine præcedente violenta quadam, in nerveo muſculoſas, quæ motibus præſunt membranas, actione contingere; hanc actionem, vel augendo & intendendo, vel minuendo & deſtruendo, vel etiam varie alterando & determinando vim motricem, morboſam illam mutationem inducere, idque vel

per

per nimiam harum exquiſitioris ſenſus partium diſtenſionem, vel compreſſionem, tractionem, punctúram, lancinationem, roſionem, aut continui læſionem ac dilacerationem fieri. Cauſas vero hos naturę humanæ adeo inimicos effectus præſtantes, non unius ejuſdemque indolis ac generis eſſe; alias mole & quantitate nimia; alias mole exili & varia particularum perverſa figura & qualitate acri, ſalſa, cauſtica; alias materia craſſiori; alias ſubtiliori; alias exhalatione putrida, ſulphurea, vaporoſa; alias nimium relaxando & colliquando; alias nimium conſtringendo & exſiccando, calore aut frigore intenſiore, noxium edere hunc effectum. His vero omnibus tam diverſi generis morbificis cauſis tollendis, an ullo modo ſatisfacere queat ſanguinis miſſio, nemo, quantumvis perſpicax & acutus, capere valet.

32 Jam, ſi ſpecialius ipſas morborum origines diſquirimus; ſtupendæ profecto exiguitatis ſunt illæ exhalationes, quæ malignos, peſtilentes, petechiales, dyſentericos, exanthematicoſque morbos inducunt, ac quæ intima corporis ſubeundo iiſdemque adhærendo, motuum in ſolidis & fluidis œconomiam graviter pervertunt; ita vero comparatæ, ut neutiquam ſanguinis ſubtractione amoveri queant & eliminari, ſed potius eo firmius impingantur. Quantopere ſolus immaterialis actus, ob commercium animam inter & corpus, ſine ulla materiali, quantitate, vel qualitate delinquente cauſa, univerſum partium nervoſarum ſyſtema afficiat & præter naturam commoveat, quamque graves & exitiales ſæpe, chronicæ æque ac accutæ paſſiones, inde accerſantur, animi affectus, mœror impenſus, angor, metus gravis, cura ac ſolicitudo, terror, ira vehemens, cum profundis aſſiduis meditationibus ſatis ſuperque teſtantur. Quæ omnia, ubi accidunt, ſanguinis miſſio, niſi eminens concurrat plethora, utique plus detrimenti affert, quam emolumenti.

33 Populares dein morbi, qui uno tempore, ob inſolitam temporum conſtitutionem diuturnam ſubitaſque tempeſtatum viciſſitudines, infeſtant plures, uti ſunt ex febribus maxime catarrhales, benignæ & malignæ, intermittentes, tam quotidianæ, tertianæ, quartanæ, quam anomalæ, arthriticæ, ſynochæ cum cacochymia complicatæ, rheumaticæ, pleuriticæ ſpuriæ & hujus generis aliæ, longe frequentiores & periculoſiores ſunt iis, quibus ſanguis & ſucci laudabiles deficiunt, quam quibus abundant, ac ſanguinis miſſionibus utplurimum & graviores redduntur, & contumaciores. Qui milites, ob perpeſſum in caſtris interdiu æſtum, noctu frigus, toleratam famem, vigilias, victum & potum inſalubrem, nec non inquinatum putridis effluviis hauſtum aerem, affligunt autumno & in hiberna concedentes, graves morbi, tanto magis ſi putridorum genium habent & ſummum ſpirituum & boni ſanguinis defectum arguunt, tantum abeſt, ut venæſectionem ferant, ut potius inde exacerbentur ac teſte Ramazzini *de morf. artif. pag.* 292. id remedii genus ſuſpectum ſemper fuerit obſervatum, quin funeſtum.

34 Quæ bilioſus humor, vehementi ira ſubito & cum impetu ex univerſo ductuum biliariorum ſyſtemate in duodenum exturbatus, mora acrior & corroſivus factus, ventriculi & aliarum partium nervoſas ſentientes exquiſite membranas, lancinando, vellicando & ſpaſmodice conſtringendo, ſuſcitat mala, cardialgiæ ſyncopticæ, febres inflammatoriæ, cholericæ, tertianæ continuæ, cauſi, icthericæ, lentæ & hecticæ, omnis fere generis evacuationes, maxime omnium vero ſanguinis, reſpuunt, ac potius demulcentia, diluentia, & ſedativa poſcunt. Morbi, qui ex vitio digeſtionis & dejecto inteſtinorum & ventriculi tono oriuntur, multi & graves, ac colluvie crudorum acido-viſcidorum ſuccorum nerveis tunicis inhærentium, has rodendo, vel ubi in flatus reſolvuntur, diſtendendo ſunt moleſtiſſimi, maxime iis, qui natura debiliores, a morbo diuturno convaluerunt, otio & gulæ indulgentibus, ſenibus, etiam lactentibus, colicæ flatulentæ, plurima hypochondriaco affectui juncta pathemata, vomitiones, diarrhœæ, phlogoſes, eructationes, tuſſes, cephalalgiæ, interdum etiam convulſiones,

tan-

tantum abeſt, ut ſanguinis ſubtractione quicquam levaminis accipiant, ut potius imminuto inde plus robore, magis ingraveſcant.

35 Mitto jam illos attrocibus ſymptomatibus ſtipatos morbos, qui a morſu vermium in inteſtinis, a calculo aſperiori & grandiori in uretheribus & biliariis ductibus, nec non urinariæ veſicæ collo, a materia arthritica articulorum membranas ac rodente, a punctura tendinis, aut alia externa violenta cauſa accidere ſolent, quibus omnibus nihil plane cum ſanguinis plenitudine commercii, ac proinde etiam cum ejuſdem ſubtractione, niſi admodum per accidens, ut ſymptomatibus occurratur, ſed longe alia indicantur auxilia. Neque etiam dicam de contumacibus ac gravibus, quin funeſtis ſæpe occurrentibus paſſionibus, aſthmate humido, ſuffocativo catarrho, pectoris aliiſque hydropis ſpeciebus, ſyncope, cordis palpitatione, quæ a polypoſis in corde & majoribus vaſorum concrementis, poſt mortem reperiundis, ortum ducunt. In his enim cunctis, venæſectio, niſi forſan ad præſervationem, locum invenit nullum, ac potius eſt detrimento. Neque minus quotidiana & funeſta ſunt exemplo eorum, qui ex hauſtu potus frigidi, corpori ſudanti ingeſto, ventriculi inflammationem, phthiſin, lentam & hecticam febrem, hydropem, hypochondriacos ſic dictos ſpaſmodicos incurrerunt. Sed quid etiam his in morbis a ſanguinis miſſione exſpectari queat auxilii, nec ego, nec quiſquam alius in arte exercitatus, perſpicere valet.

26 Præter hos autem, a cauſis, figura irregulari, ſubtilitate inimica & mole parva nocentibus, inductos morbos, ſunt adhuc alii, qui non tam a ſanguinis & ſeri corrupti copia, quam potius debilitatiſſimæ ſuccorum ſubſtantiæ defectu ingignuntur, ac venæſectionem ea propter minus commode ferunt. Hos inter primum merito locum obtinere videtur, venerea & ſcorbutica lues, cui variæ morborum externorum cutem defœdantium ſpecies accedunt, lepra, herpes, ſcabies, furunculi, tumores in ulcera mali mores deſinentes. Omnia enim hæc vitia, neutiquam a ſanguinis & humorum plenitudine fiunt, neque etiam, ut in ſimplici cacochymia accidit, intemperie ſive dyſcraſia viſcida, aut falſa nituntur, ſed potius in defectu ſpirituaſcentiæ ſuccorum, ſive inopia ſubtilioris, purioris & ſpirituoſi elementi, quod in ſanguine a veteribus vitalis, & in cerebro animalis ſpiritus, nomine fuit inſignitum, ſuum habent fundamentum. Hujus quippe ſi ſufficiens adeſt quantitas, humores in craſi, conſiſtentia & mixtione naturali ſervantur quam optime, ac a corruptela vindicantur; ubi vero deficit, fluida corporis a naturali σχέσι, unione & mixtione perquam facile deſciſcunt & in corruptionem ac vappeſcentiam abeunt. Et certe quantum ad ſervandam fluidorum integritatem conferat nobile hoc ſubtile elementum, in phyſicis teſtimonio ſunt aquæ, tam pluviales, quam fontanæ, minerales quoque & medicinales, quippe quæ aufugiente ab ipſis ſubtili ætherea elaſtica materia non modo ſaporem genuinum cum virtute medicamentoſa amittunt, ſed & facile corrumpuntur atque putreſcunt. Idem vino accidit, quod ſubtili & ſpirituoſa ſua parte orbatum, vappam contrahit, ac immutata plane priſtina mixtione ac unione, ſub leni digeſtione in acetum degenerat. Atque etiam ex his ingentis illius in malo ſcorbutico corruptionis quam facile ratio eſt repetenda. Cauſæ enim ipſius utplurimum ſunt aer denſus, humidus, materia elaſtica in locis humidioribus cibi exſucci, indurati, craſſioris compagis, ſubtili elemente orbi, potus aquarum ſtagnantium, crudarum ſpirituoſa parte deſtitutarum, cum vita otioſa motuſque experte. Quæ omnia, junctim ſumta, corpus non modo viribus defraudant, ſed & ſuccos a naturali indole deciſcentes & in corruptionem propos ingignunt, unde graviſſimi memorati morbi ducunt originem.

37 Demum in perquirenda morborum geneſi & hoc memorabile occurrit, quod plures ex iis, ut apoplexia, deliria, phrenitides, ventriculi inflammationes, hæmoptyſes, peripneumoniæ, para-

lytes, neque a ſanguinis & humorum abundantia, neque intemperie ad dyſcraſia, in ſe ſpectata, originem ducant, ſed potius incuſandus ſit error quaſi loci incongrui, in quem ſucci & ſanguis ſunt delati. Id enim non infrequens eſt, per aliarum, etiam ſæpe remotarum partium ſtricturam, ſpaſmos, flatus, animi affectus, corporis exæſtuationem, calorem & factam poſtea refrigerationem, aliaſque cauſas, ſanguinem in capillares tubulos propelli, qui ſecundum naturam ſanguinem nec capiunt, nec ferunt, ſed tenujorem humorem, cruorem in eos vectum hærere ibi, colligi & impactum mala tam atrocia ſuſcitare. Sanguis autem ſic in anguſtiſsimis vaſis incarceratus, neutiquam evacuatione artificiali factæ liberatur, eaque propter venæſectio auxilium afferre valet, directe nullum, licet, ſi plethora urget, ad intercipiendum majorem ad partem laborantem affluxum, & impediendum inflammationis incrementum, derivandi fine uſum habere queat. Nec aliter de ſanguinis miſſionis uſu in intermittentibus ſentiendum. Si enim in earum geneſin inquirimus, eas plerumque vitii in aere, aut pravi victus, fœtus eſſe conſtat. Nihil autem ipſis commercii cum ſanguinis plenitudine, eaque propter ejuſdem ſubtractione neutiquam tolluntur, ſed experientia teſte redduntur chronicæ, niſi in reſervatis quibuſdam caſibus, ex accidenti, plethora eminente, eadem judicetur neceſſaria.

38 Gravia porro damna, qua ex indiſcretim inſtituta venæſectione reſultant paulo uberius & ſpecialius jam excutiemus. In quo exſequendo, primo omnium cenſuram meretur, illa erronea, tam vulgi, quam chirurgorum, ipſorum etiam medicorum minus peritorum opinio, qua omnibus ferme hominibus, ad corpus a morbis vindicandum, venæſectionem verno tempore utilem ac neceſſariam eſſe putant. Id quidem certum, quod ineunte vere, quo ſanguis, hieme ad corporis exercitationem minus apto, ſub impeditiore perſpirationis ſucceſſu, uberius collectus, atmoſphæra iterum calidiori reddita, expandit ſeſe majuſque affectat ſpatium, iis præſertim, qui ad generationem copioſi ſanguinis proclives ſunt, ad præſcindendos ex ſuccorum plenitudine imminentes morbos, utile ac neceſſarium ſit, ut copia exundans ſubtrahatur; interim tamen id neutiquam univerſale cenſendum. Non enim in omnibus tum adeo ſanguine plena vaſa, ut depletionem poſcant, quin quandoque plane virium languor adeſt atque debilitas, ſive per morbum prægreſſum, immoderatos animi affectus, vigilias nimias, aut digeſtionis & appetentiæ vitio fuerit inducta. Quod ubi accidit, ſanguinem non perdere, ſed potius ingignere & longe aliis præſidiis ſervare decet. Vidimus certe plures, corporis tenujoris ac debilioris, poſt ſanguinis, inprimis paullo liberalius inſtitutam vere miſſionem, in majorem virium proſtationem, gravativum & preſſorium artuum dolorem, neque minus in rheumaticas & catarrhales incidiſſe febres, quæ, accedente medentis errore, in lentas tandem deſierunt.

39 Pari ratione falſa eſt opinio illa pervulgata: nonniſi circa æquinoctium, ante, aut poſt illud proxime, venæſectionem eſſe adornandam. Nam licet plurimi medicorum mirabilem prorſus æquinoctii in corpus humanum influxum eſſe credant; is tamen alius eſt plane nullus, quam qui a calore ſolis pendet, neque certa ſemper tempeſtatum ratio, ſed interdum plurimis ante æquinoctium diebus, interdum circa illud, mitior & calidior atmoſphæræ eſt conſtitutio. Quare nos, ex mente ipſius Hippocratis, qui in omni magna ac ſubita tempeſtatum viciſſitudine, quæ æquinoctii tempore eſt maxima, diſſuadet meditationes magnas, venæſectionem, cum ipſis Heluetis, tutiorem judicamus Februario menſe, ſi ſerenum eſt cœlum, ubi non tantæ aeris ſunt mutationes, quæ perſpirationem mire lædunt. Atque etiam ſi aliquot ante æquinoctium hebdomadibus, incidat inſuetus calor, minime exſpectandum æquinoctiale tempus, ſed plethoram citius ſolvendam eſſe cenſemus, ne ſanguis ob expanſionem in venis, periculum intentet.

40 Non

40 Non autem frequentiora ſunt medicorum in præcipienda venæſectione delicta, quam in femillis. His enim quia ſolennis ſpontanea ſanguinis per uterum emiſſio, hujus ſucceſſum, nunquam fere non urgent morborum artifices, et ſanguinis miſſione in pede proritate nituntur. Si forſan occurrit virguncula ægrotans, agens decimum circiter quartum ætatis annum, quo plerumque erumpere ſolet primum uterina purgatio, in hac provocanda illico ſunt toti. Licet autem in iis, quæ anguſta et exilia habent in utero vaſa, ac ceterum natura ſunt ſenſibiliores, difficulter admodum ſuccedere ſoleat eruptio prima, multaque valetudinis afferre incommoda; peſſime tamen ſanitati conſulunt ii medentum, qui menſes moventibus & ſanguinis miſſionibus fluxum procurare pertinaciter et vi contendunt. Leniſſime enim et circumſpecte tractanda ſunt tenera ejuſmodi corpora, tam medicamentis, quam ipſa venæſectione, quæ niſi manifeſta plethora et vaſorum turgeſcentia poſcat, plus erupturi ſanguinis effluxum impedit, quam adjuvat. Longe vero melius balnea, infeſſus aquarum mineralium motus, frictiones, balſamica temperata et potus ordinarius accommodatus, deſideratum hunc menſium fluxum eliciunt.

41 Multo magis adhuc, vel conſcientiæ cauſa, notandum illud præpoſterum quorundam molimen, quo, ubi menſium defectus adeſt, ut hunc reſtituant, omnibus viribus, reluctante ipſa natura, pugnant. Evenit enim ſæpius, ut a puerperio, largiori lochiorum fluxu ſtipato, a prægreſſo diuturno ſuccos conſumente morbo, menſium profluvii ſtata periodo, bis, vel ter obſervetur defectus, aut parcior ſucceſſus. Quod ubi animadvertunt illi plethoram ubique crepantes medici, ad majus, ut putant, avertendum periculum, repetitis venæſectionibus inſtant, quin quandoque emmenagogis paullo fortioribus, ex radice bryoniæ, crocco, ſabina, myrrha, bacis lauri, cum vino aut aqua infuſis, aut etiam in elixirii formam redactis, nec non balſamicis pilulis, motum ſimul corporis, quantum fieri poteſt, validum imperantes, menſes iterum emovere conantur; quum tamen potius imbecillia ejuſmodi, ſuccis bonis viribuſque exhauſta, ac malis ex vacillante digeſtione ſuccis referta corpora, clementioribus laxantibus, ſtomachicis temperatis & juſculis nutrientibus fuiſſent excipienda. Unde non mirum, ex præpoſtera ejuſmodi medicatione, miſeras in longe majorem conjici miſeriam, in cachexiam, lentas febres, quin ipſam hecticam funeſtam. Non certe novimus complura, veritatem hanc, licet odioſam, confirmantia exempla, e quibus etiam eſt, quod in femina, tenerioris et debilioris conſtitutionis, vidimus. Profuderat hæc poſt partum ſanguinem largiter, cum tanta virium proſtratione, ut nec caput, nec corpus, ſine metu animi deliquii erigere poſſet. Periit poſtea appetentia, ſucceſſit lenta febris et calor cum ventris torminibus, ſimulque elapſis ſic aliquot menſibus, ſubſtitit, ob ſanguinis inopiam, menſius fluxus. Ad quem revocandum, inſtituta aliquoties ſanguinis miſſio et datæ pilulæ ſic dictæ balſamicæ, eo cum effectu, ut virium decrementum increſceret, febris purpurea et petechialis ſuccederet, et hac depulſa, hectica preſſo pede obreperet febris, ac intra menſis ſpatium, ſanguinem cum ipſa vita abſumeret.

42 Non leviora ſunt intempeſtivæ venæſectionis damna, iis in morbis, qui ex imminuta, aut reſtitante plane uterina purgatione, ſenſim ſuccreſcunt et diu extrahuntur, chloroſis, cachexia, virium et appetitus proſtratio, lentus calor, cum atrophia. Enimvero primordia horum morborum ex menſtrui fluxus vitio repetenda eſſe notum eſt quidem ac certum. Neque etiam negandum, venæſectionem, mature et circumſpecte adminiſtratam, interpoſitis aliis congruis remediis, egregie prodeſſe. Sed quando res eo devenit, ut elapſo jam aliquot menſium, aut longioris temporis ſpatio, infectis magna labe humoribus, atrophiæ phthiſicæ & hecticæ ſit ſuſpicio, cum eminentiori virium defectu ſtipatæ; perperam ad primam illam cauſam dirigitur medicatio, ac ut menſes extundantur, iterata adornatur in pede venæſectio.

Nam hac methodo fieri aliter nequit, quam ut malum præſens increſcat, & conſumtis cum ſanguine viribus, mors acceleretur. Atque etiam ſic omnino evenire, teſtatur experientia, qua novimus, complures feminas, ob impenſum diuturnum animi mœrorem & angorem, incidiſſe in inſuetam ipſis menſium difficultatem, ſanguinem miſiſſe, eoque adeo debilitaſſe ſtomachum, ut vomitu rejecerint omnia; ſedato vomitu, ſucceſſiſſe dein erraticam febrem, cum quotidiana quadam intermiſſione, menſibus tum penitus retentis, ut redirent, iterum venæſectionem admiſiſſe miſeras, ſed pejus habuiſſe, & lentam febrem, in phthiſin & hecticam veram degenerantem, incurriſſe, cum vitæ jactura. Quare firmiter omnino, ceu practicum axioma, tenendum inculeamus: in lentis feminarum febribus, multo magis hecticis ipſaque phthiſi, licet ex menſium defectu primam traxerint originem, menſtrui fluxus per venæſectiones aliaque remedia revocationem, nunquam eſſe moliendam.

43. Eadem ferme ratio illius feminis adeo frequentis paſſionis hyſtericæ, quæ univerſum nervoſarum partium ſyſtema male afficit & multis gravibuſque ſymptomatibus ſtipatur. Nam hujus quoque incunabula ex deficiente ſanguinis ſuperflui per uterum excretione; atque etiam ſi recens malum eſt, ſanguinis miſſio, cum judicio adornata, præſidio eſt egregio, tanto magis, ſi ipſius operatio poſtea medicamentis roborantibus, ſanguinis ſpirituaſcentiam & circulationem liberiorem promoventibus, ſecundetur. Aſt, ſi jam anno, aut longiori tempore, firmas egit radices & in feminis poroſi corporis habitus eo proceſſit, ut a magna ſtomachi inflatione ſyncopes, facies pallida, cordis palpitationes, artuum tremores & quæ alia gravitatem mali indicantia pathemata, acceſſerint, vena ſecanda cautione ſumma, ne, uti ſæpius, ſi inconſiderato fit, accidit, ſymptomata aliquantiſper inducias dare viſa recrudeſcant, ſed potius thermalium aquarum potu & balneo, junctis balſamicis, medicatio perficienda.

44 Quæ omnia ſcuti de feminini ſexus ex menſium vitio morbis ubertim conſtant; ita non minus obvia medica pecta, quæ in virili ſexu, ex præjudicio de ſalubritate hæmorrhoidali fluxus, ſubinde committuntur. Eadem autem tenenda de his, quam quæ modo inculcavimus. Scilicet quamvis in morbis, qui poſt reſtitantem conſuetum hæmorrhoidum fluxum impetunt, in cachexia, hydrope, tympanitide, atrophia cum lenta febre & virium proſtratione, ſtatim ab initio cum cœperunt gigni, proficuum eſſe potuiſſet, ſi vena ſecta fuiſſet & uſurpata ea, quæ ſanguinis curſum ad inteſtina craſſa maximeque rectum placide direxiſſent; fruſtra tamen non modo, ſed & cum certo damno poſtea in his quæritur auxilium, quum mala longiori mora invaluerunt & jam inſignem viſcerum labem introduxerunt. Tantum intereſt, ut medicus obſervet opportunitatem & medendi occaſionem, qua dimiſſa, priora, quantumvis egregia præſidia, poſtea juvant nihil, quin nocent.

45 Inprimis ſevera cenſura dignus, pathologicus ille, qui ſectariis multorum animis altius inſidet error: hypochondriaci mali originem unice fere petendam eſſe ex plethora & ſanguinis ſpiſſitudine, nec non deficiente hæmorrhoidalis fluxus ſucceſsu. Quo inducti, ruunt dein in errorem therapeuticum: ſanguinem eſſe ſubtrahendum, ani ſtillicidium proritandum & corpus valide movendum. Aſt tot & tam gravia a venæſectionis in hypochondriacis abuſu damna ſæpius notavi, ut per ipſam conſcientiam, perverſam ejuſmodi medicationem non poſſim non, quin ipſam deteſter magnopere & ab eadem ſerio dehorter. Enimvero ſi originem hujus paſſionis diſpicimus, naturæ utplurimum debetur infirmitati, ſive nativa ſit a parentibus accepta, ſive ſtudiorum & animi intemperantia, aut aliis vires attenuantibus contracta. Quæ etiam detinet corpora, bonis ſuccis & ſanguine plerumque ſunt deſtituta, ac præterea ipſis illis gravibus ſpaſmodicis pathematibus, animi utplurimum impotentia ac in mœrorem proclivitate ſtipatis longe magis adhuc infirmantur. Unde non mirum eſt, ſic afflictos & jam debiles, cre-

crebris venæſectionibus crebriſque per pilulas fortioribus purgationibus, in pejorem valetudinis ſtatum adduci, & ſuccedere majorem virium languorem, inappetentiam, animi & præcordiorum anguſtiam, melancholicas mentis turbas, cum pulſu debili & inæquali. Quæ autem circa portæ venam in meſaraicis & hæmorrhoidalibus vaſis adſunt ſtagnationes, neque ſpiſſitudini ſanguinis, qui emiſſus plerumque apparet tenuiſsimus, neque copiæ boni, cujus magis præſto eſt defectus, unice tribuendæ, ſed potius virium imbecillitati ſolidorumque robori dejecto, fluida contenta minus efficaciter propellente; eaque propter liberaliori ſanguinis ſubtractione obfirmantur potius, quam ſolvuntur. Et illa hypochondriacos in infimo ventre ſubinde male habentia ſymptomata, tormina, dolores preſſorii ac tenſivi a lumbis ad ſacrum os excurrentes, quibus quandoque jungitur dolens venarum in ano protuberantia ac humoris ſanguinolenti viſcidi cum teneſmo ſeceſſus, effectus ſæpius atque producti ſunt ſpaſmorum inteſtina gravius detinentium, quam ſolius plethoræ indicia

46 Præterea ultro quidem largimur, in morbis, qui a ſanguine in vaſis maxime abdominis ſtagnante oriuntur, ſpaſmodicis ſcilicet inteſtinorum doloribus, veſicæ urinariæ mictum ſufflaminante ſpaſmo, indeque pendente dyſuria contumaci, nec non doloribus tenſivis dorſi, iſchii atque etiam inteſtini recti, ſanguinis miſsionem in pede utiliſſimam eſſe iis, quorum corpus ſuccis plenum & vaſis non adeo minutis donatum. Sed ubi tenerior corporis habitus, vaſa exiliora, nec vires adeo vegetæ, idem hoc remedium, licet ſymptomata primum minuere videatur, curam præſtat mere palliativam, ac pathematum atrocia ſenſim non modo iterum poſtea ſuccreſcit, ſed & increſcit. Quin, ipſa venæſectio, crebro & intempeſtive inſtituta, ad ejuſmodi ſtagnationes ac inde oriundos morbos diſponit, tanto certius, ſi corpora imbecillia ſunt atque tenuia. Etenim illæ ſanguinis & humorum ſtagnationes, non ſemper a copia ipſorum pendent, ſæpe potius a deficiente vaſorum vi motrice, progreſſum humorum ſervante, quam vero ſanguis nimium ſubtractus magnopere labefactat. Vehementer igitur delinquunt ii medici, qui in hiſce morbis nonniſi ad ſanguinis abundantiam, quæ tantum particularis ob deficientem ibi virtutem motricem eſt, medicationem venæſectione dirigunt, non vero, ut roborantibus ac diluentibus ſolidis robur reddant propellens, ac liberum & expeditum ſanguinis procurent commeatum, quo tamen omnes hæ paſſiones quam optime aut penitus tolluntur, aut minimum multum levantur.

47 Neque hac occaſione reticendum, crebram inconſulto inſtitutam veneſectionem, corpora ad affectus ſubcutaneos, & qui ex ſeri acrioris impuritate fiunt, reddere diſpoſita. Noſtro hoc tempore inter exanthematicos hos morbos maxime frequens eſt purpura, quæ vario colore, maculis ac puſtulis etiam ſubinde prodit non modo ſola, ſed & aliis morbis complicatur, ac inſuetis plane gravibus ſymptomatibus, ut ſtipentur, facit. Cauſam autem hujus frequentiæ nullam aliam ſubeſſe autumo, quam quotidianum intemperatum, calidorum potuum, maxime ex fabis coffee uſum, cum ſanguinis miſſionibus, jam noſtris plus quam ſeptentrionalium regionum incolis familiaribus. Illis enim calidis potibus ſanguinis ex humorum maſſa multis heterogeneis, ſalino-alcalinis, ex parte empyreumaticis, inficitur particulis, & calor ipſe motum inteſtinum intendendo in corporis ſuccis alienas multas gignit materias, ac præterea quæ inſunt ſubtiliores reddit ſimulque deteriores. Venæſectiones autem crebriores in omnibus fere, debilioribus & fœminis maxime, ſedentariæ vitæ ſub potu parciori diluente addictis, ſanguinis ad capillaria ſubcutanea vaſcula affluxum minuendo, perſpirationem impeditiorem, ac ut retineantur illæ ſordes, faciunt. Cui, ſi acceſſerit alvi ſegnities, magis adhuc inquinatur humorum maſſa, nec mirum, conflari ſic fermentum quaſi exanthematicum, demum prorumpens morbumque inducens. Idem vero etiam cum aliis cutis deſędationibus ſuccedere, ipſius experientiæ fide conſtat.

ſtat. Novi in corporibus a febre chronica reſtitutis, adhuc tamen languentibus, inſtituta æquinoctii tempore ſanguinis miſſione conſueta, erupiſſe brevi poſt per omnem ambitum ulcera & abſceſſus tetros, quorum coalitus, recrudeſcente ſæpe exulceratione, medentibus multum faceſſit negotii. Ratio hujus in proclivi eſt: febrili quippe inteſtino motu diu perſeverante, ipſe ſanguis in tenue, impurum, ſalſum ſerum eſt reſolutus, ſimulatque ſolidorum robur morbo ita attritum, ut ſordium genitarum per convenitia emunctoria non rite perfici potuerit excretio. Detracta dein per venam ſectam adhuc ſanguinis parte, reliquus intus contenta ætherea elaſtica materia, facto ſpatio, impenſius agitatus, utiq; plus in ſerum impurum eſt diſſolutus, quod retentum pariter, excluſit materiam inducendę ſcabiei aliiſque cutis defœdationibus idoneam.

48. Quod ſi etiam jam in corporis ſuccis præſto eſt ejuſmodi materia ſanguinis mixtioni & nervoſis partibus infeſta, eaque propter extus pellenda, podagrica, arthritica, eryſipelacea, purpuracea, variolas & morbillos faciens, cum venæſectione mercandum eſt cautiſſime. Quando enim vaſa repleta ſunt ſanguine craſſo, in quo genuina plethoræ miſſionem urgentis continetur ratio, neutiquam ſub initium ſtatim, ſi vena pertunditur, nocet, ſed potius inimicæ illius materiæ ad corporis ambitum ſeceſſum adjuvat. Verum ſi venæ plus ſero ſanguineo, quam ipſo conſiſtente ſanguine ſunt oppletæ, vireſque imbecilles, ſanguinis ſubtractione nihil eſt deterius atque nocentius. Hoc etenim facto impeditur excretio, ac potius retroceſſio fit materiæ, quæ ad interiores nobiliores exquiſitioris ſenſus partes delata, ſuſcitat ibi pathemata ac damna graviſſima. De quo obvia paſſim ſunt exempla, facile recenſenda, ſi tempus ferret & occaſio. Inprimis de purpureo exanthemate eſt in comperto, id difficulter penitus eradicari, ſed relinquere quaſi fermentum, quod reviviſcens, crebro morbum inducit eundem. Interim ſi placida ipſius ad cutem fit emiſſio, & debito regimine excipitur, vacat periculo & poſtea redit ſanitas; ſi autem præpoſtera ſanguinis miſſione, illud retinetur exanthema, atrocia ſymptomata, melancholici, maniaci & apoplectici inſultus ac ſuffocativi catarrhi cum convulſivis quandoque motibus, ſuccedunt, tanto certius in tenerioribus ac animo mobilioribus.

49 Mitto jam turbulentos illos ſanguinis motus & pernicioſas ſanguinis congeſtiones inflammatorias, quas venæſectio, liberalius juſto minuſque opportune inſtituta adducere valet, de quo noxio effectu ſanguinis miſſionis, non in uno, ſed duobus locis adornatæ, tres conſignavit obſervationes Hildanus *cent. 6. obſ. 92.* Is autem non prætereundus venæſectionis abuſus, qui ſubinde committitur in iis, qui pathematibus ſpaſmodicis, convulſivis & epilepticis detinentur. Recte enim jam pridem dixit Hippocrates: ſpaſmos & convulſiones non tantum a repletione fieri, verum etiam ab inanitione. Quæ poſterior cauſa ubi ſubeſt, ac morbus non ex nimis aucta ſanguinis bene conſiſtentis copia, ſed ſeroſi potius atque attenuati nimium vitio accidit, pertuſa vena, nunquam non augetur & contumacior redditur.

50. Ceterum in genere de venæſectionis in ipſum ſanguinem effectu, inter omnes, qui rationem ſequuntur ducem, eſt pro certo: poſt eam relictum in vaſis cruorem magis attenuari, eo quod particulæ aereo elaſticæ, quæ nunquam non in ipſius ſinu hoſpitantur, mole nimia antea compreſſæ, facta ventilatione, in vacuum cedunt locum, ſeſe expandunt & irrequieto ſuo motu ſanguinem interfluum agitando, craſſiores moleculas diſcerpunt, attritu attenuant eoque majorem ipſi conciliant tenuitatem. Unde, noſtra quidem ſententia, vix certior ſanguinem mittendi eſt indicatio, quam ubi viſcidus is & craſſus comparet, a colore obſcuro veteribus dictus atrabilarius, qui in aqua multum ſubſtantiæ gelatinoſæ dimittit, cujuſque ſerum mox poſt emiſſionem in offam ſupranatantem denſatur. Sic enim comparato ſanguine, utiliſſima ipſius miſſio, tum ut tenuior reddatur atq; fluxilior, tum etiam ut eo promtius

tius circumagi & ſolidis robur fœnerare poſſit. Contra ea, ſi ſanguis jam tenuis nimium eſt atque ſeroſus, ac deficientibus moleculis ſolideſcentibus, plus aeris, quam ſanguinis venis ineſt, ipſe quoque ſanguis emiſſus & frigefactus reſpuit coagulum, venam ſeccare damnoſum eſt atque pernicioſum. Quam ob rem atro merito carbone notandus ille nonnullorum paſſim obvius practicus error, quo nimium ſanguinis, per tuſſim, ſputum, narium, aut ani venas, fluxum, iterata ſanguinis, non bis, ſed vel quinquies & ſexies intra menſem ſubtracticne, cohibere nituntur. Nam licet profluvium ad tempus conquieſcat & pallietur quadantenus, neutiquam tamen tollitur, ſed ſanguis inde tenujor factus ſimulque imminuta perſpiratione acrior, eo magis per apertos tubulos exitum affectat & malum vehementia recrudeſcit majori.

51 Sed nolumus diutius immorari enumerandis hiſce tædioſis medicorum delictis: præſertim quum jam paſſim in variis ſcriptis hæc cum aliis perſtrinxi, maximeque in *diſſert. de imprudenti medicatione multorum morborum cauſa*, nec non ea, quæ *de medicis morborum cauſa*, inſcribitur. Subjiciemus potius tantum ex pluribus utiliſſimas cautelas, ad evitanda damna in ſuadenda venæſectione ſervandas.

I. Magis proficua eſt ſanguinis ſubtractio carnoſo corporis habitu præditis, quam obeſis ac pinguibus. Hi enim vaſa exilia habent & progreſſus humorum lentus et perſpiratio eſt impeditior; hinc quam facile a copioſa ſanguinis detractione tam celerem animi patiuntur defectionem, quare potius alia via exſuperantes ſuccos educere oportet; juvat potius hunc in finem ſcarificatione et leni laxante humorum abundantiam minuere: in carnoſis autem longe turgentiora ſunt vaſa, ampliores canales, magnum cor, quod vaſorum amplitudini reſpondere ſolet, apparent; quare confidentiorum macilentioribus ſanguinem etiam in copia mittere poſſumus.

II. Errorem committunt, qui artes operoſas exercentibus plus ſanguinis ſubtrahunt, quam ſellularias tractantibus. Motus enim et exercitio corporis ipſis quotidiana, ad juſtam quantitatem ſanguinis in corpore ſervandam, et nimiam abſumendam, jam eſt ſufficiens. Sanguinis autem miſſio, vires labefactando, eoſdem ad labores reddit minus aptos.

III. Perperam inſtituitur venæſectio, ubi primæ viæ vitioſorum ſuccorum colluvie ſcatent. Hac enim facta, ſordes ſanguinem ſubeunt ac retinentur facilius, ob imminutam ipſam ventriculi et inteſtinorum vim expultricem. Quare conſultius eſt, præmittere ſanguinis miſſioni ea, quæ alium blande ducunt et canalem inteſtinorum a ſordibus liberant. Nil tamen eſt deterius, quam in craſſo ſanguine turgidis impetuoſas ac vehementes per inferiora, vel ſuperiora moliri purgationes, quibus ſanguis exagitatus, cum impetu ad incongrua loca propellitur, conſequentibus morbis graviſſimis.

IV. Neque etiam in ſenibus reformidanda ſanguinis miſſio. Sunt enim inter illos, qui appetentia integra laudabili victu uſi, ſanguinis majorem, quam par eſt, in vaſis colligunt quantitatem. Unde in ſenili ætate interdum magis neceſſaria, quam alia, ad morbos grandævis familiares arcendos ipſamque mortem aliquamdiu protrahendam.

V. Cum ſanguinei temperamenti corpora etiam multum inter ſe differant, dum alia carnoſiora, robuſtiora et majoribus vaſis inſtructa, alia vero teneriora, cum valde exilibus et anguſtis vaſis, atque in illis pulſus plenus et magnus, in his autem debilior, oportet etiam medicum hoc diſcrimen in ſanguinis miſſione inſtituenda attendere, quia in illis venarum apertio plus utilitatis et ſecuritatis: quam in hiſce habet, ſi e. g. menſium ita, vel hæmorrhoidum, ſuetus fluxus ſubſtituerat, non ſemel, ſed aliquoties brevi poſt venam ſectam in corporibus plenioribus ſanguinis fluxum fuiſſe reſtitutum obſervaverimus.

VI. Summa prudentia ac judicio opus eſt, ut juſta et corpori proportionata ſanguinis quantitas emittatur. Quare illud monendum ducimus, quod nimia ſanguinis copia ſi fuerit detracta non ſufficiens ſatis ad partes inflammatione adfec-

ctas perveniat, quo fit ut humor eccentricus de ſede ſua non dimoveatur, ſed corruptionem et ſphacelum parti adfectæ minetur. Nam ſicuti inflammationibus ſanandis nimia ſanguinis quantitas nocet, ita etiam exigua ejus portio eſt iis adverſa. Rectiſſime monet Celſus *Lib. 2. Cap. 10. in ſanguine mittendo vim corporis melius ex venis, quam ex ipſa ſpecie æſtimari*; et porro ibidem ait: *ſi materia vel deeſt vel integra eſt, iſtud alienum eſt, nullo modo melius ſuccurritur. Et vehemens febris, ubi rubet corpus, plenæque venæ tument ſanguinis detractionem requirit: item viſcerum morbi, nervorumque reſolutio & rigor & diſtentio quicquid denique fauces difficultate ſpiritus ſtrangulat, quicquid ſubito ſupprimit vocem; quiſquis intòlerabilis dolor eſt & quacunque de cauſa ruptum aliquid intus atque colliſum eſt: item malus corporis habitus, omneſque acuti morbi, qui modo non infirmitate; ſed onere nocent.* Qua propter in definienda ea exacta habenda ratio ætatis, ſexus, corporis habitus pulſus, vitæ generis, conſuetudinis, morbi ipſius maximeque omnium virium.

DISSERTATIO VIII.

DE

BALSAMO PERUVIANO.

§. I.

NUllum gratius, et quod majori ſuavitate ſeſe commendet, nomen occurrit in foro medico, quam balſami. Quivis ſive chirurgus, ſive medicus ſit, ad ejus mentionem mox ſingularem èfficaciæ et virtutis medicamentoſæ ſpem ſibi promittit et concipit: qua de cauſa evenit, ut in more habent medici, generoſa et magnæ virtutis, quæ ad conciliandam gratiam et famam præpararunt remedia, balſami vel balſamici titulo exornare et commendare. In vulgus enim notum eſt: balſamum vel balſamicum tale quid audire, quod fraganti et ſuaviſſimo, odore nares reficit, et inſuper omnem labem ac corruptionem a corpore avertit: neminienim eſt ignotum, animantium cadavera ad putredinem ſumme proclivia, balſamo diu conſervari, et a corruptione defendi poſſe. Neque de nihilo eſt tanta balſamorum æſtimatio. Ex omnibus enim vegetabilibus non datur aliquod præſtantius, quam ſuccus taliſmodi oleoſus, ſuaviſſimi ac penetrantis odoris ac virtutis, qui ex certis arboribus elicitur, unde merito rex et princeps vegetabilium talis balſamica arbor dici meretur. Sicuti vero ſanguis inter animantia eſt nobiliſſimus ille liquor, qui vitæ et omnibus actionibus corporis præeſt, a quo totum corpus calorem, robur, incrementum et conſervationem ſortitur; ita ſuccus, qui per cortices fertur, vegetabilium ſanguis eſt, et ipſorum pretioſiſſima pars, a quo vegetatio ipſorumque omnis, medicamentoſa virtus duci ac æſtimari debet.

2 Ex eo jam facile apparet, quod ſuccus vegetabilium quo puriori et ſuaviori reſina et oleo pollet, eo majores obtineat laudes, majoremque cuſtodiat efficaciam. In tota enim rerum natura nullum principium majori donatum eſt agendi potentia nullumque eximiores virtutes atque affectus prodit, quam quod inflammabilis eſt indolis et ſulphur ſeu reſina et oleum audit, hoc mixtis non modo calorem odorem, ſed et vires ac ſpirituaſcentiam elargitur, et præcipuarum operationum fons ac fundamentum eſt. Non immerito itaque peritiores medicorum a multis retro temporibus ipſa balſamica, quæ ſuavi, naturę amica liquida reſina conſtant, ad ſæviſſimorum morborum ferociam edomandam nullo non tempore maximi fecerunt. Inter ea jure meritoque palmam obtinuit et adhuc obtinet, balſamum ſic dictum Peruvianum, omni tempore a medicis et chirurgis celebratiſſimum. Et quum cogitatio animum ſubiret, de nobiliſſimo hoc ſimplici inter tantam farraginem nihil huc uſque ſcriptum, quod ex inſtituto ejus originem naturam et vires pertractet; non dubitavit haud inutilem laborem fore, in præſenti materiam hanc paulo exquiſitius excutere et fuſius ventilare.

3 An-

3 Antequam ad ſcopum ipſum accedamus & balſami Peruviani naturam et vires decenti ſcrutinio medico perſequamur, e re fore noſtra judico de origine hujus nominis ejuſque varia acceptione quædam præmonere. Plures ſunt qui hebraicam ejus originem eſſe aſſerunt; dum balſamum a Baal ſeu Bal, quod dominum ſignificat, & Samen quod pinguedinem ſeu oleum notat derivant, adeo, ut balſamum, pinguedinem ſeu oleorum princeps audiat. Alii malunt, hanc vocem eſſe orientalem, quoniam balſamum in linguis orientalibus princeps aromatum ſignificatur. Nihil hoc loco addimus, quam ut nomen ipſi rei correſpondere aſſeramus, quoniam tantum excellentiſſima olea ac ſulphura balſami titulo ſuperbiunt. Equidem perperam vulgo aliis rebus hoc eximium nomen aſſignarunt, dum apud pharmacopolas linimentum omne ex variis fragrantibus concinnatum, balſami nomine ornant. Hinc balſami roſarum, apoplectici cinnamomi, nomina uſitata ſunt. Deinceps, compoſiti quidam ſpirituoſi liquores ex gummatibus reſinis & oleis fragrantibus, cum ſpiritu vini extractis vel deſtillatis, nomen hoc accipiunt, unde ſurgunt nomina, balſami nervini & balſami vitæ. Ipſi quoque chymici non veriti ſunt, hoc nomen ſuis præparatis affligere, dum vel ſalia fuſa aut liquata, vel ſulphura mineralium oleis deſtillatis extracta, balſamorum titulis inſigniunt. Nobis balſamum non eſt artificiale compoſitum, ſed naturale quoddam ſimplex, ex vegetabilium familia oriundum, oleoſum & inflammabile, conſiſtentiæ fluidæ craſſiuſculæ, odoris fragrantis & virtutis mirabilis. Tale hoc proprie & κατ' ἐξοχὴν balſami appellationem ſortiri debet, & hoc jam commode de balſamo de Tolu, Copaiba, ſtyrace liquida, & maxime Peruviano prædicatur.

4 Balſamorum noſtra appellatione ſumtorum varia genera antiquis fuiſſe cognita, & ab ipſis propter egregium uſum maxime æſtimata, is credit, qui veterum monumenta paulo attentiori animo verſat atque manu evolvit. Inter alia jam ante Chriſtum natum in orientalibus regionibus celebratum, & ſancte pro uſu aſſervatum fuit balſamum quoddam, quod noſtro tempore balſamum orientale & verum dicitur. Non levis hinc nata fuit controverſia inter genuinos rerum naturalium perſcrutatores, quale balſamum fuerit, quo Ægyptii, Syri & Judæi ad balſamanda corpora & ad medicinam uſi fuere, num hoc balſamum adhuc noſtris temporibus cognitum ſit & uſitatum nec ne. Sunt qui exiſtimant poſt excidium Hieroſolymæ in Judæa, balſamum verum non amplius exſtitiſſe, quale quid prodidit Evonymus. At vero præter Plinium & Galenum, qui poſt excidium hoc ſcripſerunt, ipſe Solinus graviſſimus auctor, Trajani tempore vivens *Cap.* 48. *Polyhiſtoris* balſami exiſtentiam confirmat poſt Chriſtum natum his verbis: *In Judæa tantum balſamum naſcitur, quæ ſylva intra terminos* 20. *jugerum uſque ad victoriam noſtram claudebatur. At cum Judæa potiti ſumus, ita loci illi propagati ſunt, ut jam nobis latiſſimæ colles ſudent balſama: ſimiles vitibus ſtirpes habent, malleolis digerunt, raſtris niteſcunt, aquis gaudent, amant amputari, tenacibus foliis ſempiterno adumbrantur.* Cornelius Tacitus *Lib.* 5 eundem in modo ſcribit: *exſuperant in Judæa fruges noſtrum ad morem, præterque eas balſamum & palmæ, balſamum modica arbor.* Hunc balſami autem plantam periiſſe Theophraſtus & Monardus ſcribit, hic *multis*, inquit, *jam annis periit id balſamum quod in Ægypto naſci ſolebat, nec uſquam gentium amplius invenitur.* Huic autem contradicit Cluſius *in Exotitis. lib.* 10. *cap.* 9. *de Balſam. p.* 304. ſcribens: *falleris* Monarde, *nam Arabia felix, quæ ſola balſam plantas ſponte naſcentes ab omni ævo protulit ac etiam nunc profert, legitimum balſamum præbet.* Aliud quidem Ægyptus loco quodam Cairo vicinus, quem Matharia appellant, nunc etiam opobalſami frutices alit, ſed ex Arabia ſemper petitur, quemadmodum olim Judæa habuit. Tale quid etiam affirmat Braſavol. in *Exam. ſimplic. p. m.* 396. Busbeq. *de legat. Turc. epiſt.* 4. Nicol. Chriſtoph. Razivil. in ſua *Hieroſol. peregr. p.* 277. Scaliger. *Exercitat.* 157. qui Cardanum

bal-

balſamum deſiiſſe & in parvo eſſe pretio ajentem vanitatis arguit.

5 Deſcribitur autem hæc planta, quæ balſamum orientale, quo uſi potiſſimum ſunt in regum inunctione, fundit, a Bochardo *in Tract. de Terra Sancta P. II c. 5.* hæc tradens: *Inter Heliopolim & Babyloniam medio fere loco eſt balſami hortus, in feſto Michaelis lignum ſatis humile exiſtebat, ſcilicet palmæ & dimidiæ in altitudine habens folia parvula ut ruta ſed parum albiora, & de ligno meeum detuli.* Inter notas autem & characteres, quibus hoc dignoſci poſſit, celebrantur penes fide dignos auctores primo ut planta hæc reſinifera perpetuo vireat, poſtea magnitudinem habeat pedis longitudine ex pollicis craſſitie, duorumque aut vel trium cubitorum altitudinem, ramulos multos & graciles obtineat. Deinde adiiciunt ejuſdem eſſe hanc plantam cum vite naturæ, quam ſingulis annis amputare neceſſe ſit, ne degenerent, cortex viridis eſt, folia viridia lentiſcinorum foliorum modo formata, nonnulla minutiora aut rutæ faciem præ ſe ferunt, cortex digitis tritus valde odoratus eſt, ſaporis pinguis & aromatici, inſtar thuris lignum candicat, odoris ſaporiſque expers, hoc vocari ſolet Xylobalſamum.

6 Hæc planta nunc potiſſimum Ægypto apud Cairum colitur, qua de re omnium optime & ſtudioſe ſcripſit Proſper Alpinus excellentiſſimus ævi ſui botanicus; qui per novem annos ceu medicus clariſſimus Venetorum claruit, ubi medicorum tam Ægyptiorum, qui Hebræorum auxilio plantam penitus indagare, modumque colligendi Opobalſamum, notaſque veri Carpobalſami, Xylobalſami addiſcere potuit, quod in ſuo libro *de Plant. Ægypti Cap. 14.* de ſe ipſo teſtatur. Et multo clarius in ſuo *de Balſamo* dialogo, quod cum Appella Arabe & Abdachim Hebræo medicis in examen vocat, in quo omnes propoſiti negotii difficultates tam clare & perſpicue ſolvit, ut veritatis amanti nullus amplius ſupereſſe poſſit ſcrupulus.

7 Deinceps arbor balſami orientalis flores fert parvos & albos in umbellæ formam compoſitos, quinque foliis obrotundis conſtantem, floribus acaciæ proximos. Ab hiſce ſemina promanant flava, folliculis nigris ſiliquoſis obrotundis, magnitudine unius digiti fuſci involuta ſubrubentibus contenta, valde odorata, intus humorem flavum melli ſimilem habentia, ſapore amaro, parumque acri, linguamque ferientia Opobalſamum redolentia, ſicut præclare tradit Wormius *in Muſeo 223.* Quod pretioſiſſimum illum liquorem colligendi modum attinet, qui Opobalſami nomine venit, notandum eſt, menſibus æſtivis deſinentibus umbris luna plena incidendum eſſe corticem ad medullam uſque, ita liquor exſtillat, qui in vitrea vaſcula excipiendus. At vero non poſſumus hic fidem adhibere ipſo Raio, qui ſcribit, ſpatio trium horarum duodecim hujus liquoris libras effundi, cum arboris magnitudo exigua contrarium potius ſuadeat. In eo autem omnes, qui balſami hujus naturam & originem inveſtigarunt, conſentiunt, quod liquor ille, qui emanat, primo albo colore tinctus conſpiciatur, & liquidior ſit, mox paucis diebus in viridem mutetur olei craſſitie, demum poſt aliquot annos aureus & mellis conſiſtentiæ fiat, & inſtar terebinthinæ craſſeſcat.

8 Porro dicunt quoque primo tempore turbidum eſſe craſſumque uti oleum ſtatim ab olivis expreſſum, poſtea clarum fieri & tenuem, demum craſſeſcere & ſub aqua mergi, cum primum propter levitatem aſcendat, & ſupra totam aquæ ſuperficiem expandatur. Scribunt quoque de eo, quod primis diebus acuti & validiſſimi ſit odoris, ut aliquibus inter odorandum ſanguinem e naribus eliciat, qui gravis odor cum tempore pereat & gratior fit & fragrantior. Sapor eſt acris, amaricans & paululum adſtringens. Notatu quoque dignum eſt, quod aliqualis coagulatio lactis ab eo infuſo perficiatur. Probe notat celebris ſcriptor Gallus du Pomet *in Traitè de Drogues p. 275.* quod hoc balſamum ſit rarum, pretioſiſſimum & in Matharia magnoque Cairo, ubi in hortis creſcit & maxime colitur ac defenditur, rarius obtineri poſſit, niſi per legatos Turcicos, quibus ceu munus offertur. Unde porro addit, adulteratum eſſe,

ſe, quam balſamum Peruvianum cum ſtorace & benzoe permixtum. Confirmat hoc aſſertum Cluſius *in Monard. p.* 103 qui ejus unciam modo viginti modo decem ducatis vendi ſcribit. Quocirca hodienum, quod venditur & incluſum eſt nucibus Coccis pro Opobalſamo, artificiale eſt. Qui plura de hac materia legere vult, evolvat elegantiſſimum tractatulum Volcameri, *de Examine Opobalſami* editum.

9 Accedimus nunc ad balſami Peruviani originem indagandam, quod noſtræ potiſſimum conſiderationis eſt. De eo ſcribit celeberrimus ævi noſtri botanicus Rains *ex Piſone in Hiſt. Plantar p.* 1757. Quod arbor ſit mali medicæ magnitudine, foliis amygdali majoribus tamen rotundioribus & magis acuminatis, floribus pentapetalis, in extremis ramorum flagellis luteis, initio loculorum oblongorum forma, ſed procedente tempore quorundam veluti foliorum cæteris latiorum. Arbor eſt ſiliquoſa, ſiliquis brevibus in ſingulis ſemine contento. In America & quidem Hiſpania nova & Mexo creſcit, unde etiam Americanum, Mexicanum audit. Cortex contuſus ſuaviſſimos dat glabulos aliaque multa. Lignum ejus ſingularem in ædificiis præbet uſum.

10 Cæterum Monardus fidiſſimus rerum exoticarum ſcriptor de arbore hujus balſami ſcribit; quod contineatur in America, vaſtæ ſit magnitudinis, ad radicem uſque ramoſa, duplici cortice, ſepta, altero craſſo ſuberini modo, altero craſſo ſuberini modo, altero tenui interno, materiam arboris complectente. Ex eo, quod inter utrumque corticem eſt, ſpatio, inciſione balſamum educitur. Fructum dicit eſſe ciceris aut piſi grano non majorem, in extrema ſiliqua anguſta, digitum longa, alba, tenuitate regalis ſimplicis. Depinxit Parckinſonius pro balſami Peruviani arboris fructu, ſiliquam longam, anguſtam, quæ balſamum Peruvianum, aut benzoinum adeo odore referebat, ut ſibi plane perſuaſerit; ejuſdem arboris fructum eſſe.

11 Quod attinet ad modum colligendi balſamum, hic duplici ratione vel per inciſionem vel per coctionem peragitur. Inciſio fit cultro, quovis annuo tempore, poſt imbres ſerenitate aeri reſtituta, luna plena, & ut perhibent eum in modum, diſcinditur nempe uterque cortex, tunc emanat liquor tenax, ſubalbidus, limpidus, terebinthinæ conſiſtentiæ, ſaporis acriuſculi, aliquantulum amari, odoris fragrantiſſimi. Et hoc dicitur Peruvianum balſamum album, eſtque rarius & carius nigro: nigrum autem quod ad nos magna in copia adfertur, decoctione extrahitur, videlicet referente Cluſio *Comment. in Monard. p.* 302 ramos atque etiam truncos arboris aſſulatim & minutim conciſos, in lebetem ampliſſimum injiciunt, multa inſuper affuſa aqua, bulliunt omnia & fervent, quantum ſatis eſſe putant, igne ſublato frigeſcere ſinunt, & conchyliis oleum ſupernatans colligunt. Id vero eſt, quod in has regiones invehitur, & quo vulgo utimur, ex nigro rubente, odoris ſuaviſſimi. Vaſculis argenteis, vitreis, ſtanneis, aut fictilibus vitratis aſſervatur, omnem aliam materiam penetrans. Ex quibus patet, balſamum Peruvianum eſſe vel album vel nigrum, & binas has ſpecies ex una arbore provenire, parandi tamen modo differre. Nam album ſtillat ex arbore ad medullam uſque perforata inſtar olei terebinthinæ, & longe præferendum eſt balſamo nigro, quod coctione paratur, ubi nonnullæ particulæ volatiles avolant.

12 Differt autem hoc noſtrum balſamum tam nigrum quam album a balſamo ſic dicto Copaiba. Duplex hoc nobis apportatur, quale unum liquor eſt limpidus, ſtillans ex arboribus Americanæ Copaiba dictæ ad medullam uſque perforatis odoris fragrantis & gratiſſimi ſaporis acriuſculi; alterum vero craſſioris inſtar therebinthinæ eſt conſiſtentiæ. Diſcrimen autem hoc dependet ex diverſo colligendi tempore. Illud enim cum ſtatim poſt arboris inciſionem primo effluit, eſt admodum clarum, album, odoris reſinoſi. Hoc autem quod ſequitur, magis aurei coloris & conſiſtentiæ tenſioris eſt, quæ conſiſtentia ipſi balſamo nomen conciliavit. Ultimum hoc balſamum, magna in copia in lagenis ex Portugallia ad

nos

nos perfertur : alterum autem tenuius magis rarum eſt.

13 Tandem diſcrimen quoque inter noſtrum balſamum & ſic dictum Tolutanum. Exiſtimant nonnulli balſamum de Tolu & balſamum Peruvianum album eſſe idem, falluntur autem in eo, differt enim arbor, differt etiam natale ſolum. Arbor pino eſt ſimilis & folia ceratiæ faciem obtinent, ſemper virent, ramos quaquaverſum ſpargunt, teſte Raio *in Hiſtoria Plantarum p.* 1759. Locus ubi creſcit eſt provincia Hiſpaniæ novæ, inter *Carthaginem & le nom de dieu ſita, Tolu* indis dicta. Inciſione etiam exſtillat ex arborum corticibus, coloris eſt aurei ſaporis dulcis, grati, & non nauſeabundi, limoniorum fragrantiam quodammodo refert, ſi pauxillum in vola manus fuerit fricatum. Rarius eſt in Gallia, in Anglia autem ordinario reperitur, unde ad nos in conſiſtentia ſicca advehitur.

14 Quod ſaporem balſami Peruviani attinet acris eſt, paululum amaricans, utpote ſubtili acredine irritativæ, papillulas linguæ nerveas afficit. Subſimilis ſapor in corporibus reſinoſis præſertim liquidis obtinet, qualis deprehenditur in terebinthina, ſtrobilis pini, reſina ligni quajaci, tam ea, quæ coctione cum aqua quam ſpiritu vini rectificatiſſimo extrahitur, reſina ladani, ſtoracis, in ſtorare liquida eſſentia ligni aloes, deprehenditur. Tenuis eſt hæc acredo, teſtatur ſal quoddam volatile acidum cum oleoſis particulis intime eſſe nuptum. Notum enim eſt, non tantum ex analyſi chymica, ſed & ex compoſitione, reſinas ex oleo fluido æthereo & tali acido tenui eſſe conflatas. Unde oleum quodvis æthereum deſtillatum permixtum cum ſpiritu nitri concentrato in magma reſiniforme abit, quod ſubtili acredine ipſam linguam petit & afficit.

15 Odor balſami Peruviani eſt ſuavis & fragrans indicio ſulphuris & olei volatilis ætherei probe temperati. Recte enim a chymicis odor petitur a ſulphure, & quidem ejus ſuavitas a mixtura earum partium, quę ſulphur conſtituunt, temperata & proportionata. Fœtor a mixtione intemperata, & proportione diſcedente. Notandum autem hoc loco eſt, quod effluvia balſami Peruviani, quæ admoto fortiori calore in cochleari argenteo mittuntur in auras, in nares recepta, in limine arteriæ aſperæ tuſſiculam ordinario quandam movere ſoleant, quod etiam aliis reſinis, benzoes, reſinæ ſtoracis, perfamiliares, in manifeſtum ſignum, effluvia hæc tenuiſſima non eſſe ſalis acris & ſtimulantis expertia. Sulphureum autem, aut oleoſum principium, palmarium eſſe balſami noſtri ingrediens, vel ſola inflammabilitas abunde manifeſtat. Utpote non modo in liquida forma, ſi debita ratione candelæ ardenti obiiciatur, flammam probe concipit, verum etiam quando ad ſiccitatem redigitur, quod fit, ſi tantummodo arenę candidæ miſcetur, hoc ipſum præſtat : præter hoc ſulphuream materiam clare demonſtrat ejus facilis & promtiſſima diſſolutio & intima unio cum ſpiritu vini rectificatiſſimo & oleis cunctis ſpirituoſis & deſtillatis, amice enim conjungitur cum his ipſis, neque olei, neque ſpiritus vini unionem reſpuit.

16 Hoc loco autem non prætereundum eſt, cum cera & cum oleis omnibus expreſſis balſamum Peruvianum, ſive calide, ſive frigide mixtura fiat, nunquam velle coire, unde etiam ii perperam agunt, qui inter olea cocta & expreſſa, pro medico uſu, præſertim externo hæc inter ſe miſcent. Econtra probe ingreditur balſama illa, quæ ex oleis deſtillatis compoſita ſunt. At vero averſatio hæc expreſſorum oleorum & pinguedinum hanc affert utilitatem, ne his ipſis adulterari queat. Falſum enim eſt, uti nonnulli auctores habent, admixtione olei amygdalarum dulcium hoc balſamum inficI. De balſamo Peruviano ſic dicto albo, quod in officinis venditur, res clara eſt, hoc nunquam vere purum, ſed perpetuo hoc oleo eſt adulteratum. Nam lubenter quod notabile eſt, olea expreſſa cum hoc balſamo junguntur, neutiquam autem cum nigro, quod, uti nos exiſtimamus, citra adulterationem venditur.

17 Placet hoc loco mentionem quoque facere nonnullarum mixtionum, quas inſtituimus cum variis rebus; ita

no-

noſtrum balſamum aquę infuſum fundum petit, plane autem reſpuit conſortium aquæ, dum nullo modo, vehementi etiam agitatione facta, ab ipſa turbatur vel lateſcit. Id autem in ipſo experimento curioſe conſpicere licuit, quod extremitas pennæ immiſſa balſamo Peruviano, eoque imbuta quandocunque, vitro aqua repleto inditur balſamum Peruvianum, ægre deſcendat, ſed ſub globoſa forma, in medio vitri ſuſpenſum hæreat, ſimul ac autem extra aquæ ſuperficiem penna ex aqua educitur, mox decidit de penna & in fundum delabitur. Ratio iis, qui gravitatis naturam cognitam habent, ex phyſicis & ſtaticis facilis eſt. Datur tamen medium hoc balſamum miſcendi cum aqua ſimplici pura, & hoc eſt ipſe vitellus ovi. Dici vix poteſt, quam amice inque momento ad ſuperficialem tantum mixtionem, vitellus capiat hoc balſamum, intimeque cum ipſo uniatur. Mixtura poſtmodum hæc aquis indita, per omnia ſpatia diffunditur & flaveſcentem turbidum colorem ipſis largitur. Non contemnendus hic in pharmaceuticis modus eſt balſamum Peruvianum potionibus & mixturis admiſcendi.

18 Cum oleo vitrioli rectificato quando miſcetur particula balſami Indici, nulla fit effervescentia, ſed tantummodo leni odore calor immutatur, & intenſe ac ſaturate purpureus ex utroque exſurgit, amboque abeunt in coagulum, quod quando aqua calida affuſa ſufficienter eluitur, aciditate vitrioli tranſeunte in aquam, relinquitur puriſſima ſolida reſina in manu tractabilis ſine cohæſione, quæ ad flammam admota perfacile accenditur, & in rectificato vini ſpiritu ſolvitur. Docet hoc experimentum, acidum, quod coagulationis cauſa & auctor exiſtit, noſtro balſamo ſufficiens deeſſe, unde liquidum permanet: hoc ſi adjicitur, ſtabilem acquirit conſiſtentiam. Fecimus quoque ſimile experimentum cum ſpiritu noſtro flammifico, hic cum certis oleis iiſque aromaticis, intenſiſſimam & lucidiſſimam flammam vehementer ardentem producit, ad mixtionem autem caliorum oleorum v. g. carui, aniſi, therebintinæ, majoranæ, lavendulæ, mox intenſiſſimam facit efferveſcentiam: hic mixtus cum noſtro balſamo, non ſtatim efferveſcebat, ſed mora aliqua interjecta & facta agitatione demum ebullitionem prodebat, ob eam procul dubio cauſam, quod in balſamo quoddam æthereum oleum latitet, ſed viſcoſis terreis partibus valde ſit immenſum.

19 Tandem etiam quædam adjicienda veniunt, quæ variis factis deſtillationibus annotavimus. Primo enim hoc balſamum cum aqua mixtum & veſicæ cupreæ inditum & deſtillatum nullum fundebat oleum; aqua tamen de odore quodammodo ejus fragranti participabat; nihilominus ea aqua, quę in veſica ſupernatans, deprehendebatur manifeſto odore, ſapore, colore etiam aliquatenus flavo imbuta erat. Videtur nexus iſte partium viſcoſarum, terrearum, olei tenujoris & æthereis, nec non ſalis acidi, tam arctus eſſe, ut vaporibus aqueis disjici nequeat. Non enim mirandum eſt, in chymicis dari corpora, quæ ſapore acri, nec non ſalis acris copia imo volatilis ſcatent, quæ tamen ſub deſtillationibus humidis nihil de hiſce ſuggerunt. Ita gelatinæ, ſanguis animalium, oſſa deſtillata, ac vegetabiles, zingiber dant aquam odore ſaporeque privatam.

20 Quandocunque autem intimior hic partium nexus ac vinculum dirimitur ac ſolvitur, ecce mox alius effectus ſeſe pandit. Fecimus itaque experimentum, & lixivium ſatis forte ſumſimus hocque miſcuimus cum balſamo Peruviano, mixturam indidimus vaſi argenteo, & ſubdita flamma, hanc in ebullitionem fervidam conjecimus, ita mox conſpeximus diſſolutionem balſami uſq; ad dimidium factam, nam ſaturate flavum lixivium tingebatur colore, & vapor qui in coctione emanabat, odorem penetrantem ſuaviſſimum exſerebat, adeo ut pateat, hac ratione, aquam ex balſamo Peruviano ex veſica deſtillari poſſe una cum ſubtili oleo præſtantiſſimo. Eſt enim ea indoles alcalinorum ſalium, ut contextum viſcoſarum, oleoſarum & reſinoſarum partium fortiter aggrediantur, diſſolvantur & oleum acido, ac terra ligatum in priſtinam volatilitatis libertatem vindicet.

21 Ve-

21 Verum enim vero adhuc longe nobilior modus eliciendi ex hoc balſamo ſpiritum fragrantiſſimum mirabilis virtutis proſtat, quem primus deſcripſi in *Annotationibus in Poterium p.* 440. nempe tres partes balſami Peruviani cum una parte ſalis tartari exacte triturantur in mortario, affunditur ſpiritus vini rectificatiſſimus vel melius ſpiritus roſarum ad eminentiam quatuor digitorum : extractio fit leni calore, poſtea deſtillatio in cucurbita vitrea per alembicum uſque ad ſiccitatem, ita prodit ſpiritus, longe ſuavior & fragrantior ipſo balſamo, qui in omnibus nervorum & cerebri affectibus a cauſa frigida & humida ortis, in omnibus partium nervoſarum & glanduloſarum nimiis relaxanibus, efficaciam vix partem poſſidet. Relinquitur in cucurbita magma ex craſſis viſcoſis terreis partibus conſtans, quod volatili oleo ſuavi penitus orbatum eſt. Notatu hoc loco dignum eſt, ipſum ſal tartari oleum tenue & ſuave a triticis & involucris partium viſcoſarum ſeparare, quod poſtmodum receptum in ſpiritu vini calore cum eo ſurſum rapitur. Eadem encheireſi ex aliis reſinis, maſtiche nempe ſuccino, benzoe, myrrha, aloes ligno, eduxi ſpiritus admirandæ virtutis & vix adhuc in pharmaceuticis notos.

22 Deſtillavimus quoque balſamum noſtrum ſicca via, miſcuimus nempe partem unam hujus cum partibus duabus, arenæ, mixturam immiſimus retortæ vitreæ, & facta fuit per arenam deſtillatio, ita prodiit oleum ex flavo rubrum, quod aquæ ſupernatabat, odoris non ingrati paululum empeyreumatici, quod in ſpiritu vini rectificatiſſimo ſolutum egregium liquorem nervinum, interne & externe aſſumendum conſtituebat. Deſtillatione ulteriori ſubeſcutum eſt oleum craſſius, fundum in aqua petens. Duplex enim oleum in balſamo Peruviano obſervatur, unum tenujus & levius, alterum craſſius, poteſt hoc extemporaneo labore ad oculum demonſtrari. Nempe ſumatur balſami Peruviani particula, & ferventiſſimæ aquæ injiciatur, ita mox videbis, oleum quoddam inſtar cuticulæ ſupernatare, ſapore penetranti imbutum, craſſiorem autem & majorem portionem in fundum deſcendere, ex quo patet, non inepte balſamum Peruvianum immiſceri poſſe decoctis, quod adhuc magis ex voto ſuccedit, ſi particula ſimul ſalis tartari additur.

23 Ex hiſce omnibus dictis & adductis abunde eluceſcere arbitror, balſamum Peruvianum, eſſe ſuccum reſinoſo-oleoſum arboris ex corticibus et foliis, mediante aqua & igne extractum, qui compoſitus eſt ex oleo tenujori & ſubtiliori viſcoſis terreis acidis partibus ligato & intricato. Probe hic eſt notandum, aquam non addi eum in finem, ut diſſolvat & extrahat balſamicam et oleoſam arboris partem, utpote hæc nullum habet in id ingreſſum, ſed calor tantummodo humidus facit liquationem et fuſionem oleoſarum et reſinoſarum partium, quæ in porulis et interſtitiis corticis, potiſſimum arboris ſubſiſtunt; liquatæ autem per calorem oleoſæ partes, recipiuntur in aquam, quæ ſi non adeſſet et ſicco tantum calore negotium inſtitueretur, periculum eſſet empyreumatis. Nihilominus tamen noſtra non eſt opinio aquam in extrahendo omni deſtitui virtute, equidem non adoritur ipſum oleum, in partes tamen acres, ſalinas jus quoddam habet, unde dum in eas agit, caſque in ſe recipit, una quoque adducit quaſdam oleoſas. Exemplo res clara eſt in decocto ligni guajaci. Hoc lignum valde eſt reſinoſum, et ob copioſam reſinam admodum grave. Si ejus raſpatura fortiter decoquitur in aqua per aliquot horas, & poſtea hoc ipſum decoctum inſpiſſatur, relinquitur magma quoddam reſiniforme, quod ſaporis eſt acriuſculis, odoris fragrantis, multum ad ſtoracis reſinam accedentis. De hoc ſumta particula et naribus excepta, ſternutationes inſignes, citra tamen capitis imbecillitatem efficit. Hoc tamen dolendum eſt, ex libra una ligni, vix drachmas duas poſſe obtineri, cum tamen unciæ tres ad minimum ejus reſinæ, ſi extractio fiat cum ſpiritu vini rectificatiſſimo, haberi poſſint.

24 Eſt nempe balſamum noſtrum reſina arboris liquida. Poſſident omnes arbores ſuccum quendam, quo nutriuntur, qui

qui vel gummeæ, vel reſinoſæ naturæ eſt. Arbores in noſtris regionibus ſubſtantiam magis gummeam, in præcalidis autem et orientalibus, ob fortem ſolis æſtum, magis reſiniformem, adeoque calidiorem alunt. Hic ſuccus nutritius per intermedium corticis ſpatium et per ipſa folia fertur unde vel inciſione facta exſudat, et calore externo humiditate abſumta in ſolidiorem ſubſtantiam concreſcit, coctione autem cum aqua et extractione vel cum ſpiritu vini facta, ex poris tam radicis quam ligni extrahitur. Quod ſi autem, uti in aromatibus fit, pars oleoſa tenuior prævaleat partibus acidis et gummeis, coctione cum aqua et deſtillatione facta, puriſſimum æthereum oleum, quod delicatiſſima et volatilior iſtius ſucci pars eſt, obtinetur, unde nulla reſina, nullum balſamum liquidum, ſed optime olum ex aromatibus v. g. caryophyllis, cinamomo, nuciſta, floribus macis, corticibus citri præparari poteſt. Quajacum autem & lignum aloes reſinam largiuntur, quoniam pars oleoſa particulis terreis & acidis magis eſt imbuta. Dantur autem certa ligna, ex quibus nec oleum deſtillari, nec reſina cum ſpiritu vini confici ſed elegantiſſimum balſamum liquidum produci poteſt. Et tale eſt ſantalum flauum, cujus limaturæ ſi ſpiritus vini rectificatiſſimus affunditur, & inde emergens eſſentia leni calore abſtrahitur, remanet balſamum perfectiſſimum, conſiſtentia & calore Peruviano ſimile, odore ambram redolens.

25 Dicimus itaque in noſtro balſamo eſſe temperatam & valde proportionatam mixtionem elementi ſulphurei oleoſi, tenuis, oleique craſſioris viſcoſioris & ſalis acidi, quo nulla reſina, nullum vegetabile ſolet deſtitui. Ex ſubſtantia hac oleoſo-reſinoſa & viſcoſa jam merito omnis virtus, quæ in noſtro balſamo latitat, debet deduci, imo non tantum ſeu principio, vires per experientiam ſeu a poſteriori cognitæ peti, ſed & novæ incognitæ inveniri & detegi.

26 Paucis autem hic recenſebimus, in quibuſnam affectibus tam internis, quam externis, chirurgis & medicis eximiam opem & levamen balſamum Peruvianum præſtiterit. Ut autem exordiamur ab uſu interno, ante omnia in decubitu & defluxione ſeri & pituitæ, glandularum tumoribus & laxitatibus, nervorum tono dejecto, præſentiſſimam opem tulit, nominatim vero in gonorrhœa tam maligna quam benigna, unice hoc balſamum, præmiſſis purgantibus, idoneum eſt, moleſtum hunc affectum tollere, ſive ejus ſola eſſentia ſumatur, ſive cum vitello ovi in formam electuarii redigatur.

27 In fluore albo quoque, præmiſſis per epicraſin agentibus, laxativis ex meliſſa, abrotano, corticibus lignorum, eſſentia balſami Peruviani cum tinctura martis Zvvoelfferi mixta, in rebelli hoc & moleſtiſſimo fœminarum affectu, non omiſſis quoque externis cum eodem balſamo ſuffimigationibus in uterum receptis, egregium levamen aliquoties attulit. In nimiis ſeri excretionibus & deſtillationibus lymphæ per ſcreatum, per tuſſim inveteratam, per nares, in raucedine, uvulæ relaxatione, eſſentia balſami Peruviani mixta, & cum tinctura antimonii acri maritata, nimium illum fluxum ex ſtagnatione ſeri & glandularum laxitate ortum roborando et tonum, reſtituendo egregie cohibet.

28 Præterea balſamum hoc mirifica pollet virtute in læſionibus, corruptionibus et exulcerationibus partium conſolidandis, adeoque in ulcere pulmonum, renum exulceratione ejus uſus circumſpectus mirabilis eſt. Probe autem hic notandum, balſamum ſibi relictum per ſe eſſe nimis calidum, unde cum aliis temperatis peropportune in balſamum miſcetur. Hujus cenſus eſt Locotalli, qui ex oleo florum hypericonis, vino Hiſpanico, ſantalo rubro, terebinthina Veneta, et balſamo Peruviano, cunctis debita doſi ſumtis conficitur. Vidimus hoc ipſo balſam perfecta phthiſi laborantes, et per plures annos graviter affectos feliciter reſtitutos, ſi ſingulis diebus cum decocto hordei, ſucco cancrorum fluviatilium roborato æſtus compeſcendi gratia drachma ſemis fuit aſſumta et exterius ipſi regioni ſtomachali ejus portio cum oleo nuciſtæ, menthæ, carui, commiſta applicata. Continuatio autem, quod probe

no-

notandum eſt, per dimidium anni fieri debet, ſervata ſimul accurata diæta. Poteſt etiam balſamum pectorale egregium ex eo concinari, ſi ſumantur balſami ſulphuris cum oleo amygdalarum dulcium præparati uncia una, balſami Peruviani in vittello ovi ſoluti, balſami de Copaiba ana drachmæ duæ, olei aniſi drachma ſemis. Et hic balſamus in omnibus pectoris affectibus ipſoque aſthmate, nimiis excretionibus purulentæ et viſcoſæ materiæ, divinas medentibus porrigit manus. In leſionibus et exulcerationibus inteſtinorum poſt dyſenteriam gravem, idem balſamum Peruvianum vel Locatelli per clyſteres applicatum, vel intus etiam aſſumtum, ad conſolidationem, practicis celeberrimis paſſim teſtantibus, laudatiſſimo pollet effectu. In aſthmate pituitoſo elæoſacharum balſami Peruviani, vel ſyrupus ex eo factus, balſamicus nobis dictus, egregiam præſtat efficaciam. Paratur autem hoc eleoſacharum, ita ſachari canarienſis uncia una, cum drachma dimidia balſami Peruviani miſcetur. Syrupus autem fragrantiſſimus et gratiſſimus, in officinis Brunſuicenſibus a magni nominis archiatro Conerdingio introductus proſtat, qui ſequentem in modum paratur: ad libram aquæ hordei affunditur balſami Peruviani uncia ſemis: per balneum Mariæ fit deſtillatio, uſque dum dimidium prodierit. Humiditas autem in cucurbita relicta et balſamo ſupernatans, ejuſque oleo tenui imbuta coquitur cum ſachari debita quantitate, ad ſyrupi conſiſtentiam. Sapore hic ſyrupus gratiſſimus eſt, virtute quoque præſtantiſſimus, et certe omnibus, quotquot in officinis proſtant, anteferendus: commodiſſime enim et magna cum gratia, quibuſvis potionibus poteſt admiſceri. Extemporanee autem parari poteſt, ſi ſachаro ſoluto debita quantitas ſpiritus noſtri balſamici, de quo ſupra facta fuit mentio, adiiciatur.

29 In affectibus nervorum et capitis, v. g. vertigine, paralyſi, epilepſia, imbecillitate capitis, poſt diſcuſſam apoplexiam cephalalgiis gravativis a cauſa pituitoſa ortis, ſoporoſis affectibus, balſamum, omniaque ex eo parata, et jam recenſita divinam afferunt opem. Naſcuntur hi affectus utplurimum ex nimia laxitate et tono dejecto membranarum, vaſculorum et nervulorum cerebri; unde circulatio ſanguinis debita impeditur et humores pituitoſi viſcidi accumulantur. Ad tonum itaque debitum reſtituendum, ad humores ſtagnantes in motum redigendos, non poteſt non ſale ſuo tenui acri et ſulphure amico, tonico, noſtrum medicamentum multum contribuere. Optime autem tali in caſu uſurpatur ſub forma pilularum, quando extractis vegetabilium amaris, nec non purgantibus debita in quantitate admiſcetur. In omnibus autem affectibus ſpaſmodicis doloribus arthriticis, rheumaticis, hyſtericis, nec non viſcerum contractionibus, quas largę ſanguinis effuſiones quandoque ſubſequi variis in locis ſolent, in uſu crebriori habui ſequentem ſpiritum. Combinavi ſpiritum prędictum balſami Peruviani cum tinctura antimonii acri et ſpiritu eboris rectificato anatica portione, prodit mixtura ſpiritus nobiliſſimarum virium, ſpiritui Buſſiano longe prędferendus, qui dictis in affectibus, item prędervationis cauſa ad quoſvis cujuſcunque generis morbos prędidium eſt generoſiſſimum, triginta vel quadraginta guttulis ſumtis. Tandem adverſus ſcorbutum, ad luem veneream, et ubi humorum coagulum adeſt, motuſque imminutus exiſtit, vires balſami noſtri non contemnendę veniunt. Notum enim eſt, in hiſce refractariis morbis, ea, quę reſina acri ſtimulante et balſamica, ſanguinem et humores fortiter concitante pollent, inter ſpecifica numerari. Extra dubium quoque eſt ſive eſſentia hujus balſami decoctis lignorum admiſceatur, ſive in forma pilularum adhibeatur, exoptatiſſimam operationem exinde promanare debere. Tandem etiam in ventriculi et inteſtinorum vitiis, tono eorum ob ſpaſmi frequentiam dejecto adeoque diſpoſitionem ad tormina colica, ad flatulentiam, vomitum, nauſeam, virtus balſami Peruviani eſt excelleniſſima. Hunc in finem ingreditur elixir balſamicum meum et balſamum vitę, quę duo remedia intus cum cibis ſumta et continuata,

prę-

præfatis in affectibus, omnique defectu virium et ſpirituum virtutes, vix ab aliis remediis obtinendas, fovent et ſuſtinent.

30 Luſtravimus jam noſtri ſimplicis breviter uſum internum et medicamenta huic deſtinata, præparationes nobiliores candide communicavimus, ſupereſt jam, ut pauca etiam verba faciamus de uſu ejus externo, eoque chirurgico cum ſatis etiam nobilis ſit. Nolumus vero eſſe longiores cum ſatis abundeque hujus uſus chirurgis perſpectus ſit. Non enim datur excellentius remedium, in omnibus periculoſis tendinoſarum et nervoſarum partium læſionibus, exulcerationibus et contuſionibus, hoc ipſo, et vix habet ſimile in omnibus naturæ regnis, maxime omnium autem in capitis læſionibus, pericranii, membranarum cerebri, ipſiuſque cranii vulneribus, et convulſionibus, in ipſa quoque trepanationis operatione hoc balſamum ſolum omnibus palmam præripit.

31 Notum eſt, in partibus ſic dictis frigidis nempe membranoſis et tendinoſis, quæ a motu ſanguinis vitali valde remota ſunt, læſiones ſumme periculoſas enaſci, quibus convulſiones, ſpaſmi, ſphacelationes, inflammationes frequenter conjunguntur. Reſpuunt hinc omnia pinguia, inviſcantia, poros obſtruentia, amant autem omnia balſamica, quæ putredinem avertunt, motumque fluidarum partium internum per earum fibras conſervant. Prout autem diverſus eſt læſionis modus diverſis quoque rationibus ſolet miſceri & prudentibus applicari. Ita nonnulli miſcent cum melle et ſpiritu vini, qualis mixtura in duræ matris vitio optima. Alii cum vitello ovi, thure, maſtiche, quod egregie facit ad puris generationem. Alii oleum tartari fœtidum & balſamum ſulphuris terebinthinatum ipſi jungunt, quod arcet putredinem in antiquis ſordidis profundis, fiſtuloſis exulcerationibus & corruptionibus.

31 Quandocunque cum eſſentia balſami noſtri miſcetur eſſentia ſuccini, myrrhæ, maſtiches, flor. hyperici, vulnerarium præſtantiſſimum elixir paratur, quod vel ſolum omnia recentia vulnera ſanat, antiqua ad incarnationem & conſolidationem perducit, putredinem & carnem luxuriantem abigit, cariem oſſibus abſumit & recentem carnem progenerat. In gingivis exulceratis, ſphaceloſis, ſcorbuticis idem elixir virtutes oſtendit egregias.

33 Tandem in omnibus doloribus, ſpaſmodicis contractionibus, paralyticis, nervorum reſolutionibus, ubicunque locorum ipſæ conſiſtunt, noſtrum balſamum ſolutum in ſpiritu vini rectificato, additis camphora, oleo nuciſtæ & croco inſtar incantamenti dolores abigit, debitumque robur partibus addit, ipſiſque egregium ſolamen affert. Ingreditur quoque balſamum apoplecticum tam ſiccum quam liquidum cujus inunctio in temporibus, vertice, naribus & cervice facta, ab omnibus præternaturalibus ſanguinis & ſeri in capitis & cerebro factis ſtaſibus præſervat, & graviſſimis capitis affectibus nervorumque imbecillitatibus interno uſu ſic medetur. Ad roborandum imbecillem ſtomachum, in frigida ejus conſtitutione, in nauſea, vomitu, externe cum oleis ſtomachicis injunctum, vel emplaſtris ſtomachalibus additum, expertiſſimi eſt effectus.

34 Tandem quoque elegantiſſimum præbet ſuffimigium, quod fit, ſi vel hoc balſamum Peruvianum ſolum vaſi argenteo inditur & carbonibus imponitur; efflu-via in nares recepta, coryzam, ori immiſſa raucedinem tollunt, ano applicata alvi fluxum, in uterum autem recepta fluorem album cohibent: poſtremo ad reficiendos ſpiritus & ad aeris humiditatem & vappeſcentiam ejus corrigendam non datur excellentior & fragrantior fumus, quam ſi hoc balſamum cum reſina ſtoracis & gummi benzoes in mortario calido miſcetur, addito oleo ligni rhodii & cinamomi, fit hac ratione pretioſiſſima illa maſſa, quæ vulgariter dicitur Hiſpanica. Plura jam reſtarent enumeranda ſpecialiora, ſed indigitaſſe hæc ſaltim ſuffecerint quibus ſapiens quivis percommode uti poterit. Coronidis loco addimus hanc unicam cautelam, ut abſtineamus a balſami hujus uſu tunc temporis, quando febriles adſunt commotiones & ventriculus copia bilis repletus eſt, nec non in ſtatu plethorico, ubi vaſa nimium ſanguine impuro turgent.

DISSERTATIO IX.

DE

TEREBINTHINA.

§. I.

DE terebinthina dicturis primo omnium ipsius terebinthina Græcis dicitur τερεβινθινη Hermanis Terpentin. Est nempe ratione nuturæ suæ liquor transparens & clarus, resinosus, odoris non ingrati, saporis paululum acris, ex certarum arborum truncis & ramis, mediante incisione, defluens. Ordinario tres terebinthinæ recensentur species, quæ etiam ratione arborum, ex quibus proveniunt ratione soli natalis, virtutis & pretii, longissime a se differunt ac distinguuntur.

2 Prima est terebinthina Cypria, quæ etiam vocatur de Chio, quoniam in abundantia in insula Chio crescit; secunda specie est terebinthina, quæ vocatur Veneta et secundum Gallos: *le terebinthine du bois de Pilatre*, et tertia est communis. Terebinthina Cypria omnium est pretiosissima et defluit ex arbore mediocris altitudinis, quæ appellatur terebinth. Arbor ejus est baccifera, mense Aprili florens fructus instar nucum juglandium, ratione magnitudinis, ratione figuræ autem, instar pistaciarum, profert. Clusius hanc arborem ad frutices refert ex eo, quod illa maxima ex parte fruticasse visa fuerit, nihilominus tamen et ipse fatetur sæpius hanc arborem adolescere id quod etiam affirmat Theophrastus Eresius *lib.* 3. qui generi arborum, quæ non nisi in montibus nascuntur, perpetuo virent et ineunte vere germinant, et circa tritici messem reddunt semen, accenset. Idem laudatus auctor binas hujus arboris species constituit, quarum altera mas, altera fœmina ipsi dicitur, hæc fructum ferens, illa sterilis, quæ tamen in eo conveniunt, quod radice valida in terram profunde demissa truncum alant, cujus lignum, forsan ob molliorem et rariorem texturam, torno, sculpturæ usibusque aliis mechanicis minus aptum sit. Celeberrimus botanicorum Joh. Raius *in Plantarum historia p.* 1577. possidere hanc arborem edocet ramos longos, raros et cinereo cortice tectos, a quorum tuberculis copiosis longo racemo producantur flores, meris flamineis fibras purpurascentibus contexti, folia autem laurinis non absimilis, scribit: delapsis floribus, fructus apparere parvos, rubentes, oblongos, resinosum viscidum lentorem et nucleum includentes. Idem optimus auctor *loc. cit.* falsam illam assertionem, terebinthinam semper virere et nunquam sine foliis reperiri pronunciat, testibus autoptis Bellonio, Revvolfio, Cæsalpino et Clusio.

3 Quoad locum natalem, auctore Dioscoride, terebinthus arbor nascitur in Cypro, Sytia et Africa, observante autem Clusio, etiam in Hispania, Lusitania et Gallia. In Hetruria Italiæ regione ipsam quoque se inveniisse refert; Raius *loc. cit.* In Gallia autem et Hispania resina ex hac arbore non colligitur: etiamsi Lobelius *in Tom.* 2. terebinthinam in sylva Monspelliensium interdum ab inflictis vulnusculis pellucidam resinam fundere affirmet: attamen in exigua copia colligitur, ut nec in propriis aromatopoliis prostet, multo minus in nostras transmittatur terras; hinc Raius officinis Europæis terebinthinam veram et Cypriam ignotum esse fidenter affirmat, et hujus loco abietinam vel lariceam substituit. Ipse Galenus *lib. de methodo medendi* lariceam suo tempore locum terebinthinæ veræ subornat. Terebinthina hæc est resina solidæ, dentibus non adhærens, non fluida, pellucida, coloris subflavi, odoris gratissimi, saporis suavis, paululum acris et amaricantis. Per distillationem suavissimum oleum limpidum et spirituosum elargiri, quod in urina cienda, calculo pellendo, ulceribus persanandis, lympha corrigenda et nervosis ac glandulosis partibus roborandis, præstantissimam vim habere, Angli de eo affirmant.

4 Accedimus jam ad examinandam alteram speciem terebinthinæ, quæ ex arbore larice, germanice Lerchenbaum exstillat, et falso nomine terebinthinæ Venetæ venditur. Est autem larix arbor e coniferarum censu, magnitudinem abjetis æquat, et indigenam recto ac procero

cau-

caudice attingit, qua de re evolvi poteſt Johannes Bauchinus *in Theatro Botanico* it. Matthiolus & Caſparus Hoffmanns. Colligitur reſina hæc tempore vernali & autumnali, æſtivo intenſiſſimo exiſtente calore, perforatur arbor junior uſque excipitur vaſis appropriatis & lavatur aqua ſimplici, ut acredo reſinæ minuatur & illa mitior evadat. Curioſe notat Hermannus in collectaneis ſuis, raro arbores has fundere reſinam, in quibus agaricus eſt, quoniam reſina in producendo agarico abſumitur. Naſcitur larix diverſis in locis. Cluſius in Viennenſi ſaltu aliiſque montibus Alpibus obſervavit eam in copia, Sic in Alpibus Vallenſium, Stiriæ ac Carinthiæ copioſam obſervavit peregrinans Raius. Et Caſpar Schvvenckfeld *in Catalogo Stirpium & foſſilium Sileſiæ Lib. 1. pag. 119.* in baronatu lægerndorffenſi laricem abundantem eſſe meminit. Vitruvius, autumante Raio, Plinii calcans veſtigia, de larice pro more erronea quædam audacter conſignavit litteris, inter alia autem aſſerit, eandem floribus exornari & lignum ex ipſa non ardere, ſed inſtar lapidum ignis vi non poſſe conſumi. Cui aſſerto experientia Valienſium expreſſe refragatur, ibi enim vix alia lingua, præter laricem, in uſum culinarem adhibentur.

5 Notabile eſt reſinam hanc, ſive terebinthinam ex larice, a Lionenſibus nobis vendi pro vero balſamo Peruviano albo ab aliis venditur ſub nomine, uti antea dictum, terebinthinæ Venetę, cum tamen Venetiis nulla ad nos apportetur terebinthina. Terebinthina hęc clara eſt & longe melior communi, colorem ſolet habere citreum & dentibus adhærere, id quod non facit terebinthina Cypria. Cavendum maxime, ne adulterata ſit additione olei terebinthinæ, id quod facile cognoſci poteſt ex conſiſtentia & odore, quando enim oleo terebinthinæ infecta eſt, vaporem ſub flamma præbet nigrum, celeriterque accenditur & conſumitur. Ex adverſo ſi pura & ſincera eſt reſina, odorem reſionoſum ſuavem præbet, neque tam facile concipit flammam.

6 Devolvimur jam ad terebinthinam communem, quæ paſſim magna in copia in Germaniæ locis venditur. Soboles arboris eſt abietinæ & piniferæ, quæ non tantum in exteris regionibus, maxime in Gallia, ſed etiam Germania, ſilva Hercynia, Thuringica, abundantiſſima reperitur. Terebra autem, vel ſecuri infligitur vulnus arbori, aut cultro ſcinditur cortex ab imo ad ſummum, detracto cortice, ſucceſſu temporis ſuccedit reſina, quæ primo eſt limpida, poſtea vero induratur, & hæc reſina terebinthina communis vocatur. Depuratur aqua ſimplici & agitatur, ut & ſordes abluantur, & acredo mitigetur. Feces ſolent petere fundum, & aqua decantata, reſina colligitur. Reſina illa, quæ ſereno tempore ex pino, prędcedente inciſione, effluit, tempore ſereno ſolideſcit & alba eſt, Galliſque vocatur Gallipot, ſive thus album. Gummi hoc etiam fundunt, & cum fuſum eſt, infundunt doliis, quæ pondus 300. librarum attingunt, & hæc eſt terebinthina illa communis, quæ quo clarior, eo melior eſt. Impuriorem ex ſtrobilis & conis pini coquere ſolent. Reſina illa, quando funditur cum pauciſſima quantitate olei terebinthinæ, fit exinde alba, quæ Argentorato & Hollandia affertur.

7 In noſtris terris terebinthina non elicitur, ſed arbores tantum ſuppeditant picem, quæ in Norvvegia & Finnlandia magna in copia elaboratur. Cędduntur nempe arbores: lignum inditur furnis, qui habent quatuor canales, circa furmum accenditur ignis, & tunc ex ligno per canales in ollas foras liquida manat reſina, quæ dicitur Germanis Teer, ſi diutius coquitur, ſiccatur pix purior. In aliquibus locis, fit ex reſinis laricis, quando nempe deſtillantur per deſcenſum, relinquitur pix purior & clarior. Quod autem liquor reſinoſus transſparens terebinthinaceus ex noſtris pinis colligi nequeat, cauſa hęc mihi videtur, quod in noſtris locis calor & æſtus ſit mitior. Confirmat enim experientia, quando æſtas eſt ferventiſſima, pinos & arbores alias reſinoſas longe melius creſcere & copioſiorem ac liquidiorem reſinam ſuppeditare.

8 Exhibita ſic naturali terebinthinę ejuſque ſpecierum deſcriptione, ratio inſtituti etiam poſtulat, ut ex ipſis prę-parata & compoſita, quę uſui medico ſervire poſſunt, recenſeamus. Quicunque in ſubſtantia illam propinare & prę-ſcribere ſolent, plerumque, ut tutior ejus uſus fiat, correctionem & prę-parationem quandam ſuperficialem inſtituunt. De Cypria & Veneta ſic dicta, quę nullo egent correctorio, propter partium ſulphurearum blandiſſimarum & puriſſimarum, quibus conſtant, abundantiam, illud non valet, ſed ſaltem de communi, ex ſtrobilis ſive conis pini & abietis prodeunte. Hanc aqua quadam deſtillata, vel pura pluviali, antequam interno uſui deſtinant, probe & repetitis vicibus lavare ſolent, non alium forſan in finem, quam ut a ſordibus inquinamentis variis & acredine eminentiori, quę omnibus reſinis arborum intime inhęret, liberetur. Certiſſimum enim hoc eſt, reſinarum elementa eſſe tenue, ſubtile oleum & acidum. Patet id manifeſtiſſime ex artificioſa reſinarum compoſitione, dum nempe quodvis oleum deſtillatum, commixtum cum ſpiritu nitri probe dephlegmato & concentrato, in perfectiſſimam reſinam, inflammabilem, ſolidam, in ſpiritu vini rectifico ſolubilem & cuti ac dentibus adhęrentem convertitur. Quocirca non improbabile videtur, acre illud ſal, quod ex acido & tenui oleo componitur, et in terebinthina vulgari extraverſum quoad partem et extricatum eſt, ſufficienti affuſa aqua tepida diſſolvi et ablui, ſicuti videmus, aquam cum benzoe coctam, tenuiſſimum ſal acre cum particulis ſulphureis, tenuiſſimis, terreſtribus reſolvere, quod deinde pręcipitatum, exhibet flocculos inſtar amianthi ſplendentes, acredine penetranti prędita, quę ſternutatorium et errhinum uſum habent prę-ſtantiſſimum et flores vocari ſolent. Equidem reponi hic poſſe video, ſupervacaneam et pene fruſtraneam eſſe ejuſmodi lotionem, imo plane reiiciendam, quoniam activo ſuo principio ſimplex hoc defraudetur. At vero, utut non negemus, ſi alvum laxandi, vel urinam ciendi fine, quis terebinthinam prę-ſcribere velit, inutilem eſſe talem abluitionem crebriorem; attamen fateamur neceſſe eſt, ſi conſolidandi laxos fibrarum et glandularum villos, nec non conſolidandi ſcopo ipſam adminiſtrare velimus, prępara-tionem hanc valde eſſe proficuam laudemque mereri.

9 Porro notiſſima res eſt, ex terebinthina deſtillari poſſe oleum tenuiſſimum, quod promte flammam ſuſcipit et penetrantia ſua de varios uſus medicos et mechanicos ſeſe commendat. Ejus autem prępparatio ſequentem in modum ſolet adornari, nempe terebinthinę ſumitur libra una, imponitur cucurbitę vitreę, et in Marię balneo calore ſubdito ſatis fervido, oleum deſtillatur diaphanum, pellucidum, paucum tamen, quod ſpiritus nomine indigitari ſolet. Alii terebinthinam imponunt veſicę, affundunt aquam, et calore ſubminiſtrato debito ignis, oleum ęthereum ſumme penetrans eliciunt. Verum ſi in majori copia expetimus oleum, tam tenue, quam craſſum, cucurbita vitrea, ex qua mediante balneo prius abſtractum fuit oleum tenue, in arenam denuo collocanda eſt, ut calore intenſiori addito, oleum minus tenue ex flavo rubeſcens eliciatur. Quod in fundo cucurbitę reſiduum eſt, corpus ſtabile reſinoſum conſtituit, quod colophonium germ. Deigenharats vocari ſolet. Colophonia, ſive caput mortuum terebinthinę, ſi recipiatur ad uncias quatuor et cum arenę cribratę unciis octo miſceatur per deſtillationem ex retorta oleum ſpiſſum, acre, empyreumaticum acquiritur. Notabile autem hic ulterius eſt, acidum quoddam phlegma ſimul prodire et ſal quoddam ejuſdem ſaporis, nec ſecus ac in deſtillatione ſuccini accidit, oleo empyreumatico inſidere, qua de re etiam conſuli poſſunt *Collectanea Chymica* Lbydenſia *cap. 69. pag.* 204.

10 Oleum terebinthinę in longe majori quantitate obtinetur, quando illud gummi ſimul ac ex arboribus efluxerit, deſtillationi ſubjicitur, quale non procul a Marſellis et provincia Bordoux elaboratur et hoc oleum ęthereum nomine ſpiritus terebinthinę ubique venditur, optimum eſt, quod cla-

ri-

riſſimum & inſtar aquæ pellucidum, odoris fortis & penetrantis eſt, ne vero diminutionem patiatur, preſertim aere exiſtente calido, neque flammam facile ſuſcipiat, & periculum maximum inde exſurgens evitetur probe munitum ſervari debet. Ex oleo hoc æthereo balſamum ſulphuris vulgare confici ſolet, quod virtute revera præſtantiſſimum eſt & ita paratur. Recipiuntur olei terebinthinę partes tres, florum ſulphuris, vel loco horum, ſulphuris puriſſimi, ſtillatitii partes duæ, miſcentur, induntur retortæ, ut in arena calore leniſſimo per octo ad minimum horas fiat deſtillatio, ita ut pauca quantitas olei in recipiens vas exſtillet, balſamo rubinei coloris in retorta relicto. Notatu hoc loco quoque dignum eſt monere, moderatum ſubminiſtrari debere calorem, alias, intenſiſſimo dato, receptaculis fortiter luto munitis & firmiter clauſis, periculum graviſſimum incendii domus, cum fragrore & tremulo motu ædium illarumque quaſi ſubverſione, excitari poteſt, quale exemplum in pharmacopœa Clauſthalenſi ante aliquod tempus accidere memini. Extemporaneo magis labore cum oleo ſulphuris balſamum ex ſulphuris hepate, quod ex anatica portione ſulphuris & ſalis tartari, mediante liquefactione in igne, compoſitum eſt, parari poteſt. Neque opus eſt hic deſtillatione, ſed ſub leni calore oleum ſanguineo tingitur colore. Ex eodem quoque fundamento balſami ſulphuris antimonialis dependet præparatio, quod ita paratur: ſumitur nempe uncia una ſalis lixivioſi ſulphurei, ex lixivio ſcoriarum reguli ſimplicis parati, oleum terebinthinę pellucidum, ad eminentiam trium digitorum transverſorum, vel loco hujus, oleum juniperi, menthæ, aniſi, in æquali portione adfunditur, digeſtio cum leni deſtillatione in retorta vitrea, mediante arena, inſtituitur; ita nobiliſſimi uſus balſamum, ſapore, odore & virtute commendatiſſimum acquiritur. Inſuper præſtantiſſimæ virtutis balſamum ſulphuris compoſitum parari ſolet ſequenti ratione: recipe florum ſulphuris, myrrhæ electæ, aloes, maſtiches, benzoes, ſuccini ana drachmam unam, olei aniſi, juniperi, terebinthinæ anâ unciam unam ſemis, camphoræ drachmam unam, ſpiritus vini rectificati unciam ſemis, miſceantur invicem in cucurbita parva, & igne arenę fac, ut leviter bulliant, ita ſpiritus balſamicus acquiritur, inſtar rubini, præſtantiſſimis virtutibus fulgens.

11 Curioſum eſt, ſpiritum, ſive oleum terebinthinę, cum ſpiritu nitri concentratiſſimo fumante impetuoſiſſimum & calidiſſimum motum efficere, adeo, ut ingens fumorum copia ex mixtura horum emergat: & quando ſatis fortis & ab omni phlegmate privatus fuerit ſpiritus, oleum in carbonem ſiccum exuritur. Quando autem phlegmate adhuc eſt dilutus, generatur reſinoſa ſapa rubicunda, quę promte flammam igni admota ſuſcitat. Notiſſimum quoque experimentum eſt ſulphur genuinum vulgare per artificium parandi ac regenerandi, quod Boyleus *in Chym. Scept.* hunc in modum deſcribit: ſumitur nempe æqualis portio olei terebinthinę & olei vitrioli, quę invicem mixta, per retortam vitream igne arenę deſtillantur, ita ſulphur vulgare inflammabile in retortę collum ſublimari affirmat. Quamvis autem experimentum omnibus probe obſervatis circumſtantiis, inſtitutum fuerit; minus tamen ſuccedere voluit, ſed materia quędam reſinoſa loco hujus in collo retortę viſa fuit, quę tamen accenſa vaporem inſtar ſulphuris emittebat. Hic quoque commemorandum, perfectiſſimum ſulphur, communi in omnibus, conſiſtentia & colore ſimile, ex oleo vitrioli & certo ſucco inſpiſſato vegetabilis a me fuiſſe productum & ſublimatum. Porro circa oleum vel ſpiritum terebinthinę illud notari meretur, hoc ipſum in ſpiritu vini rectificatiſſimo, etiam tartariſato diffi. cillime diſſolvi; cum tamen omnia olea deſtillata ętherea promptiſſime huic obſecundare ſoleat. Rationem hujus phęnomeni reddere, res videtur difficilis: credibile tamen eſt, tenues ſalinas, acidas & aqueas partes, quę omnibus reſinis inhęrent, cum oleoſis ramoſis partibus firmiter eſſe connexas, quę deinde intimam unionem cum ſpiritu vini rectificato reſpuunt, & potius in forma globulorum,

aut in ſuperficie, aut inter interſtitia ſpiritus vini, hærent.

12 Quod ad compoſita ex ipſa terebinthina attinet, nolumus hic eſſe longiores in cunctis recenſendis formulis & compoſitionibus, ſed ſaltim præcipuas quaſdam hic apponere ſufficiet. Ita celebres ſunt pilulæ ex terebinthina contra gonorrhæam, quarum deſcriptio in nonnullis Weſtphaliæ pharmacopœis proſtat, quæ hæc eſt: recipe terebinthinæ Venetæ, ad conſiſtentiam cum aqua roſarum coctæ, unciam unam, extracti rhabarbari drachmas duas, balſami Peruviani, de copaiva ana ſcrupulos duos, oſſis ſepiæ, ſuccini albi præparati, corallio-rum, maſtiches, terræ ſigillatæ ana drachmam unam, nitri purificati drachmam ſemis, camphoræ ſcrupulum unum miſce f. l. a. pilulæ ex ſcrupulo ſemis numero XXX. pro una doſi. Neque hic omittendum cenſemus præparandi modum ex terebinthina pilulas, quæ exſtant in *Diſpenſatorio Brandenburgico p.157.* quarum præparandi modus hic eſt, recipe terebinthinę Venetæ ad conſiſtentiam cum aqua roſarum coctæ, ſuccini, maſtiches electæ, olibani ana drachmam unam ſemis, boli armeniæ drachmam unam; cum ſufficiente quantitate terebinthinæ fiat maſſa pilularum, in gonorrhea, fluere albo & nimiis glandularum laxitatibus valde proficua. Tandem etiam terebinthina celebratiſſimas pilulas Becherianas ingreditur. Cęterum terebinthinam Venetam recipiunt complures aquæ ſpirituoſæ, ut nempe balſamica & oleoſa vis deſtillatione eliciatur. Ejuſmodi aqua eſt *B. Frid.* Hoffmanni contra gonorrhœam, communicata in *theſauro pharmaceutico pag.* 27. & hæc eſt. Recipe herbæ menthæ ſiccæ uncias tres, ſeminis rutæ, agni caſti ana uncias duas ſemis, foliorum dictamni unciam, radicis ireos Florentinæ uncias duas, terebinthinæ Venetæ uncias decem, vini generoſi albi menſuras tres, fiat deſtillatio in mariæ balneo. Hæc aqua non tantum in gonorrhœa, ſed & fluore albo feminarum, præmiſſa ſufficiente purgatione, inſignis eſt utilitatis, de qua æger mane, horis duabus, vel tribus horis ante paſtum, & veſperi quatuor horis a cœna, duo capiat cochlearia.

13 Aquas nephriticas, quæ partim ad pellendum calculum, partim ad læſam ſubſtantiam conſolidandam, valde proficuæ ſunt, noſtra ingredi quoque ſolet terebinthina. Exemplum poteſt eſſe tale: recipe ſucci petroſelini libras duas, herbæ ſelleri, chærefolii, hederæ terreſtris, mille folii, dracunculi hortenſis, pimpinellæ ana manipulus duos, baccarum juniperi libram ſemis, milii ſolis uncias tres, terebinthinæ Venetę uncias quatuor, ſpiritus vini menſuras quatuor, ſtent per aliquot dies in vaſe clauſo, poſtea deſtillentur: cujus doſis cochlear unum, vel duo, in curatione tria, vel quatuor, tempore matutino vel ventriculo vacuo ad præſervationem eſſe poſſunt. Ipſa terebinthina ingreditur quoque aquam Anhaltinam famigeratiſſimam, cujus uſus multorum annorum experientia probatiſſimus fuit, non ſaltim externe in affectibus arthriticis, rheumaticis, verum etiam interne, in expellendo calculo, cujus efficaciam idem *B.* Hoffmannus *p.45. Clau. Schræderian.* mire extollit, ubi tamen notandum, ſi interne illam adhibere velimus, propter majorem penetrantiam, convenienti aqua deſtillata dilui deberi.

14 Meretur quoque hic apponi balſamum ſic dictum Hiſpanicum, cujus vires vulnera intra breve temporis ſpatium conglutinandi mirifice laudari ſolent. Compoſitio talis eſt: recipe olei vetuſtiſſimi uncias quatuor terebinthinæ uncias octo, frumenti integri unciam unam ſemis, florum hyperici uncias duas, radicum cardui benedicti, valerianæ a na unciam unam, thuris electi uncias duas, radices & herbæ groſſo modo contundantur & ollæ imponantur, ſuperfundendo tantum vini albi, ut omnia ſubmergantur; ſtent per biduum, deinde adde frumentum & oleum, coque ad vini conſumtionem, tum forti facta expreſſione, addatur terebinthina & thus, & iterum ebulliant, demum in vaſe cum alembico ad uſum ſerventur.

15 Celebre quoque eſt balſamum Locatelli, quod, & externe, & interne, in ſanandis vulneribus & ulceribus præſtan-

ſtantiſſimæ efficaciæ eſt, legitime uſurpatum. Deſcriptio autem eſt ſequens: recipe olei hyperici veteris lib. ſemis, cerę albæ, terebinthinæ optimę ana uncias, ſex, balſ. Peruv. unc ſemis, ſantali rubri drach. duas, vini Malvatici quantum ſatis. Coquantur leni calore in balſamum conſiſtentiæ mediocris, cujus doſis prach. ſemis, ad unam, in juſculo calido eſſe poteſt. Ceterum terebinthina omnia fere chirurgorum emplaſtra & unguenta digeſtiva ſolet ingredi, non tantum ob meliorem ſolutionem mixtionemque ingredientium, vero potiſſimum ob virtutem ſuam temperatam balſamicam, qua abſtergit, mundificat, conſolidat & fibras partium ſolidarum læſas roborat.

16 Quod vires ejus ac uſum in morbis ſigillatim attinet, is omnibus latiſſime ſeſe extendit. *Dioſcorides* ipſam omnes antecellere confidenter aſſerit. *Clariſſimus D. le Mort, in pharmaceutica medica phyſica p.64.* hoc elogium ipſi tribuit: *celeberrimo* inquit: *quaſi univerſale diſſolvens menſtruum omnium reſinoſorum puriorum exiſtit, tam ad ſolutionem, quam ad mixtionem faciendam illorum corporum, imo plura dantur in hoc genere reſinoſis, quæ terebinthinæ conſortium immediatum expetunt, antequam ullo modo diſſolutiones ulteriores admittere delet. Sic gummi Copal primo diſſolvi debet in terebinthina, alias difficilius cum aliis permiſcere ſeſe ſinit abſque empyreumatis contractione.* Et *p. 55. l. cit. diverſis*, ait, *adjicitur oleis, ad facilitandam unionem & ſolutionem, hinc quoque ingreditur omnino emplaſtra, & ſimilia præparata.* Terebinthina præſertim vulgaris & laricea, magno cum ſucceſſu in ſcabie leproſa, tinea & aliis cutis defœdationibus, vel ſola vel cum aliis in unguento olim fuit adhibita Galenus ipſa ſola pſoram ſanavit, *vid. lib. 8. de ſimpl. med. faculs.* Neque hic objici debet, aliam hanc fuiſſe terebinthinam Etenim & ipſum lariceam aſſumſiſſe & in uſum vocaſſe, ex compluribus probabile videtur; ſiquidem ipſe Galenus lariceam ſuo tempore loco terebinthinæ vendidit, unam alteri ſæpius ſubſtituit, ut ex *libro ejus de medicamentis ſecundum genera* ſatis patet, ubi etiam affirmat, quod laricea omnia illa, quæ terebinthina vera poſſit, efficiat. Wagnerus *in hiſtoria naturali Helvetiæ curioſa p. 266.* hujus reſinæ uſum in ſcabie, pſora, tinea valde laudat. Cujus ratio hæc eſt quod mundificet & glandulas nimium relaxatas roboret, a ſalibus autem ſtagnantibus corroſas conſolidet, & ulteriorem ſeri corroſivi & lixivioſi generationem in ſubcutaneis vaſculis impediat. Simon Pauli *in Quadripart. botanico* in capitis vulneribus, ubi vel a plaga, vel etiam poſt trepanationis uſum, dura meninx nuda detegitur, hujus reſinæ uſum valde proficuum pronuntiat. In omnibus ulceribus & recentibus vulneribus ſanandis commode terebinthinam admiſceri Dodonæus *in Hiſtoria ſtirp. pag. 857.* docet, quoniam non evidentem obtinet acrimoniam, qua ulcera irritare poſſit. Imo ſi verum eſt, quod judicat Dodonæus *libro citato*, abietis lacryma pro laricea a Galeno habita & reputata fuit, quod & Bavhini, Rondeletii, Cluſii et Simonis Pauli ſententia eſt, qui ſimilem uſum ac effectum habere aſſerunt; hinc non video, cur tam anxie a ſe invicem ſoleant diſtingui, præſertim cum externa differentia, ſi recentes ſint, vel exigui, vel plane nulla invenire poſſit.

17 Sed placet jam paulo accuratius terebinthinæ uſum internum enarrare. Primum itaque terebinthina, ad drachmam unam cum vitello ovi ſubacta et cum aqua diſtillata ſumta, alvinam regionem probe expurgat; uti id experientia manifeſtum eſt. De purgante autem ipſius virtute poteſt etiam inter alios videri Wagnerius *loc. cit. p. 297.* Ineſt enim omnibus ferme gummatibus ſal quoddam acre, quod reſolutum fibrillis membranarum inteſtinarum ſtimulando, contentorum electionem facilitat atque promovet ſicuti ad luculenter videmus in gummi ammoniaco, myrrha, ſagapeno, benzoe, quæ cuncta pilulas antihypochondriacas et antihyſtericas laxantes non ſine levi effectu ingrediuntur, utpote ſucci acidi,

qui alias aliorum purgantium vim respuunt et eludunt et quibus hypochondriacorum regio valde scatet, egregie ejusmodi gummatibus purgantur et evacuantur. Acidum enim corrosivum ramoso horum contextu excipitur, infringitur, sicque saturatur et corrigitur, ut adeo pro purgandis acidis morbosis succis sint convenientissima.

18 Præterea utilissima terebinthina est interne in affectibus renum et vesicæ, dum sale acri, tenui glandulas et siphunculos renales irritat et separationem urinæ promovet, nec minus viscosam tenacem materiam in urinariis tubulis renum hærentem et calculi materiam præbentem abstergit atque dissolvit: insuper particulis oleosis viscosis substantiam renum et vesicæ ab erosione, inflammatione et exulceratione læsam, quod sæpissime in truculentis et diuturnis calculosis harum partium affectionibus accidit, rursus conglutinat et compagem laxatam unit et firmat. Quocirca passim ab auctoribus practicis terebinthina in substantia probe cum vitello ovi mixta et propinata cum specifica quadam aqua, ad ardorem urinæ mitigandum, in ulcere vesicæ, nephritide, purulenta mixtione et renes detergendos, incarnandos eosque a calculo purgandos magnopere commendatur. Simon Pauli *in Quadripart. Botan. pag.* 538 de laricea nostra sive Veneta inquit: insigniter est utilis, ubi renes viscida pituita & calculo obstruuntur, in aqua chærefolii, petroselini, fragorum, aut simili, addito tantillo vitelli ovi soluta et crebrius propinata, urinas pellit et pectoris vitiis, ac gonorrhœæ medetur. Forestus passim in observationibus suis magis ad præservationem, quam curationem calculi illam adhibet: at vero si jam calculus est præsens, commodissime propinari potest sine ulla prævia præparatione, quod Hildanus aliquoties expertus est uti ex *ejus observationibus* patet. Quidam infuso cum cerevisia, leve accidente prope ignem defervescentia, pro potu ordinario ipsa in calculo viscerumque obstructionibus laudabiliter utuntur. Obiter hic notari meretur, quod terebinthina, licet frequenter usurpetur, non æque ut reliqua diutetica noceat, cujus phænomeni Georg. Horstius *decad.* 8. *qu.* 1. *de calculo renum & vesicæ* rationem reddere conatur, inquiens: *caliditatem terebinthinæ temperatam membris coctioni dicatis amicam, esse*: at magis nobis arridet ratio Riverii *Tom.* 1. *prax. l.* 8. *cap.* 1. quia scilicet alvum simul laxat, et per eam crassiores educit humores, qui a cæteris potissimum diureticis ad renes adducuntur.

19 In paroxysmo vero calculoso exhibitionem ejus non suademus, sed consultius est, ante ipsum, vel post eum mitiorem factum, adhibere, ita enim optime arenulæ e renibus eliminantur. Deinceps in thoracis affectibns non sine utilitate adhibetur, illam enim ab omni immunditie pulmones nec non infimum ventrem purgare, scribit Raius *l. c.* Confert quoque porro, uti ait, veteri tussi, spirandi difficultati et sputo sanguinis. In phthisi cum lacte sulphuris si exhibeatur maximam præstare ibi opem scribit Hartmannus *in Tyroc. Chym.*

20 In gonorrhœa et fluore albo, ipsam terebinthinam, in substantia, vel coctam, aut destillatam magnas præstare virtutes inter chirurgos et medicos notissimum est, et revera hic terebinthinacea omne absolvunt punctum, præsertim si cum specificis purgantibus acuantur, vel balsamum etiam Peruvianum admisceatur, utpote serum copiosum et vitiosum partim per renes et alvum educunt, partim glandulas et vesiculas seminales nimium laxatas roborant, sordes abstergunt, & dilaceratas partes consolidant. Optime hunc in finem adhibentur in forma pilularum, desuper bibendo serum lactis, vel etiam lac calidum. Et hæ sunt præcipuæ, quibus terebinthina imbuta est, vires, in medicina et chirurgia repertæ expertissimæ; circa quas tamen illud adhuc venit monendum, peropportune terebinthinam hanc sumi vel in bolo, vel sub forma pilularum, aut placentularum; deinde exiguum, vel plane nullum ejus usum esse debere, quando ventriculi adest debilitas: recte enim.

Ce-

Celeberrimo Wedelio *in Amœnitatibus materiæ medicæ lib. 2. ſ. 3. cap. 4.* ventriculum debilitare terebinthina dicitur ex multiplici experientia, hinc etiam in ſtomachicis ſpirituoſis merito debet propinari, vel ſi major adſit imbecillitas ſtomachi præparata ex ea nempe ſpiritus, aquæ diſtillatæ, cæteris partibus, magis exhibere debent. Subjectis tamen robuſtioribus commodiſſime per ſe exhiberi ſuadet idem laudatus Wedelius & quidem in maſſa pilulari, *vid. l. c. pag. 239.* neque ſine ratione, utpote analyſi chymica craſis & textura mixti, a qua forma & virtus medicamentoſa dependet, plane deſtruitur, & præparata exinde longe aliam induunt naturam, a priori plane diverſam, aliaſque vires & operandi modum nanciſcuntur. Videmus id manifeſtiſſime in china chinæ, cum ſpecifico optimo antifebrili, lumbricis terreſtribus, ceu laudatiſſimo antepileptico: quæ deſtillata & igne reſoluta, virtute ac plane exuuntur & defraudantur: unde non ſine ratione Arnoldus *de Villa nova* ſimplicia longe antefert præparatis & compoſitis et dolum eſſe, inquit, uti compoſitis, ubi adſunt ſimplicia. Egregius quoque locus de hac re exſtat in Helmontio *Tractat diſpenſat. moderno p. m. 372.* dum inquit, *deteſtatus ſum multorum ſimplicium compoſitiones, eo quod ſi ad odorem ſanativum alium deſuper adjunxeris, qui priorem ſupprimat, palliet, in ſe convertat, vel ſimul ex utroque neutrum ſuſcitet; ſcivi exinde vim ſpecificam ſanativam abolitam fore, irritumque effectum ab ægro optatum.*

21 Circa uſum & applicationem ſpiritus terebinthinæ et ex ipſo præparatorum quædam adhuc monenda veniunt. Nimirum cautiſſime calidiſſima hæc remedia adhibenda eſſe internæ, præſertim quando calor præter naturam corpus afficit, alvus obſtructa & ſtatus plethoricus præſens eſt. Tunc enim maximum damnum inferre ſolent, quotidiana experientia id edocente; renes enim hac ratione facile ad inflammationem, exulcerationem & calculum diſponuntur; in phthiſis calor facili negotio per præpoſterum balſami ſulphuris terebinthinacei uſum ſuſcitatur; in menſium ſuppreſſione idem balſamus ſulphuris, adhibitus antequam ſecta fuerit, vena & inteſtinalis regio a copia & ſaburra vitioſorum humorum purgata, ſæpenumero calorem internum maximum cum anxietate præcordiali excitare non ſine periculo ſolet. Diabetem ab ejus improvido uſu productam notavit Wedelius *in Miſcellan. Nat. Curioſ.* In gonorrhœa caute etiam cum validiſſimo medicamento mercandum eſt, lenta enim febris, niſi prudenter adhibeatur, hoc ipſo facile inducitur. Auctor itaque ſum, ut in ſubjectis præprimis tenerioribus, ætate juvenili, tempore æſtivo, temperatura cholerico bilioſa, parciſſime, vel plane non adhibeatur. In robuſtioribus autem, pituitoſis, ruſticis, & durioris vitæ generi addictis, paulo liberalius uſurpari poteſt, ubi tamen ſemper generalis regula debet valere, ne plethoricis, ne alvo obſtructa, vel calida intemperie laborantibus offeratur. Relicta doſi ſi miſceatur cum tinctura tartari, elixirio pneumonico, carminativo, ſpiritus ſalis ammoniaci vinoſo, in plurimis affectus ejus uſus non erit de nihilo.

22 Externe autem ſpiritus terebinthinæ, maxime ſi cum axungiis animalium rite mixtus fuerit, in nervorum ac ligamentorum contractionibus, tenſionibus, nec non relaxationibus egregium auxilium præbet, ſi calide partes paraliticę ipſo inungantur. Boyle ſpiritum hunc, in *Tractat. de ſpecificorum remediorum natura*, adverſus contracturam ceu ſummum & divinum remedium extollit. Ad ulcera cacoethica mundificanda, carnem ſuperfluam abſumendam & putredinem arcendam, cum ſpiritu vini dilutus chirurgis fert opem exoptatam, præſertim in læſionibus partium nervoſarum. Spiritus terebinthinæ, imo ipſa terebinthina, cadavera a putredine & corruptione præſervare optime poteſt. Sed hac de terebinthina ejuſque uſu monuiſſe & attuliſſe impræſentiarum ſufficiat.

DISSERTATIO X.

DE MILLEFOLIO.

§. I.

NOn minus acute, quam vere pronuntiavit ſuperioris ſeculi clariſſimus chymicus Oſvvald. Crollius, dum ait: *natura etiam in minimis & abjectiſſimis obſervatur cum ſtupore maxima, & ubi deficit in corpore, abundat in viribus.* Ad veritatem hujus adſertionis confirmandam auctor inter alia ex regno vegetabili exempli loco allegat vitem & culmum innuendo varii generis frumenta. Et ſane ſi triticum, ſecale, hordeum intuemur, nihil aliud ſunt quam gramina exili ſplendore ornata, at in ſeminibus eorum ſuccus adeo nobilis delitescit, ut exinde univerſus orbis communiſſimum pabulum & ſitis levamen præparet & vitam hanc fere unice ſuſtentet. Similiter vitis & frutex parvæ conſiderationis, floribus exiguis prædita & incapax ſuis viribus e terra ſe elevandi opus habens loco fulcimenti adaptatis palis vel arborum truncis ramiſque, quibus ſe ope capreolorum ſuorum circumvolvit & in altitudinem effert: nihilominus tamen utilitas, quæ ex fructu ipſius plane divino ad vitam & ſanitatem hominis redundat, revera eſt ſumme admirabilis, ſiquidem ſuccus uvarum, per fermentationem in vinum generoſum mutatus, maximum eſt machinæ humanæ reſtaurativum, ſanguinis ſpiritu aſcentiam auget & mentem acutiorem atque elevatiorem reddit, unde & ipſe ſacer codex ejus vires mirifice extollit & Syracides præ æſtimatione hujus adeo delicioſi nectaris exclamat: quid eſt vita abſque vino!

2 Quodſi latius paulo in caſtra vegetabilium exſpatiaturi fuerimus, conſpectui noſtro ſeſe offerent multiplicis generis herbulæ circa ſemitas hinc inde diſperſæ, figuræ quidem externæ pulchritudine non admodum ſuperbientes, quarum tamen elementa & agendi vires ſi penitius ſcrutemur, fatendum omnino erit, eſſe illas ex earum numero, in quibus natura cum ſtupore voluit apparere maxima. Unicum ſolummodo hac vice lubet in medium proferre millefolium, quod ubivis copioſiſſime provenit & in omnibus fere pratis luxuriat, aſpectu quidem ignobile, viribus vero eximium, & dignum maxime, ut præ ulmaria & aliis longe ſpecioſioribus plantis reginæ pratorum nomen ſuſtineat. Non poſſumus non ſingularem Dei providentiam & ore & calamo venerari, cum obſervemus, tam bene, tamque ſapienter conſultum fuiſſe generi humano, ut, quæ ad longe optabiliſſimam ſanitatem conſervandam & ægritudines valde horribiles ſimul a corpore avertendas inſerviunt, non e longinquo & ex abditis terrarum locis ſcrupuloſe debeant conquiri, ſed circa vias in campo plano haberi & colligi queant, quare non inconcinne Paracelſus alias non adeo magnus vulgarium medicamentorum æſtimator pronuntiavit: *ruſticum quemlibet verum pharmacopolium ante ſuas ædes habere*. Et profecto, quid impedit, quo minus hoc adſertum cum rei veritate valde conſonum ſtuamus, ſiquidem circa quodvis tugurium in copia creſcunt malva, chamomilla, millefolium, acacia, ſambucus, eſula, papaver rubrum erraticum, braſſica, petroſelinum, plantago, pimpinella, hyoſciamus, lapathum & aliæ adhuc præſtantiſſimæ herbæ ac frutices, quibus ſane omnibus in morbis indicationibus ſatisfacere poſſemus optime, ut adeo vix opus eſſet tam pretioſo ex regno minerali apparatu. Mea eſt & manet firma ſententia, quod qui ſimpliciſſimis herbis, ſeminibus, floſculis & radiculis morborum curationem ſuſcipiunt, omnium feliciſſime medeantur, id quod pluribus teſtatum facere poſſem exemplis, ſi temporis permitteret. Et eam omnino ob cauſam, exiguitas ex locupletiſſimo materiæ medicæ theſauro præ omnibus placuit millefolii herbæ tractationem ſuſcipere. Et quicquid de nobiliſſimæ totius plantulæ natura & uſu explorare vel ab aliis jam exploratum deprehendi in diſſertatione præſenti ea, qua poſſum, accuratione diſcutiendum decrevi.

3 Antequam ad ſcopum ipſum accedimus & millefolii naturam vireſque decenti ſcrutinio medico perſequamur, e re fore noſtra judicamus, ut primo omnium in ejus differentes ſpecies, cognomina ac figuram externam inquiramus, & deſcriptionem ejus paulo accuratiorem ſiſtamus, quo omnibus pateat, quænam ſit illa herba, cujus diſcuſſionem pleniorem hic intendimus. Quodſi ſcriptores botanicos evolvimus, ii varias nobis ſubminiſtrant millefolii ſpecies, ſiquidem Caſpar Bavhinus, qui potius in herbarum nomina, quam earum uſum ſagaciter inquirit, *in Pinace Theatri Botanici Lib. 4. Sect. 3. pag.* 140. tredecim millefolii ſpecies recenſet & in *Prodromo Theatri botanici*, in quo plantæ ab ipſo primum deſcriptæ traduntur *Lib. 4. cap. 6. pag. 72.* adhuc quinque millefolii ſpecies exhibet & ſollicite delineat. Chriſtoph. Merret. *Pinace rerum naturalium Britanicarum* decem, Hermannus vero medicinæ & botanices Profeſſor in *Horto Academico Lugduno-Batavo* novem millefolii exhibet ſpecies. Nos ex multivariis iſtis millefolii ſpeciebus ſeligimus tantum vulgare ſic dictum millefolium, quod Germanice audit Garbe, Garben, Araut, Schaaff-Garbe, Schaaff-Hipp, Græce Chiliophyllum, miriophyllum, Dodonæo Achillea, Fuchſio Stratiotes millefolia aliis alio non multum ab his differente nomine.

4 Rationem prædictorum nominum ſi quis a nobis expetat, dicimus, hanc herbam millefolii nomen accepiſſe ob multiplicem foliorum ordinem & inciſuras, ſiquidem unumquodque folium a caule plantæ progrediens interdum, ſi præſertim in ſalaciori ſolo ſuccreverit planta, ultra octo ſpargit ramificatiunculas, quæ ſingulæ rurſus quinque ſex vel octo gaudent inciſuris, ut adeo ſi a dictis foliorum ramificatiunculis eorumque inciſuris calculus deſumatur, revera vocari poſſit millefolium. Quare autem Germanicis Schaaff-Garbe audiat, id eo deducendum eſſe arbitror, quoniam conteſtantibus id opilionibus oves lubenter hac herba veſcuntur. Præterea achilleæ cognomen habet ab Achille magno Græcorum heroe, qui hac planta vulnera ſuorum militum curaſſe perhibetur. Stratiotes quoque dicitur, quoniam militum vulneribus ſanandis egregie conducit. Satis vero de nomine dictum eſto, cum in aprico ſit poſitum, parum utilitatis inde in praxin medicam redundaturum. Salſe admodum Simon Pauli *in Prœmio Quadripart. Botanic.* illos, quibus volupe eſt nomina herbarum tantum venari, neglecta virium inquiſitione, perſtringit his verbis: *quid opis ægro adferet medicus ex catalogo nominum Pœniæ, cum v. g. decies vel ſæpius uno die eum concidere, convulſivis motibus lancinari, contortis oculis torvum tuentem epilepticum ante pedes jacentem obſervat? Non hic ſcire conducibile* Apulejum Platonicum *cap. 64. de virtutibus herbarum* referre, quod Pœnia Græcis adpelletur Pentorobon, aliis Glycyſis, aliis Agloophotis, aliis Pæonion, aliis Selenion, aliis Menion, aliis Panacoſceras, aliis Helenogonon, aliis Dichomenion, aliis Gludim, aliis Menogenion, aliis Theodonion, Italos vero Pœoniam, alios Roſam fatuinam vocare? Nos igitur hac occaſione ipſa hæc verba ad millefolium noſtrum adplicaturi dicimus: quid quæſo proderit ægro ſpaſmodicis ventriculi & inteſtinorum doloribus detento vel vulneribus multis adflicto, ſi medicus ſciat exacte recitare cognomina eorumque accuratam calleat delineationem, interim tamen ignoret, quid virtutis intus cuſtodiat hæc planta & quomodo in ſolamen & juvamen ægrotantium millefoliata adhibeat.

5 Millefolium ab auctoribus botanicis hinc inde deſcribitur, uti videri poteſt in *Matthioli Comment. in Dioſcorid. Libr. 3. cap.* 137. *Dominico Chabræi*, *Hirpium iconibus & ſciagraphia*, Simon. Pauli *Quadripart. Botan. Claſſ. II pag.* 103. Raii *methodo plantar. nova & plurimis aliis*, Nos florentem herbam paulo accuratiori conſiderationi noſtræ ſubjecimus & notavimus omnia, quæ ad externi illius habitus cognitionem aliquo modo facere videbantur. Radicem quod attinet, ea ex plurimis conſtat filamentis & non ſecus ac calamus aromaticus late per tellurem diſpergitur atq; hinc inde turiones emittit, qui ſucceſſive increſcunt & novæ plan-

plantæ faciem induunt, unde facile peti poteſt ratio, quare hæc herba adeo luxuriet & a Junio ad Septembrem uſque flores poſſideat, cum roſæ, lilia, tulipæ, plurimæque aliæ herbæ vix per quatuordecim dies in flore conſpiciantur. De foliis jam ſupra dictum fuit. Florem vero quod concernit, præſentat ille umbellam ex multis una in ſerie ſeparatim erumpentibus floſculis coagmentatam, unuſquiſque horum floſculorum gaudet quinque petalis candidis & rotundiuſculis, diſcum vero formant ſemifloſculi calyciformes quinque inciſuris ceu petalis imperfectis ſuperius notati, ex quorum fundo prominent ſtamina cum antheris aurantii coloris, quibus inferius capſula ſeminalis adhæret. Herba hieme perit, ſed verno tempore radices ſucco novo impregnatæ copioſos emittunt turiones, ut adeo hæc planta non ſolum ex ſemine terræ mandato propagetur, ſed potiſſimum ex radicibus late ſerpentibus denuo ſubpulluret. In pratis ubivis fere locorum & circa ſemitas creſcit. Si tellure alitur pingui & ſubhumido ad ulnæ altitudinem excreſcit, in arido autem & exſucco ſolo plerumque ſpithamam longitudine non multum ſuperat. Natura interdum ludit, & flores monſtrat purpureos vel ex albo purpuraſcentes, uti idem in aliis quoque obſervatur plantis & cumprimis in cæruleo illo agrorum decore cyano, quem non ſemel flore albo vel purpureo aut aliis coloribus ornatum reperire contigit.

6 Hiſce obiter præmiſſis ordinis ratio poſtulat, ut ante omnia in naturam, principia & elementa herbæ millefolii inquiramus. Sicuti enim actio & operatio cujusvis medicamenti unice fluit & proficiſcitur ex natura principiorum dextre cognita: ita præcipuum laborem hunc eſſe judicamus, ut jam oſtendamus naturam & principia activa in millefolio, quæ utique medicus cognita exploratæque habere debet, ſi cum ratione & certo quodam effectu hac herba uti velit. Cum vero plura ſint, quæ ſimplicis alicujus naturam patefaciunt, hinc ordine decenti cuncta perſequemur. Et primo quidem de principio inſito & activo millefolii judicabimus ex forma externa & loco natali, deinceps ſubjiciemus guſtus & olfactus teſtimonia, quibus omnibus addemus experimenta chymico pharmaceutica, unde omnium elementorum hujus herbæ qualitas optime hauritur.

7 Multi ſunt medicorum, qui magnam de viribus cujuſdam herbæ judicandi fiduciam in ſignaturis externis ponunt, adeo ut Oſwald. Crollius *in Tract. de ſignaturis rerum*, eum tantum verum medicum dicat, qui ex ſignaturis rerum externis de interna illarum præſtantia judicare poſſit & meliorem partem veræ literaturæ, per quam omnes res occultæ legantur ac inveſtigentur, nuncupare non erubeſcat hanc falſo jactitatam de ſignaturis rerum ſcientiam. Verum qui paulo penitius rem conſiderat, facile cognoſcet, methodum hanc imaginationis ſobolem eſſe, adeoque incertam & fallacem, ut nihil minus inde, quam ſpecialis virtus & activum plantæ alicujus elementum explorari ac detegi poſſit. Hoc vero concedendum omnino eſt, ipſam florum figuram quodammodo, ſed probabiliter tantum & generaliter nos de facultate alicujus herbæ inſtruere. Quare ex obſervatione botanica conſtat, herbas ſic dictas umbelliferas pleraſque virtute gaudere ſedativa, antiſpaſmodica & ſulphure ſuo caput replere, ſimul quoque carminativam vim exſerere, uti videre licet in anetho, leviſtico, aniſo, pimpinella, chærefolio, caro, coriandro, ulmaria, fœniculo, nigella, cervaria, valeriana, meo multiſque aliis. Itaque millefolium noſtrum quod attinet, a priori ex ſolo aſpectu umbellæ ipſius cognoſcimus, illud ob ſulphur ſuum blande vaporoſum magna pollere vi antiſpaſmodica, ſedativa & carminativa, quæ virtutes etiam ipſi revera inexiſtunt ac de jure competunt, ut in ſequentibus dilucidius exponetur.

8 Alia vero adhuc via paulo ſecurior datur in plantæ alicujus elementorum cognitionem deveniendi, ſi ſecundum mentem locus natalis, ubi hæc vel illa herba ſponte provenit, conſideretur. Obſervavi enim plantas pro differentia locorum, ubi ſponte naſcuntur, peculiares, ſed communes & proprias fere poſſidere virtutes. Ita v. g. plantæ pleræque, quæ in

fœ-

fœcundis ac pinguibus locis naſcũtur, principio pollent partim mucilaginoſo, partim ſulphureo & vaporoſo naturę plus minuſq; amico, eaque propter omnis generis dolores ſedant, ſomnum inferunt, humorũ acrimoniam temperant, tumores emolliunt, omnibus affectibus, qui ex ſpaſmo fiunt, medentur et immodicas fluxiones ſiſtunt, quales ſunt v. g. anethum, aniſum, abſynthium, buglossa, chærefol. chamom. vulgaris, cynogloſſa, crocus, cumin. hortenſe et pratenſe, nigella, papaveris ſpecies, coriandrum, ebulus, fœnum Græc. fœnicul. hyoſciamus, hormin. imperator. lolium, leviſticum, lupulus, mentha criſpa et Saracenica, et hujus generis plurimæ. Jam vero ad millefol. noſtrum hoc adplicaturi haud ignoramus, illud in pratis, quæ locis fœcundis accenſentur, ſponte prognigni, adeoq; valde probabilis infertur inde concluſio, quod iiſdem agendi principiis ſit inſtructũ, quibus herbas in locis fœcundis naſcentes ſcatere modo diximus. Itaq; nulla alia hoc in ſolo enutrita plantula certe hæc ob ſulphureũ blande vaporoſum cum mucilag. quadam intermixtum principium inſigni gaudet vi anodyna, antiſpaſmod. acrimoniam humorum temperante ac tumores emolliente.

9 Attendendum hoc loco eſt, quod prędictis modis in herbarum principia inquirendi neceſſario conjungi debeat guſtus et olfactus experimentum, ſi cum certitudine majori judicare et herbarum virtutibus cupiamus; in hoc enim multum momenti ſitũ eſt, ſiquidem cum duobus maxime natura gaudeat in mixtione corporũ agendi principiis, ex quibus fere omnis earum virtus promanat, quorum unum eſt ſal, quod ſapore dijudicatur, alterum ſulphur, quod ope odoris percipitur, facile apparet, huc plantarum vires explorandi modum eſſe longe accommodatiſſimum et ceteris jam propoſitis pondus addere. Sicuti vero ſaporis diverſæ ſpecies ſunt, quæ ex commixtione ſalis cum aliis partibus exſurgunt, ita quoq; prout principium ſulphureum cum ſalinis, terreis et aqueis varie commiſcetur, diverſa odoris ſpecies reſultat, unde ex ſapore et odore generalis æque ac ſpecialis certis in morbis proficua plantarum virtus explorari poteſt. Quodſi jam millefolii herbam guſtu et olfactu perſcrutamur, obſervavimus totam plantam, radicem eũ fibrillis minimis fere capillaribus, caulem quoq; cum medulla in ejus cavitate hærente, folia et flores ſapore gaudere amaricante, qui tanto conſpectius deprehenditur, ſi hæ partes cum aqua decoquuntur vel in ea ſaltem infundũtur. Odor vero plantæ eſt fortis ſulphureus, qui in floribus præſertim longe eminentior obſervatur. Ex his igitur merito concludimus, millefolium ſale quodam fixo cum partibus terreo mucilaginoſis nupto & ſulphure vaporoſo ſubtili & ſuavi naturæque amico eſſe inſtructum.

10 Tandem chymico pharmaceutica partium a ſe invicem abſtractione optime elementa hujus herbæ evolvũtur. Quodſi enim hæc planta recens vel ſicca cum aqua diſtillatur, prodit inde oleũ ſulphurinum penetrantiſſimi ſaporis et odoris valde ſulphurei vaporoſi, quo ipſo clarum fit, ineſſe huic plantæ ſulphur quoddam vaporoſum, anodynum, ſedativum peculiaris indolis, quale vix ulla in planta excepta chamomilla vulgari reperitur. Hujus igitur olei ratione quoque recte ipſi tribuitur virtus antiſpaſmodica, anodyna & carminativa. Quodſi oleum ſubtilius fuit abſtractum, remanet magma bruni coloris, paulo mucilaginoſũ, valde adhuc redolens, quod cum decenti modo partibus terreſtrioribus per expreſſionem prius ſeparatis igni ad evaporationem ſupponitur, coit in extractum amaricantis ſaporis, quod ob immixtas adhuc plurimas particulas ſulphureas ſingulari pollet efficacia antiſpaſmodica, humorum correctoria et roborante, itemq; traumatica. Reliqua pars craſſior poſt expreſſionem relicta tanquam terra effęta eſt utilitatis. Ex herba tota ſiccata et igne concremata ſal elicitur amaricantis ſaporis. Conſtat itaque ex hiſce experimentis, in millefolio prædominari elementum ſubtile vaporoſum ſumme ſulphureum cum quadam mucilagine, terra ſicca et ſale alcalino intime combinatum. Ex hac igitur ſubſtantia oleoſa cum mucilag. quadam, ſale et terra mixta deduci utiq; debet omnis virtus, quæ in noſtro millefolio latitat, imo non tantum ex hoc principio vires per experientiam et a poſteriori cognitæ peti, ſed et novæ incognitæ inveniri et detegi poſſunt.

11 Evolutis hoc modo millefolii elementis

tis & agendi principis opus etiam erit, ut recenſeamus, in quibuſnam affectibus tam internis, quam externis chirurgis & medicis eximiam opem & levamen medicamina ex millefolio adornata præſtiterint. Ut autem exordiamur ab uſu interno, maxima ejus virtus celebratur in omnibus iis morbis, qui ſpaſmis originem debent & dolores atroces junctos habent, unde præſertim aqua ex millefolio deſtillata febrium paroxyſmos & vehementiam coercet, ſiquidem non ſolum humores impuros in primis viis & maſſa ſanguinea collectos corrigit, diluit & reſolvit, ſed & ſpaſmos, in quibus febrium natura conſiſtit, optime demulcet ac aufert. Et hanc ob cauſam etiam ipſa in febre peſtilentiali a compluribus auctoribus practicis mirifice extolluntur millefoliata, adeo ut *Henricus Paſchaſius Libr. de peſte cap. 5. pag. 1.* teſtetur, ſe millefolii effectum plane ſingularem expertum fuiſſe in peſte Hafnienſi, nec deſunt auctores alii plurimi, qui hanc herbam cum flore ceu peculiare arcanum contra peſtem habeat, uti videre eſt in *Claud. Theod. Panth. Hygioſt. Lib. 3. cap. 27. Phil. Cruling. Florileg. Hippocr. Galen. Chym. Part. 8. cap. 7. pag. 219. Th. Bartholin. in Act. Med. Hafnienſ. Vol. 2. pag. 291. Ang. Salæ Opera Med. pag. 455.* Quin imo iidem auctores millefolium ſuſpendere tempore peſtis præcipiunt in copia domuum parietibus, forſan ut aer corrigatur & miaſma peſtilentiale ejuſmodi effluviis odoriferis avertatur, quamvis ego potiorem exinde promanantem effectum attribuam fiduciæ, quam ejuſmodi homines, qui amuletis hiſce domuum parietes ornant, tum concipiunt, his præditi poſtea non timent peſtem, unde ab ipſa interdum immunes degunt. Idem quoque effectus antipeſtilentialis ſalis millefolii adſcribitur,

12 Præterea millefoliata & cumprimis florum cum aqua infuſio aut decoctio, aqua deſtillata vel cum ſpiritu vini non rectificato extracta eſſentia aut ſyrupus infra deſcribendus, ut & ſpiritus millefolii cum oleo ejus adhuc exaltatus in omnibus doloribus, qui ſpaſmorum ſunt tragici effectus, egregiam exſerunt efficaciam. Equidem non ſine magno fructu & utilitate in hæmorrhoidum cæcarum dolore, in colica, doloribus poſt partum, a lochiis ſuppreſſis & quæ ex hæmorrhoidum ſuppreſſione naſcuntur acerbioribus tormentis, in cardialgicis quoque anxietatibus, affectu ſpaſtico ventriculi & diaphragmatis, uti in diſſert. *de præſtantia remediorum domeſticorum* docui. Pulverem millefolii cum vino exhibitum efficaciſſimum eſſe in colicis auctor eſt *Johannes Camerarius in Horto medico pag. 101.* Similiter in doloribus a calculo ejus uſus non contemnendus eſt, quoniam ſpaſmo conſtrictos uretheres relaxat & liberiorem calculis renalibus exitum conciliat. Pulchre hanc in rem ſcribit Marc. Antonius Zimara *in antro magico medico P. 1. pag. 7.* pulvis ſeminis millefolii vere collecti ad drachmam unam cum vino albo aut juſculo mane jejune uſurpatus quam ſit præſtans remedium ad calculum deturbandum experientia me docuit, præſertim ſi bis terve repetatur. In ſuppreſſione quoque urinæ infuſum millefolii in aceto ſuadet Apollinaris *in Enchiridio ſuo* botanico, quem in finem ſubſtitui rectius poſſet tinctura ex millefolii & chamomillæ oleis & ſpiritu juniperi parata, ſi præſertim in gonorrhœa vel a flatulenta & feculenta cereviſia hauſta oriatur. In odontalgia herba millefolii cum butyro inſulſo frixa & calide male dolenti impoſita commendatur ab *Apollinari* loc. cit. quod ſane remedium præſertim in tumoribus ab inflammatione membranularum dentes cingentium relictis eſt accommodatiſſimum. Manducata folia maxime recentia dentium dolores mulcere perhibentur, quæ virtus etiam commanducatæ radici & diu ſub dente dolente retentæ adſcribitur, uti videre eſt in *Matthiol. Comment. in Dioſcorid. Lib. 3. cap. 135. & Apulejo de virtutibus herbarum.* Sed an hic effectus inde ſit expectandus, valde dubito, ego hunc in ſcopum potius ſuaderem oleum millefolii in goſſypio dentis cavitati inditum & ad tempus ibi detentum.

13 Quum vero enormiores ſanguinis ſive per uterum, ſive per ſedis venas, aut fiſtulam bronchialem profuſiones, acerbio-

bioribus ſpaſticis viſcerum vel aliarum partium contractionibus ſuan. originem ſuaque incunabula debeant, euporiſta illa ex millefolio parata in iis compeſcendis vix ulli alii remedio efficacia cedunt, uti multis practicorum teſtimoniis id clarum manifeſtumque fit. Ita *Matthiolus Comment.* in *Dioſcorid. Lib. 3. cap.* 137. hanc in rem ſequentia profert: *datur utiliter millefolii ſuccus ad ſanguinis rejectiones. Idem præſtat ſicci farina ex ſymphyti majoris aut plantaginis aqua pota. Eadem naribus indita fluentem inde ſanguinem compeſcit.* Et paulo poſt hæc verba ponit *herba recens tuſa & ſuppoſita pubique illico menſibus profluvia compeſcit. Præſtat quoque mirum in modum millefolii & foliorum & florum farina ad ſanguinis mictum, ubi unciæ pondere una cum Armeniæ terræ drachma ex vaccino lacte propinetur jejunis diebus tribus continuis*, conf. quoque *Galenus Lib. 3 ſimplicium medicamentor. Joh. Renodæus Lib. 1. de Materia Medica, Reinerus Solenander Conſil. 8. S. IV Sennert. Lib. 4. Med. Pract. pag. 2. Sect. 2. 6.* ſiſtit quoque hæmorrhoidum nimium fluxum ſecundum *Petr. Pachequ. obſ. 5. ap. River. in Comment. Thom. Williſ. Pharm. ration. P. II. G. 1. cap. 7. Thom. Fuller. Pharmacop. Extemporan. p. m.* 135. Ex eodem quoque fundamento non modo ſanguinis, ſed alias quoque fluxiones egregie intercipit & cohibet, hinc memorato Matthiolo millefolium una cum floribus tuſum & cum ſua ipſius aqua aut caprino lacte potum gonorrhœam in viris, in feminis alba uteri excrementa tollere & dyſentericis quoque utiliter infundi una cum ſui ipſius ſucco perhibetur, qualem obſervationem etiam habet Gabriel Fallop. *Secret. pag.* 73. 77.

14. Inſuper antepileptica quoque virtute excellere millefolium auctoritate Arnold. *de Villanov. Libr. 1. Prax. cap.* 22. & Craton. *Lib. 1. Conſil.* 4. comprobatur, quæ vis & efficacia unice, ut nobis videtur, a ſulphure vaporoſo, anodyno & magno ſpaſmorum etiam convulſivorum ſedativo petenda ac derivanda eſt. Porro in ſpaſmodicis vermium roſionibus commendatur, uti inter alios prodit Zvvingerus in *Herbario ſuo* it. Anton. Chalmet *in Enchirid. Chirurg. Lib. 3. cap.* 15. quæ ipſi virtus ob amaricantem ſaporem & olei fragantiam competere videtur, unde ex eodem fundamento Julius Cæſar Claudius *in Empiria rationali Lib. 3. Sect. 31. Tr. 2. cap. 6.* aquam roſarum & *Riverius* aquam florum aurantiorum adverſus vermes convenire deprehenderunt. In abortu imminente, qui nunquam non abſque ſpaſmorum ſumma violentia fit, decoctum millefolii ceu præſtantiſſimum remedium præſervatorium commendatur a Simone Pauli *in Quadripart. Botanico claſſ. 2. pag.* 103. Contra vomitum herbæ decoctum cum labruſcæ floribus utiliter dari putat Matthiolus *in Comment. ad Dioſcorid. Lib. 3. cap.* 137. quod non ſine ratione ab ipſo ſtatuitur, ſiquidem vomitus eſt affectus inſignium ventriculi præſertim ac duodeni ſpaſmorum, quibus vero ſedandis millefoliata optime ſuccurrunt.

15. Si ullo vero in morbo ſolamini egregio ſunt millefoliata, certe in malo ſic dicto hypochondriaco & hiſterico eorum uſus continuatus tum ad præſervationem paroxyſmi, tum ad ejus mitigationem, obſervatur longe præſtantiſſimus. Hunc in finem familiariſſime uti ſoleo decoctis & infuſis ex millefollio, neque minus frequenter præſcribit pilulas ex extractis millefolii, chamomillæ, camphora caſtoreo & extr. rhabarbari paratas. Mirifice etiam clariſſimus Stalius *in diſſert. de Therapia paſſionis hypochondriacæ* medicamenta ex herba millefolii extollit, dum ait: *quodſi in paſſione hypocondriaca etiam acerbiores anomalæ commotiones circa venam portæ ſuccedant, ſpecifico quodam affectu illis ſuccurrit herba millefolii vel in decocto vel in eſſentia adhibita, quæ ultima etiam cum moderata ſpiritus volatilis additione interdum non æque continuo uſu offerenda conducit.* Et profecto, certa & multiplici obſervatione edoctis contumaciſſimum hunc morbum minime remediorum multitudine eorundemque crebra cum aliis mutatione vinci, non abſque fundamento adſerere licet, millefolii

ſo-

ſolius decocto vel infuſo per longum tempus uſurpato adſumtis interdum leniori-bus laxantibus & ſervata inſimul exactiori diæta plus præſtari poſſe hoc in caſu, quam omnibus aliis tantopere commendatis moroſiuſque paulo conquiſitis medicamentis.

16 Quia flores chamomillæ vulgaris etiam propter oleum, quod per deſtillationem identidem ſapharinum prodit, temperatum & ſedativum, millefolio penitus ferme ſimiles & ipſi affines vires alunt, eorum hinc virtus non diſpar, ſed una eademque in commemoratis jam affectibus deprehenditur. Qua de cauſa opportune admodum in horum morborum curatione hi duo flores conjungi & in unum medicamentum, ut infuſum vel decoctum aut in clyſterem vel cataplaſma recipi poſſunt: ſiquidem hic flos in omnis generis doloribus, ſpaſmis quoque & hæmorrhagiis ſiſtendis fere eſt incomparabilis. Id vero habet maxime familiare præ millefolio, quod ſemifloſculi illi lutei, qui diſcum formant, ad drachmam unam aliquotes die vacuo ſumti pertinaces febrium intermittentium inſultus atque impetus potenter ſiſtant & compeſcant longe tutius, quam ipſe laudibus in cœlum ſublatus chinæ chinæ cortex, qui ex remoto Peruviano regno ab aliquot inde jam annis tanto pretio redemtus fuit. Nullum vero ſimplex in rerum natura reperitur, quod tam amicum eſt inteſtinis, quam flos chamomillæ, qua de cauſa etiam non ſine conſilio & ſingulari fructu huc uſque ſolos flores chamomillæ ad clyſteres in omnibus fere affectibus loco aliorum ingredientium recipiendos curavi ac ſuaſi addito, ſi opus videbatur, oleo amygdalarum dulcium vel hujus loco ſubſtitutis ad ſumtus parcendos oleis lini aut raparum, quæ & ſalis communis ſufficienti quantitate, ſi præſertim alvi dejectio tentata ſimul fuerat; quippe ſal commune in ſtimulandis inteſtini recti tunicis meliorem longe uſum habet, quam varia extracta & electuaria lenitiva vel purgantia, quibus omnibus inter clyſteres carere poſſumus optime.

17 Denique millefoliata mirifica pollent virtute in læſionibus, corruptionibus internarum partium conſolidandis, adeoque in pulmonum, renumque exulceratione eorum uſus circumſpectus non plane eſt contemnendus. a Fonſeca *Tom. 2. Conſil. Med.* & Johannes Prævotius *in Medicina pauperum* valde extollunt pulverem millefolii in phthiſi & ulceribus pulmonum, ſi quotidie ejus drachma una in juſculo calido ſumatur. Neque dubium eſt, quin dictis in morbis maximam interdum præſtet utilitatem, præſertim ſi ægrotantis ætas non ſit provectior, ſi ſuccos adhuc in venis alat benignos, nec marcor, languor & ſummus virium lapſus in corpore ſentiatur, ſique inſimul accuratior victus ratio obſervetur & medicatio hæc per dimidium annum & ultra ſollicita cura continuetur. Eundem vero & illuſtriorem adhuc affectum in phthiſi ab uſu continuato decocti millefolii cum conſerva roſarum rubrarum præparati & bene clarificati exſpectare poſſumus. In læſionibus & exulcerationibus inteſtinorum poſt dyſenteriam gravem flores millefolii & chamomillæ in clyſtere adplicati vel intus quoque in forma decocti adſumti ad conſolidationem egregiam exſerunt efficaciam. In caſu ab alto ad ſanguinem congrumatum reſolvendum aqua millefolii deſtillata vel ejus decoctum, pulvis quoque cum aceto itidem præſtantiſſimæ ſunt virtutis.

18 Luſtravimus jam noſtri ſimplicis uſum internum, ſupereſt igitur, ut paucis tantummodo verbis agamus de uſu ejus externo, cum ſatis etiam ille nobilis ſit. Nolumus vero hic eſſe longiores, quia abunde ejus uſus chirurgicus & vulgo eſt perſpectus. Et primo quidem egregiam exſerit efficaciam in tumoribus & inflammationibus externis emolliendis ac diſcutiendis. Speciatim vero cataplaſma ex floribus millefolii, chamomillæ, meliloti aliiſque ſimilibus ſpeciebus præparatum in tumoribus odontalgicis, itemque pedum œdematoſis non ſine effectu eſt evidenti. In eryſipelate flores ſicci prius contriti ope lintei triplicati parti inflammatione tactæ impoſiti optime conducunt. Linimentum ex

aqua

aqua millefolii, chamomillæ, aceto vini, ſpiritu vini camphorato & ceruſſa partibus genitalibus, cumprimis præputio ac ſcroto ab impuriori venere tumore affectis frequentius de die calide adplicatum egregio eſt juvamini.

19 Præterea decantatiſſima eſt millefolii apud omnes fere auctor. & botanicos & practicos ſingularis vis traumaticas, ſiquidem non ſolũ vulnera recentia optime conglutinat, ſed & ulcera etiam fiſtuloſa et mali moris purificat et ad conſolidationem perducit. Eſt igitur hoc millefolium inter vulnerarias plantas facile princeps & jam ab *Achille* armipotentem Græcorum heroe ad vulnera militum ſuorum ſananda adhibitum fuiſſe traditur. Simon Pauli *in Quadripart. Botanico* citat hiſtoriam ex Hollerii *lib. 2. cap. 5. inſtitut. chirurg.* petitam de quodam ruſtico, qui deciſus erat naſus ea parte, qua os in cartilaginem deſinit, qui ſola herba millefolii tuſa et in vino nigro trita impoſita brevi fuit reſtitutus. Renodæus *in materia medica* ita de millefolio diſſerit: *qualitatem habet adſtringentem vulnerariam. Optime ab inflammatione vindicat, deſiccat & glutinat, ulceribus quoque prodeſt & ſanguinem undecunque fluentem ſiſtit.* conf. quoque Zvvingerus et Lonigerus *in Herbariis ſuis*. Vulgus in uſum vulnerarium ſubigit aut tundit herbam millefolii in formam cataplaſmatis addito tantillo axungiæ porcinæ vel lardi infumati. Quidam etiam telæ arenearum parum remiſcere ac vulneribus recens inflictis id adplicare ſolent. Gargariſma ex aqua deſtillata millefolii vel ejus decoctione uſurpatum reſiſtit putredini faucium, gingivæ, et colli. Herba contuſa carbunculis cum fructu quoque adponitur, uti teſtantur Joh. Crato *libr. de peſte*. P. Droetus *Conſil de peſt. c.* 10. Jul. Palmar. *de febr. peſtilential. c* 18. M. Linzer *Antidot. peſt. l. 2.*

20 Ultimo loco exponendæ veniunt variæ ex millefolio præparationes. Quando herba vel recens vel ſicca una cum floribus parumper inciditur & cum ſufficienti quantitate aquæ ſimplicis veſicæ cupreæ vel cucurbitæ vitreæ capaciori inditur & deſtillatur, prodit aqua coloris ſubcœrulei, cui ſupernatat oleum penetrantiſſimum coloris ſaphirini elegantiſſimi, cui vix datur in rerum natura ſimile, unicum ſi chamomillæ oleum excipias. Johan. Sigiſmund. Elſholzius *in Deſtillatoria curioſa* plurima profert exempla vegetabilium colorate alembicum traſcendentium, quippe ſecundum prædicti auctoris experimentum veronica recens cum vino vel aqua deſtillata dat aquam viridem, id quod etiam de ſalvia et rore marino valet; chamomilla Romana oleum flavum deſtillatione fundit, ex fecibus vini elicitur per veſicam oleum viridiſſimum ex cinnamomo aurei coloris, ex petroſelino et chærefolio florentibus et in ſemine conſtitutis viridiuſculum oleum prodit, iridis quædam ſpecies cœrulea aquam largitur cœruleam, planta ros ſolis dicta decenti methodo per veſicam vitream deſtillata liquorem ad rubedinem inclinantem exhibet et certa pimpinellæ ſpecies cœruleo colore imprægnatum ſpiritum fundit. Meminit quoque curioſus hic ſcriptor olei cœrulei ex chamomilla deſtillati, ſed de noſtri millefolii oleo ſaphirino altum apud ipſum eſt ſilentium. Evolvimus hanc in rem plures alios ſcriptores tum chymico-pharmaceuticos, tum botanicos, nullibi tamen ejus mentionem factam deprehendimus, etſi ſollicita cura in id inquiſiverimus, tandem caſu quodam incidimus in exiguum libellum, quem Joh. Poppius Chymicus Coburgenſis *de herbis* conſcripſit et anno 1625. edidit, qui unicus auctor jam mentionem injicit oleorum millefolii et chamomillæ, quod colore cœruleo prodeant in deſtillatione.

21 Memorabile circa oleum millefolii hoc eſt, quod ejus color pulcherrimus ſaphirum fere ſuperans ſucceſſu temporis paulatim mutetur, adeo ut gratiam ſuam intercapedine duorum vel trium annorum fere penitus amittat; ſpiritus vero cœruleus ex ſummitatibus deſtillatus noſtro experimento ultra quinquemeſtre colorem hunc ſuum longe amœniſſimum exacte ſervavit, ab eo vero tempore deinceps ſucceſſive glauceſcere cœpit. Falſiſſima eſt eorum opinio, qui ſpiritus

& olei millefolii colorem cœruleum veſicis deſtillatoriis ex cupro confectis deberi adſerunt & dicunt ſolvi ab oleo hoc penetrantiſſimo quaſdam cupri particulas & deinceps commiſceri eas intime cum oleo & ſpiritu, ut adeo hanc ob rationem cœrulei coloris faciem induant. Refutari vero horum ſplendida theoria facile poteſt, ſi modo deſtillatio ſuſcipiatur in vaſe vitreo, ubi itidem hac veſte conſpicua prodeunt oleum & ſpiritus. Circa jam dicti ſpiritus deſtillationem adhuc eſt monendum, quod is ſub initio deſtillationis non ſtatim cœruleus appareat & quidem ex hac ratione, quia particulæ oleoſæ ob arctiſſimam cum ceteris partibus connexionem tum temporis nondum ſufficientes ex floribus ſunt evolutæ & extractæ. Quodſi vero aliquandiu continuata eſt deſtillatio, tum demum ſucceſſive colorem acquirit cœruleum, qui in fine, circa quod tempus potiſſima olei pars alembicum tranſcendit, fit ſaturatiſſimus. Obſervandum quoque hoc loco eſt, quod ex floribus millefolii recentibus vel modo ſiccatis major olei quantitas & ſpiritus quoque ſaturatioris coloris obtineri poſſit, quam ex diu conſervatis & aridis, quia ex his tempore magna particularum ſulphurearum portio exſpirat.

22 Oleum millefolii eſt magnum anodynum, antiſpaſmodicum & carminativum medicamen, qua ipſa virtute egregia quoque ſpiritus exſplendeſcit. Spiritus vini rectificatiſſimus cum oleis millefolii & chamomillæ deſtillatis & camphora decenti in quantitate imprægnatus eximiam dat medicinam carminativam ac diſcutientem, quæ longe majori cum fructu in omnibus iſtis affectionibus, ubi ſpiritibus vini camphoratus alias adhiberi ſolet, poteſt uſurpari. Spiritus juniperi, in quo ſufficiens quantitas olei chamomillæ & millefolii ſoluta eſt, concedit egregiam tincturam ſaphirinam diutetica & emmenagoga virtute non contemnenda præditam. Quodſi ſpiritus vini ſuperfunditur floribus millefolii & aliquandiu ſolis digeſtioni vel leniori ignis calori exponitur, emergit inde eſſentia virtute gaudens antiſpaſmodica, ſtomachica & carminativa non vulgari. Eſſentia millefolii in pharmacopoliis proſtat, uti & extractum, quod ex totius plantæ decocto inſpiſſato conficitur & conſimili virtute gaudet, interque pilulas laxantes, quæ ſimul confortant & humores corrigunt, recte recipitur. Laudatur quoque ab auctoribus nonnullis pulvis herbæ ex planta arida compoſitus. Poſſet quoque ex millefolio parari ſyrupus, qui cum aqua millefolii & cinnamomi hauſtus egregio foret levamini in doloribus ventriculi & inteſtinorum, ut & nephriticis. Communiſſime herba & ſummitates millefolii in decocti vel infuſi forma præſcribuntur hyſtericis præſertim & hypochondriacis ſubjectis, quæ ab uteri ſpaſmis, flatulentiis & ventris torminibus frequentius afficiuntur, quibus etiam non mediocri eſt ſolamini.

DISSERTATIO XI.

DE CAMPHORÆ USU INTERNO SECURISSIMO ET PRÆSTANTISSIMO.

§. I.

MEdicamenta ſua etiam fata experiri, nemo facile, niſi rudis ſit hiſtoriæ medicæ, in dubium revocabit. Quid enim frequentius occurrit, quam quod non tantum diverſæ circa remediorum efficaciam apud medicos vigeant opiniones, ſed & quædam interdum ob mirabilem maxime, qua celebrantur, virium potentiam, ad cœlum uſque tollantur, quæ intervallo temporis ob noxiam, quam forte crearunt, iterum culpantur & ad ima uſque deprimuntur. Neque tantum ab antiquis præſtantiſſimus medicis maximopere commendata inque pharmacopeis recenſita medicamenta cumprimis compoſita hoc fatum ſuſtinent, ſed maxime noſtris temporibus, quibus medicina magis exculta & in ſereniorem lucem poſita eſt, magnificæ famæ, quæ exſtiterunt remediorum genera, paucis abhinc annis

annis laudem atque exiſtimationem ſuam penitus ferme amiſerunt. Quanta enim famæ celebritas fuit paucis abhinc annis laudano opiato Helmontii, elixirio proprietatis Paracelſi, antihectico Poterii, aquæ benedictæ Rulandi, ſpecifico cephalico Michaelis, tincturæ ejus bezoardico Sennerti, ſpiritui oleoſo volatili Sylvii, tincturæ aperitivæ Mœbii, tincturis ferme omnibus martis, bezoardico ſic dicto ſolari, Joviali, ceruſſæ antimonii, bezoard. minerali, panaceæ Glaubertanæ, theriacæ cœleſti Quercetani, ſali volatili cornu cervi, chinæ chinæ, illis, qui in artis operibus indefeſſo ſtudio verſantur, notiſſimum eſt. Utpote hæc ipſa velut polychreſta & arcana ob mirabilem & pene divinam virtutem ipſis conceſſam recondebantur, quorum tamen fama atque exiſtimatio noſtris ferme temporibus periit atque exſpiravit, eo quod conceptam medentum ſpem maxima ex parte eluſerint.

2 Ex dictis his artis noſtræ miſera facies elucescit, quæ nunquam fere ſibi conſtat, ſed ſemper innovatur, reformatur & immutatur. Enimvero nolo hoc loco ipſa culpare vel accuſare remedia, quibus eximias vires agendi in ſommovendis morbificis cauſis utique Numen benigniſſime infudit, ſed medicorum coarguo ignorantiam, inconſtantiam, inque judicio & applicando præcipitantiam: quorum plurimi, cum parum docti & ſolidi ſint & recte ratiocinandi uſu ac arte deſtituti, hinc in ſentiendo ſunt inconſtantes, huc vel illuc agitantur, inque diverſas partes facile diſtrahuntur: maxime omnium vero eorum opinionibus, quos fama vulgi, caſus, aut cœca fortuna forſan extulit, & qui in adplauſu & exiſtimatione vivunt, inhærent. Alii in præceptoris & magiſtri ſui, quem ſæpius etiam ſorte nanciſcuntur, unice verba jurant, ejuſq; dicta quaſi Apollinis Delphici oracula æſtimant. Complures, dum a certi remedii uſu ſiniſtrum vel dextrum effectum obſervant, protinus hunc ſoli remedio nulla aliarum cauſarum concurrentium habita ratione, quæ multum remedii virtutem modificant, adſcribunt, & hinc noxium aut proficuum in his vel illis evincendis morbis illud eximunt, ſique tantopere decantatum remedium votis & exſpectationibus non recte reſpondet, tunc mox ad alia ab aliis magnifice laudata, vel etiam ad exotica tranſcurrunt, quo efficitur, ut nunquam recte notitiam remediorum facultatis atque potentiæ, quæ tamen fere præcipuam therapiæ medicæ partem ſuſtinet, acquirant. Maxima itaque ſcientiæ & prudentiæ medicæ pars eſt, noſſe medicamenta, noſſe eorum facultates ac vires, neque minus eorum uſum ab abuſu recte diſtinguere, ita enim fiet, ut neque ipſis nimium laudis vel virtutis tribuamus, neque nimium detrahamus. Noſtri jam inſtituti eſt de interno præſtantiſsimo camphoræ uſu noſtras obſervationes atque rationes exponere. Neque enim ignotum eſt, quam præſtans atque eximius camphoræ ſit uſus externus, at neſcio, quo fato ejus internus uſus minus tutus atque ſuſpectus adhuc creditus fuerit; cum tamen non facile in rerum natura ſimile detur remedium, quod majores in medendo camphora effectus exhibeat.

3 Prius vero, quam de interno camphoræ uſu & ejus admiranda in compluribus morbis depellendis efficacia diſſeramus, quædam de illius origine, ſolo natali atq; natura peculiari præmittenda eſſe cenſemus. Quod itaque ad ejus originem ac generationem attinet, eſt ipſa fœtus arboris glandiferæ in India Orientali, cujus folia & radices tenerrima tali reſina ſunt impregnata, unde etiam arbor camphorifera adpellatur. Fuſiorem vero hujus arboris deſcriptionem exhibuerunt Breynius *in exoticis plantis Cent.* 2. & Kleyrus *in Annotationibus*. Creſcit hæc arbor in Japoniæ ſilvis abſque cultura inſigni in abundantia, radicem habet craſſam, denſam, ſubrufam & ligneam, quæ admodum olet camphoram, cortex eſt inæqualis ac gryſei coloris, lignum vero ſolidum, ponderoſum, ſubfuſcum, oleoſo humore turgidum & identidem camphoræ odorem de ſe ſpargit, rami oblongi, late expanſi atque diviſi foliis alternatim poſitis gaudent palmam longis & duos tranſverſos digitos latis, referunt Caſſiæ ligni folia & contritu fragrantiſ-

ſima camphoræ effluvia emittunt. Hæc arbor ad quercus altitudinem in India quandoque adſurgere dicitur. Perpetua fronde viret & ſub noſtro quoque climate culturam fert, modo ab acri gelu & ventis borealibus ſollicite defendatur. Eam non modo in horto medico Leidenſi, ſed etiam in famigeratiſſimo illo Schvvebbelenſi, quem ingenti ſumtu adornavit generoſus Dominus de Mynchhauſen, vidimus. Neque vero tantum in uno eodemque Indiæ loco progignitur, ſed alibi quoque ejus proventus viſitur, utpote in Sumatra & Inſula Borneo ſponte & copioſe in ſilvis creſcit, nec multum a Japonica diſtat. Quando inciditur hæc arbor, profluit oleoſus ſuccus, qui particulas camphoreas non paucas continet.

4 Hæc itaque arbor camphoram nobis largitur, quæ non uno modo ex ipſa elicitur. Diſtinguitur autem camphora in nativam & factitiam, illa granulata eſt, & ex arborum trunco ſolis æſtu ſponte transſudat, vel ex fiſſo aut inciſo ligno prolicitur & rariſſima eſt: factitia vero, quæ ad nos in glebas & panes compacta tranſportatur, ex radicibus, ligno, ramis ac foliis diſſectis ignis officio coctione extrahitur atque ſublimatur. Nativa maxime ex Sumatrana & Bornienſi arbore depromitur. Japonenſes vero per deſtillationem longe majorem ejus quantitatem obtinent, ſegmentis enim adfundunt aquam ſimplicem ſufficienti quantitate, & poſtea in veſica, quæ collo longo ac anguſto & capitello lato eſt inſtructa, deſtillationem adornant; in capitello vero ipſa camphora colligitur, ac condenſatur. Quodſi opus eſſe cenſetur, denuo ſublimatur, quo præſtantior puriorque evadat.

5 Perſpecta jam geneſi ac origine camphoræ, res poſcere videtur, ut ejus quoque naturam ac indolem paulo penitius inquiramus. Perſecuturis vero excellentiſſimi hujus ſimplicis naturam & proprietates paulo adcuratiori indagine ac meditatione, in univerſa rerum natura vix ſimile ſibi aut par haberi jure pronuntiandum eſt. Quare etiam ob peculiares ſibi proprias vires ac qualitates, ad quod genus vel ſpeciem referenda ſit, nondum inter medicos & phyſicos conſenſio eſt. Veteres camphoram pro reſina habuerunt, eo quod ex arbore inciſa ſuccus elicitus inſtar reſinæ inflammabilis concreſcat: at vero, num ad reſinas camphora ſit referenda, merito dubitandum eſt. Nulla enim ex omni reſinarum genere ſeu natura talis ſeu arte præparata reſina fuerit reperitur, quæ accenſa nullo cinere relicto tota in auras avolet. Quid quod haud ulla datur reſina, quæ vaſe clauſo per ignem tota in altum elevatur. Ea enim eſt natura atque indoles reſinarum, ut vehementiori igne tractatæ, phlegma, ſpiritum & oleum fundant. Accedit, quod nulla ex reſinis nobis cognita ſit, quæ tam promte inſignem quantitatem ſpiritus vini rectificatiſſimi recipiat atque abſorbeat, ſicuti id obſervare licet in camphora, cujus pars una exacte a ſpiritu vini rectificatiſsimi partibus duabus diſſolvitur.

6 Cum itaque camphora inter reſinas vix commodum adinveniat locum, hinc recentiorum nonnulli in eam iverunt opinionem, ut camphoram ſalis volatilis oleoſi poſsidere naturam adſererent, impulſi maxime ad hanc ſententiam ex eo, quod inſtar ſalis volatilis oleoſi accedente calidiore igne non modo tota in auras avolet, ſed & in clauſo vaſe ne minima quantitate relicta in ſublime feratur. Verum enimvero etiam hi ipſi mihi a veritatis tramite valde aberrare videntur, utpote nullum datur ſal oleo etiam intime imbutum, quod in flammam abripiatur vel quod cum rectificatiſſimo ſpiritu vini aut oleo quodam arctiſsimam unionem ſubeat. Et qui camphora ſalis titulum jure mereatur, cum ſolutionem in aqueis menſtruis penitus averſetur? Neque iſti rem accurata acu tangere mihi videntur, qui inter gummata illam collocant, quia & ſolutione & volatilitate plane cum ipſis nullam alit adfinitatem.

7 Ut noſtram quoque de camphora promamus ſententiam, dicimus: camphoram nihil niſi oleum volatile tenuiſſimum eſſe, aſt coagulatum, non liquidum. Id vero multis iiſdemq; firmiſſimis ra-

rationibus corroborabimus. Primo enim multæ dantur ſpecies fragrantis odoris ac ſaporis penetrantis, quæ ſubtile oleum, quod etiam promtiſſime ſub deſtillatione in veſica cum aqua fundunt, in ſe cuſtodiunt. Hac ratione non modo ex omnibus fere aromatibus, ſed etiam ex plantis oleo volatili turgidis, ut ſunt lavendula, majorana, mentha, roſmarinus, ruta, oleum deſtillatur, unde profecto non mirum eſt, camphoriferæ arboris partes tale oleum fundere. Secundo ſicuti omne oleum deſtillatum flammæ admotum mox accenditur atque totum avolat & aterrimam fuliginem emittit: ita etiam fit cum camphora, quæ mox flammam concipit, tota avolat, nigerrimo fumo exhalante. Dein, quemadmodum omne oleum deſtillatum in ſpiritu vini rectificatiſſimo præſertim tartariſato ſolvitur, adeo, ut partes duæ ſpiritus unam partem olei v. g. lavendulæ, in ſe recipiant intimeq; invicem uniantur: ita etiam experimentum cum camphoram feliciter ſuccedit, dum nempe uncia una ſpiritus vini rectificatiſſimi promtiſſime dimidiam camphoræ unciam diſſolvit. Et quemadmodum ſolutioni oleorum cum ſpiritu vini peractæ adfuſa aqua oleoſas particulas præcipites dejicit: ſimile ratione ſoluta in ſpiritu vini camphora, menſtruo aqueo accedente, rurſus fundum petit & præcipitatur, mixtura inde reddita turbida albeſcente. Denique ſicuti olea deſtillata, quibuſdam ſaltim gravioribus aromatibus exceptis, propter levitatem aquæ ſupernatant: ita etiam camphora in omnibus aqueis liquoribus in ſuperficie hæret.

8. Poſtremo camphoram cum oleis deſtillatis ſimilis ejuſdemque eſſe indolis, vel ex eo colligitur, quod illa in ſpiritu vini rectificato ſoluta & per alembicum deſtillata non ſimul tota evehatur, ſed in fundo cucurbitæ, niſi ulteriori deſtillatione in alembicum urgeatur, pars illius relinquatur, perinde ac fieri ſolet cum ſolutis oleis æthereis in ſpiritu vini rectificato, quæ deſtillationi ſubmiſſa, ſpiritum oleoſa ſubſtantia ſubtiliori quodammodo imbutum, fundunt, potiori tamen olei parte in fundo cucurbitæ relicta, quæ ulteriori commiſſa igni ſeparatim in forma olei prodit. Hæc exactiſſima experimenta ſatis abundanter comprobant, maximam inter camphoram & olea deſtillata intercedere conformitatem. Quapropter non ſatis mirandum eſt, quam inani & fruſtraneo conatu magni etiam chymiatri oleum ex camphora deſtillatum eliciendum quæſiverint. Quo fine obtinendo & ſua ingenia & nobiliſſimum hoc ſimplex dire torſerunt atque adfixerunt: ignorabant enim hi lepidi camphoræ carnifices, ipſam jamdum oleum volatile & deſtillatum eſſe. Sicuti vero ridiculum eſt ex oleis deſtillatis oleum elicere velle, cum jam tale quid ſint: ita etiam, ſi quis ex camphora oleum vult perficere, res merito paradoxa dici debet. Decepti vero omnes ſunt in eo, quod camphoram reſinam eſſe credebant, quæ ſicuti facile per deſtillationem oleum largitur: ita etiam hoc ipſum ex camphora eliciendum omni ſtudio curarunt.

9 Verum enim vero non eadem, ſed diverſa camphoræ natura ab oleis deſtillatis videtur, cum hæc ſolida & ſicca, illa vero pinguia, fluida quoque & manus madefacientia ſint. Deinceps & in eo diſcrimen notabile obſervatur, quod oleum volatile denuo ex retorta vitrea per arenam deſtillatum ſubtiliſſimum quidem largiatur oleum, ſed craſſum magma relinquatur: camphora vero tota in forma ſicca, ne ulla materia relinquatur, in auras abit. Quibus dubiis, ut ſatisfaciamus monendum eſt, dari quædam ſimplicia in vegetabilium regno, quæ volatilem illam ſulphuream & inflammabilem partem, quam in mixtione cuſtodiunt, non in forma pinguis olei, ſed in ſicca forma, non ſecus ac camphora elargiantur. Ita ſi florum roſarum cum ſale bene contritorum ac maceratorum magna quantitas cupreæ veſicæ immittitur & cum aqua deſtillatur, præter aquam fragrantiſſimam etiam oleum, quod ipſi ſupernatat album, coagulatum inſtar ſevi, elargiuntur odoratiſſimum, quod non ſecus ac aliud oleum in ſpiritu vini rectificatiſſimo diſſolvitur.

10 Simili modo ante aliquot annos ex ligno aloes tale oleum deſtillatum inſtar cā-

phoræ prolicui, ingentem nemperaſpaturæ ligni aloes odoratiſſimi ad lib. 10 accedentis ſumſi quantitatem, aquam fluviatilem adfundi curavi, qua per aliquot dies in temperato loco macerata fuit, poſtea, adornata deſtillatione, prodiit aqua, cui oleum ſiccum, album, odoratiſſimum mirræ ſuaveolentiæ & penetrantis ſaporis ſupernatabat, & ad drachmas ſex minimum fuit collectum. Hoc reſolutum in ſpiritu vini rectificatiſſimo elegantiſſimum liquorem cephalicum præſtantiſſimi odoris & virtutis ſubminiſtrabat. Ex radice recenti camphoræ ſimile oleum, quod camphoram & ipſo odore & virtute æmulatur, deſtillari ex veſica poſſe mediante aqua Hermannus *in Collegium manuſcripto in materiam medicam* notavit. Ita porro ex cortice radicis caſſiæ cinnamomeæ camphoram parari poſſe Grimmius docet in *Laboratorio Zeulonico*. Ex cortice vero radicis arboris cinnamomiferæ oleum paratur liquidum, quod camphoræ & cinnamomi fragrantem odorem refert & ex India ad nos tranſportatur, nullumque dubium eſt, quin ex aliis fragrantiſſimis corticibus, radicibus & gummatibus ſimile oleum ſiccum per deſtillationem haberi poſſit.

11 Quamvis vero camphora ad oleorum æthereorum claſſem perquam commode poſſit referri, quod ex antea adductis experimentis & rationibus ſatis ſuperque adparet: nihilominus taliſmodi ſicca olea, ut camphora, præ pinguibus illis liquidis quaſdam peculiares & ſibi proprias facultates in ſinu ſuo recondunt, multum enim inter ſe ratione volatilitatis ſeu tenuitatis partium differunt. Nam camphora non modo igne ſubmiſſo, ſed & ſub moderate calido aere tota in auras & quidem celeriter avolat & evaporat, nullo veſtigio remanente: contra vero deſtillata olea tardiſſime avolant, emittunt ſaltim tenuiſſimas ſulphureas partes, craſſioribus & viſcidioribus relictis, unde olea deſtillata vetuſta craſſeſcunt, adeo, ut terebinthinæ conſiſtentiam accedant. Quapropter etiam camphora, ne avolet, longe exactiori cuſtodia & conſervationis cura in vaſis muniri debet, quam ipſa olea deſtillata, quorum evaporatio non tam promta & expedita eſt, ſicuti camphora. Hanc ob cauſam pharmacopœi perperam ſuis rebus conſulunt, quod camphoram, citra exquiſitam clauſuram, libero ſic aeri committant, falſa traditione & opinione occæcati, quod adſperſio ſeminis lini ejus evaporationem impediat, cum tamen parum vel prorſus nihil huic ſcopo inſerviat.

11 Ex hoc igitur adparet, longe majori partium ſulphurearum inflammabiliumque tenuitate & exiguitate camphoram præ aliis oleis deſtillatis pollere, utpote quæ viſcido quaſi quodam & ramoſo involucro excipiuntur & cuſtodiuntur, quo camphora ſumme volatilis ac tenera caret. Hæc ſumma partium ſulphurearum tenuitas a viſcido pingui involucro liberata efficit quoque, ut camphoræ virtus ab olei cujuſdam deſtillati viribus longe multumque diſtet ac differat, nam utut camphora tota inflammabilis ſit, nihilominus tamen in corpore noſtro calorem haudquaquam efficit, adeo, ut potius intenſiorem corporis fervorem ſiſtat, quo circa etiam a veteribus non calida, ſed frigida habita fuit. Etenim viſcidiores & ſecundum Carteſii doctrinam ramoſæ olei deſtillati partes ſulphur tenuiſſimum & inflammabile in carcere quaſi irretitum & concluſum habent, ut minus promte per poros corporis evolare poſſit, ſed diutius in corpore maneat, unde etiam intenſiorem inteſtinum ſanguinis partium motum melius ſuſtinet atque tuetur.

13 Hac quoque de cauſa omnia olea deſtillata, gummata quoque, quæ inſignem olei quantitatem cuſtodiunt, ut ſunt gummi ammoniacum, myrrha, balſamum Peruvianum, ſagapenum, galbanum, ſanguinis & humorum maſſam atque univerſum corpus mire exagitant, magnumque æſtum atq; fervorem accendunt, ſiquidem particulæ ſulphureæ, æthereæ, quæ omnis inteſtinæ calidæ agitationis cauſa ſunt, anfractuoſo, viſcido & gummoſo contextu involutæ per majus temporis intervallum remanent, neq; tam facile ab involucro hoc ſe poſſunt emancipare, quare effectus diutius perſiſtit ac durat: ſecus fit in camphora, cujus partes per

poros

poros citiſſime avolant, hinc etiam una guttula olei cinnamomi plus calefacit, quam decem grana camphoræ. Quod vero viſcoſa, pinguis & ramoſa olei ſubſtantia volatilitatem impediat vel ex eo liquidiſſime patet, quod camphora in oleo amygdalarum dulcium expreſſo vel in oleo de cedro aut lavendulæ ſoluta, ſub liberiori quoque aeris acceſſu non facile in auras abeat, ſed ſub tegmine hoc oleoſo diutius ejus ſubſtantia contineatur. Et hęc forte fuit ratio, quare veteres ſemen lini ceu valde oleoſum camphoræ adiici curarunt, quo minus ejus volatiles partes in aerem ſecedant, quanquam hic effectus longe felicius obtineri poſſint, ſi modo camphoræ ſuperficies oleo amygdalarum dulcium inungatur, quod ad tutelam partium ſubtiliſſimarum plus, quam taliſmodi ſemen adjectum, efficere poterit.

14 Quod vero camphora volatilis, tenuiſſimi & inflammabilis ſulphuris copia imbuta ſit, vel unice ex ſequenti, eoque perpulchro, experimento clariſſime evincitur. Noſtris enim temporibus ex urina fermentata debita encheireſi in Anglia præſertim paratus phoſphorus eſt celebratiſſimus, qui levi attritu lucidiſſimum ſine flamma ignem ſpargit, cujus cauſa ab acutioribus phyſicis in partium ſulphurearum motu inteſtino, celerrimo, verticillari non incongrue conſtituta videtur. Hic lucidiſſimus ignis non melius, quam beneficio camphoræ multiplicatur ac propagatur. Sumitur nimirum granum unum phoſphori & grana decem camphoræ adduntur: hæc invicem in mortario probe prius contuſa miſcentur, quo facto tota camphora fit lucidiſſima, quæ, ſi ſolvitur in oleo caryophyllorum, liquidus fit phoſphorus, quo ſine noxa & metu inflammationis, caro, cutis, crines, & veſtes inungi poſſunt, quod elegantiſſimum de nocte præbet ſpectaculum. Hujus vero lucis phoſphori per camphoram propagationis nulla alia ſubeſt ratio, quam quod camphora propter ſummam partium ſulphurearum tenuitatem ad inteſtinum lucidum motum producendum ſit aptiſſima. Id autem minus experiri licet in aliis oleis deſtillatis, ſi cum ſolo phoſphoro miſceantur. Atque adeo ex hoc etiam experimento peculiaris & eximia camphoræ proprietas ab aliis oleis deſtillatis diſtincta eluceſcit.

15 Hæc igitur partium ſulphurearum tam incomparabilis tenuitas in camphora efficit, ut ejus quoque uſus plane ſit ſingularis, neque oleis aliis deſtillatis proprius. Ita camphora, in univerſa rerum natura nullum datur excellentius & magis diſcutiens remedium. Omnes enim humores in tubulis & poris ſtagnantes promtiſſime diſſolvit, partim poros obſtructos aperiendo, partim etiam fibras relaxatas animando, ut vel exhalent particulæ ſubſiſtentes, vel in motum ac circulum redigantur. Qua de cauſa in omni dolore, ſive iſte in pericranio, ſive perioſtio perſiſtat, ſpiritu vini camphorato nihil excellentius eſt. In omni præterea tumore abigendo, a quacunque etiam cauſa ſubortus fuerit, idem ſpiritus mirabiles fovet vires, namque tonum fibrarum roborando humorum curſum atque iter promovet.

16 Denique in omni inflammationum genere, imo in ipſa gangræna convenientiſſimum eſt remedium, non modo enim præſervat ab his ſæviſſimis malis, ſed etiam, ſi eorum cohibitioni locus ſupereſt, nihil hiſce caſibus ipſa camphora exterius adplicata eſt præſentius, ſicuti id ſolertiores medici & chirurgi longo uſu atque experientia compertum exploratumque habent. Ejuſmodi vero efficacia roborans & diſcutiens in dolorum & inflammationum atrocia a nullo deſtillato oleo vel alia inflammabili ſubſtantia in rerum natura poterit exſpectari vel obtineri. Tametſi vero magna quoque oleis quibuſdam deſtillatis æthereis, ſi debite fuerint ſoluta, & roborandi partium tonum & fibrillarum exorbitantes motus ſedandi virtus inſit, ut non ſine fructu adhiberi poſſint: nihilominus in inflammationum vi compeſcenda inque partis inflammatæ ardore exſtinguendo camphoratus ſpiritus ceteris multis paraſangis præcedit.

17 Utut vero a nullo facile medicorum ejus ſumma & mirabilis virtus ab uſu externo negari poſsit: nihilominus

plures medicorum exſtiterunt, & adhuc ſunt, qui ejus internum uſum admodum reformidant & damno atque exitio facile eſſe poſſe ſibi perſuaſum habent; hinc veteres ea rariſſime & parca admodum doſi in medicamentis & formulis ſuis uti conſueverunt, nullam aliam forſan ob rationem, quam quod eam credebant calidiſſimam, quæ intenſam ſanguinis ebullitionem efficiendo æſtum atq; delirium accendat. Alii contra eam valde frigidam rati venerem ipſam exſtinguere credebant, cum tamen effectus ille, frigiditati adſcribitur, cum intenſo calore, qui ab aliis camphoræ adſignatur, minime conveniat. Quidam nimis vaporoſam et caput & cerebri nervorumque vitio originem ducunt, eam minus conducibilem medicinam judicarunt. Sed quod omnis hic metus inanis atque fruſtraneus ſit, quo boni illi de cetero ac eximii viri laborarunt, & quod camphora non inſecura, ſed optima medicina ſit, tum ratione et experientia, cum etiam auctoritate, quæ fulcimenta noſtræ artis ſunt, ſolide demonſtrabimus.

18 Quum vero ſecurum camphoræ uſum internum dicamus, primo omnium hoc vocabulum, ne offenſionis lapis fiat, dilucida expoſitione enucleandum eſt. Senſu itaque medico ſecutum illud audit, quod naturæ humanæ conveniens eſt, neque in copioſiori doſi datum, facile motus aut turbas in corpore excitat et periculum gignit. Inſecutum autem adpellatur, quod valenti agendi principio inſtructum in minori et proportionata doſi efficaciam exſerit; in majori vero commotiones vehementes et excretiones enormes ſuſcitat. Ex his dictis tamen minime ſequitur: ſecura non poſſe nocere, quod per abuſum illorum utique ſolet contingere, quemadmodum etiam de inſecutorum utilitate non penitus deſperandum, ſiquidem quando recte, prudenter et tempeſtive adhibeantur, magna eorum vis & efficacia in perſanandis morbis proditur. Juvat tamen hanc diſtinctionem medicamentorum in praxi tueri eam ob rationem, ut quis prudentior medicus intelligat, abuſum medicamentorum inſecuriorum et fortiorum plus periculi gignere, quam ſi quis benignis ſecuriſque abutatur; majori itaque cautione ac circumſpectione eſſe hæc adhibenda, facile nullus ibit inficias. Jam vero camphoram majori in doſi exhibitam plures æſtimat inſecutionem, adeoque periculi minus expertem.

19 Crato minus æquus camphoræ cenſor eſt, & tam in morbis ob dolores capitis, quos concitare putat, fere ablegat; hinc robore maxime valentibus ſubjectis vix tria grana præſcribere auſus fuit. Sed præcipuus auctor hujus præjudicii mihi videtur medicus alias et chymicus magni nominis Daniel Ludovici *in Pharmacia*, quem poſtea multi profeſſores, doctores et horum diſcipuli non pauci uſque huc preſſo pede ſunt ſecuti. Hic in *Pharmacia hodierno ſeculo adplicanda Diſſertat. 1. de Diaphoreticis vegetabilibus* camphoram calidiſſimam reſinam dicit, eamque volatilioribus, calidioribus ac vaporoſis medicamentis accenſet. Dicit porro de ejus operandi ratione, quod producat anguſtias, ſolutiones virium funeſtas, fruſtraneas ebullitiones et id genus alia. In eruditis, qui debilioris capitis ſunt, itemque in delicatioribus feminis cephalalgias incompeſcibiles atque deliria ſæpe lethalia in febribus continuis præſertim in earum ſtatu ſecundum ipſius ſententiam excitat. Cum igitur tali modo inter calidiora remedia camphoram reponat citra manifeſtam ſufficientemque rationem, hinc multis eam elixioris virtutis medicamentis poſtponit. At vero (pace hujus viri dixerim) camphora minime eſt medicamentum calidiſſimum et noxium, quin potius prudenter, debito tempore et conveniente doſi exhibitum recenſita ſymptomata febrium feliciter tollit et protinus auſert, ſiquidem camphora ad ſcrupulum unum vel etiam ad drachmam ſemis in ſpiritu vini diſſoluta et ſano homini cum ſufficienti vehiculo exhibita, quemadmodum experimentum multoties fecimus, corpori neque intentiorem æſtum aut calorem infert, neque pulſum adauget, ſed potius manifeſtum refrigerium præſertim circa præcordia præſtat. Multo minus vero adpetitum exſtinguit, ſicut movet, aut urinam

nam coloratiorem reddit, quod tamen ab omnibus nimis calidis fieri debet, hinc ad unciam ſpiritus vini ingeſtus vel unicus hauſtus vini generoſi plus caloris corpore, quam duæ drachmæ camphoræ inferunt.

20 Quodſi ergo ejuſmodi ſymptomata a camphoratis remediis forſan concitata fuerint, tunc ſane illum effectum magis calidioribus eſſentiis atque elixiriis, quibus camphora adjecta fuit, quam ipſi camphoræ adſcribendum jure cenſendum eſt. Camphora certe propter partium tenuitatem, qua pollet, cito e corpore avolat & intime poros ſubiens eoſque obſidens, animando fibras inertes & relaxatas, non modo expeditiorem ſanguinis & humorum curſum facit, ſed & tranſpirationem valide adjuvat, tubulos obſtructos aperit & pereginas atque naturæ alienas partes expellit. Quod autem uſum internum camphoræ nonnulli reformident, eo quod venerem ſopiat atque exſtinguat, id minime experientiæ eſt conſentaneum. Novimus potius camphoram naturam roborando cupiditatem coeundi concitaſſe. Et notatu digna ſunt, quæ clariſſimus Pauli *in Obſ.* 235. *M. N. C. Dec. I. A. VI. & VII. prodidit*: *eſt*, inquit, *in vicinia juvenis vegetus & ſanus, cui meo juſſu in omni fere cibo ac potu camphora per aliquot ſeptimanas a matre data fuit, ipſe tamen minime receſſit ab indole ſua puellarum amantiſſima.*

21 Nos ea ſumus in ſententia, quod in univerſo rerum naturæ ſinu vix ullum reconditum ſit ſimplex, quod ad ſubmovendam de corpore malignitatem, cujus naturam in penetranti putredine tam ſolidarum, quam liquidarum partium reponimus, non detur ipſa camphora præſentius. Quare jure meritoque alexipharmacorum princeps dici meretur. Deinceps ad contagii ſive maligni miaſmatis morbifici vim infringendam, illudque mox ab initio de corpore propulſandum ſummum camphora eſt remedium. Morbi enim, qui ex contagio naſcuntur, ex putrido quodam vapore ſeu halitu in interiora corporis ſuſcepto fiunt, qui cum ſalivali latice in ore mixtus deſcendens ad ventriculi & inteſtinorum ſinum humores ibi ſtagnantes ad fermentationem ſubeundam faciles, ut ſunt bilioſi & ſalivales, penitus corrumpit, ipſisque putredinem inducit, quæ poſtea fluidum corporis noſtri tenuiſſimum, quod maxime in membranis, nervis & fibris habitat, contaminat, unde ſolidorum vix motrix, tonus & robur perit, quod ſumma virium convulſio denotat atque ſic humores & ſanguis tardius modo circulantur, ſed & ad ſphaceloſam corruptionem inclinant.

22 Quicunque itaque malignos contagioſos a corpore arcere vult morbos, is vel ipſum putridum miaſma vel quod ab ipſo corruptum fuit ex corporis noſtri ſphæra propellere omni ſtudio atque opera nitatur. Nihil vero ad hoc præſtandum aptius eſt camphora, utpote quæ oleo penetrantiſſimo omnes corporis poros pervadit ipſaſque fibras motrices, e quibus ſolida componuntur, citra augmentum caloris armat, quo fit, ut fluida corporis promtiori curſu per omnes tubulos corporis ferantur, inde ſtaſes corruptivæ non modo impediuntur, ſed & illud tenue putridum ſanguini admixtum per glandulas & poros ſubcutaneos, velut congruum omnis excrementi ſpirituoſi tenuis emunctorium, expellitur. Unde etiam veteres ejus virtutem in peſte & malignis mirabilem agnoverunt. Quam ob cauſam non modo *electuarium antipeſtilentiale* Kegleri, ſed & *pulverem Pannonicum rubrum*, cujus virtus, quæ ab admixta camphora maxime dependet, in malignis expellendis febribus ſemper plurimi habita eſt, ingreditur. Habet quoque camphoram *mixtura ſimplex Paraceliſi & famigeratiſſima Michaelis bezoardica tinctura*, de qua tamen monendum ducimus, quod, ſi commotio ſanguis ab ejus uſu paulo concitatior fiat, is effectus non tam camphoræ, quam potius aliis admixtis radicibus calidioribus & ingredientibus debeat adſcribi. Quam potens camphora ſit in ſphacelo partium externarum, quam profunda inflammatio minatur, avertendo remedium, vel medicæ artis & chirurgicæ elementa edoctis haud ignotum eſt. Quodſi igitur tanta ejus laus eſt, in ſphacelo partium externarum

narum avertendo, quidni etiam ejus uſus internus ad interiorum ſphacelationem viſcerum præcavendam eadem ratione proficuus ſit? Quum vero rationi etiam ipſa experientia optima veritatum medicarum magiſtra adſtipuletur, merito concludimus camphoram in omnibus malignis putridis morbis inque ipſa etiam peſte omnibus alexipharmacis eſſe præferendam.

23 Huic noſtræ ſententiæ primo adſtipulatur Mindererus *in Lib. de Peſte Cap. XV. dum*, inquit, *noſtris laudibus inſigniter deprædicanda venit camphora: non mirabile modo, verum etiam forte & efficax alexiterium eſt*. Modum operandi ita explicat: *interno noſtro calore mox ignita & in corporis quaſi meditullio flagrans inquinatos ſpiritus eoſque tetros ac fœdo miaſmate pollutos aut inſpiratos veneni tabe aliqua contaminatos halitus jam cordi vicinos ac circa præcordia hærentes exurit & ſicco plane ac igneo calore perundens partem expellit, partem combuſtione abſumit, partem corrigit atque emendat, partem per ſudorem pellit.* Neque *Iohannes* Crato *in Epiſtolis medicinalibus a* Schulzio *editis pag.* 103. diverſæ eſt ſententiæ, ſed potius hanc confirmat ita differens: *adverſus peſtem multa, quæ pro certiſſimis habentur, fallacia ſunt, camphoram omnia remedia excellere re comperi*. Et idem auctor *loc. cit.* ſequentibus utitur in febribus malignis pulvere, qui ex bolo armeniæ drachma una, camphoræ ſcrupulo uno, ambræ gryſeæ granis tribus conficitur. Subſcribit huic etiam Fernelius *Lib. V. Methodi medendi Cap.* 21. ubi camphoram malignos calidos vapores exſtinguere ſtatuit. Zvvingerus *in Epiſtola ad* Monavium *inter* Schulzianas *num.* 246. camphoram cum ſpiritu vini ſolutam in peſte & malignis mirifice commendat. Hartmannus vero *in Pract. Chymiatr pag.* 364. aqua antipeſtilentiali in peſte 1629. graſſante magno cum fructu uſus eſt & edidit hac de re Germanicum ſcriptum deſcriptio vero hæc eſt: *rec ſpiritus vini optimi libram unam, camphoræ unciam unam, croci orientalis ſcrupulum unum, ſolvantur & ſpiritus vini fiat aurei coloris, qui ad cochlearia aliquot dandus eſt*. Hujus ſpiritus largiorem doſin ſuadet *Screta in Tract. de febr. peſtilent. pag.* 296. cumprimis inſtante criſi in malignis, & quod miraculum præſtiterit adfirmat, Vidimus quoque ex *manuſcriptis Beate* Wepferi, illum in malignis ad drachmam ſemis pro doſi ſummo cum fructu exhibuiſſe.

24 Nullus vero facile fuit, qui majori doſi felicius illa in malignis & petechialibus febribus uſus fuit *ipſo Riverio*. Neque alienum erit hoc loco notabiliora circa ejus uſum *ex Obſervat. & Hiſtor.* Riverii recenſere. *Cent. I. Obſ.* 24. hunc caſum infinuat: *juvenis ſedecim annorum, febre maligna laborans, maculis violaceis conſperſus cum delirio & alvi fluxu, ſumſit camphoræ grana duodecim cum pulveris ſudoriferi ſcrupulis duobus, copioſe ſudavit, delirium ceſſavit, alvi fluxus imminutus eſt, & optime ſe habuit*. Et porro *Cent. I. Obſ* 29. hunc caſum adfert: *juvenis febre maligna cum exanthematibus laborans die nona moribundus viſebatur. Dedi pulveris diaphoretici ſcrupulos duos, camphoræ grana duodecim cum aqua cardui benedicti, & tectus in lecto manſit per duas horas, non ſudavit, veſperi eadem portio fuit iterata & copioſe ſudavit, multo melius habuit & convaluit*. Denique *Cent. II. Obſ.* 18. hic caſus proponitur: *vir quadraginta annorum febre maligna cum maculis lividis, hæmorrhagia, pulſu parvo & frequenti laboravit, præſcriptus fuit hic pulvis: rec. ſalis prunellæ unciam ſemis, camphoræ ſemi drachmam, miſce, divide in quatuor doſes, quarum unam accepit ſingulis tribus horis, mane multo melius habuit, juſſit iterari pulverem & eodem die a præſentaneo vitæ periculo liberatus eſt, ac paucis poſtea diebus convaluit*. Et *Obſ.* 62. *Cent. II.* hic caſus legitur: *Juvenis viginti quatuor annorum febri maligna laboravit cum delirio, & circa undecimum diem motus tremuli & convulſivi nervorum viſi ſunt, adminiſtrata fuit uenæ ſectio in fronte & dati fuerunt pulveres ex bezoardico minerali ad ſcrupulos duos, camphoræ granis duodecim cum aqua cardui benedicti ad uncias duas & evaſit*. Et *Cent. II. Obſ* 64. hunc nobiſcum communicat caſum: *mulier quin-*

qua-

quaginta annorum febre maligna cum maculis latis violaceis octavo die potionem diaphoreticam ſupra laudatam ſumſit & addita eſt ventri & pectori cum ſpongiis, pulſus inde factus eſt validior ac magis ordinatus & die undecimo parotit apparuit, quæ in ſuppurationem tranſiit & convaluit. Et *Cent. 2. Obſ. 73.* idem ſequenti confirmat obſervatione: *filia viginti annorum febre laborans maligna, acceſſit circa undecimum diem delirium cum contractione nervorum in carpis manuum & lipothymia, ordinatum fuit julabium ex aqua cardui benedicti unciis tribus, aquæ theriacalis drachmis tribus, bezoardicis mineralis ſcrupulis duobus, camphoræ granis ſex, qui julepi per biduum uſurpati fuerunt, mane & ſero, hoc remedio intra paucos dies convaluit.*

25 Ex his adductis jam liquidiſſimum eſt, camphoram in maligni præſertim eo tempore, ubi corpus critico motu in eo, quod ipſi inimicum ac pernicioſum eſt, expellendo occupatur, ſalutarem opem adferre, nullumque dubium eſt, qu in laudatiſſima noſtra camphora adverſus peſtem tantopere commendatis omnibus remediis, modo debito tempore, quod caput praxeos medicæ eſt, exibeantur, fit ſuperior. Quam eximia laus *oleo* ſic dicto *peſtilentiali Heinſii*, cujus baſis camphora eſt, conſtiterit, obſcurum eſſe nequit. Huic viro ſtatuam Romæ ob praxin feliciter in peſte geſtam erectam fuiſſe communis eſt doctorum traditio.

26 Secundum noſtram ſententiam, ſi ulla medicina præſertim camphora multum in peſte præſtare poteſt, modo non præpoſtere, ſed recte et ordine habita circumſtantiarum et temporis ratione ipſa utamur. Neque enim incognitum eſt, præſentiſſimam adverſus quendam morbum medicinam minus recte et inconvenienti tempore datam maximum nocumentum adferre, ſicuti id clariſſime in exhibitione chinæ, chinæ ad curandas intermittentes animadvertimus. Inter fortiſſima alexiteria a viris doctis atque eximiis medicis camphora numeratur, quia putredini mirifice reſiſtit, ſed quod non ſemper exſpectationi et ſpei conceptæ effectus reſpondeat, hoc non remedio tanquam clavæ Herculis, ſed medico, qui Herculis clavam tractare ignorat, adſcribendum eſſe jure meritoque cenſemus. Non hujus ſumus ſententiæ, delinqui maxime in eo, quod camphoram in peſte, in exili admodum doſi, præſcribant et majorem reformident. Deinde, quod calidioribus elixiriis et eſſentiis oleoſis ipſam admiſceant. Tum quod non convenienti tempore eam exhibeant. Nos ſub invaſione vel prima acciſſione mali neque minus circa criticum tempus ejus uſum convenientiſſimum judicamus, præſertim ſi cum acidis ceu vehiculis adminiſtretur. Hunc in finem in peſtilentialibus febribus ſequentem mixturam etiam atque etiam commendamus, ſumatur nempe aquæ acetoſæ et cardui benedicti ana uncia una, bezoardici mineralis drachma ſemis, camphoræ grana ſex, ſyrupi acetoſitatis citri uncia ſemis, detur pro una doſi.

27 Præterea viſitur adhuc in camphora alia nobilis virtus putredinem et malignitatem lentam quidem, ſed admodum pernicialem ex corporis noſtri ſphæra propulſandi: talis eſt, quæ ab impuro coitu lymphæ ſuccis vitalibus et poſtea ſolidis partibus oſſibus quoque affricatur. Exiguum quidem, ſed potentiſſimorum omnium venenorum more eſt illud elementum, quod et virulentam gonorrhœam et luem ſic dictam veneream ejuſque atrociſſima ſymptomata ſuſcitat, intima corruptione et putrefatione ſuccos præſertim lymphaticos contaminando. Præcipuum igitur curationis momentum etiam in eo conſiſtit, ut putredinem exterius ſuſceptum miaſma prima quaſi in herba ſuffocemus, illudque citius e corpore expellamus, neque minus id quod putridum et corruptum fuit, a vitalibus ſuccis ſeparemus. Hinc vero ſcopo obtinendo diu jam dudum ex omnibus naturæ regnis remedia quæſita et excogitata fuerunt: num vero camphora præſentius et excellentius adhuc fuerit repertum ipſe uſus atque experientia addocet? Profecto ſumma in camphora ad gonorrhœam etiam veterem item luem veneream ad exſtirpandam medicina recondita eſt, qua omnes

nes mercuriales ſalivationes lignorumque decocta balneaque laconica omniaque alia ſunt inferiora. Neque ita pridem a medico, cui fides indubia habenda eſt nobis relatum eſt, quod, premiſſo conveniente alvum ductorio remedio, ſola camphora ſoluta in axungia viperarum ad diram hanc luem perſanandam ſuffecerit, id quod plurimis experimentis & exemplis ille edoctus aſſeveravit. Crediderim tamen mercurio fixato, qui ſola diaphoreſi agit, camphoram decenti doſi adſociatam in tollenda luis hujus atrocia majores adhuc præſtare effectus. Hoc certa experientiæ fide confirmare poſſumus, quod in gonorrhœa curanda inque luis venereæ principio nihil præſentius camphora deprehenderimus, quare etiam non ſine ratione eſſentiis & elixiris contra gonorrhœam balſamicis, quæ ex Opobalſamo, balſamo de copaiba, balſamo de Peru, balſamo de Mecha, reſina ligni aloes, gummi Guajaco cum ſpiritu vini tartariſato præparantur, camphora adjicitur, utpote quæ mirifice horum virtutem acuit atque incendit inque roborando glandularum tono & ſtaſibus corruptivis abigendis mirabilem efficaciam exſerit.

28 Deinde camphora non datur excellentius remedium contra internas inflammationes, quæ ſphacelum & interitum, ſi graviores fuerint, inque membranoſis partibus maxime conſiſtunt, minantur & maximum periculum alunt. Feliciſſimo vero connubio tunc conjungitur cum nitro, nam ſolam camphoram in inflammationibus, quibus maximus æſtus junctus eſt, non facile ſuaderem. Etenim, ubi magnus fervor urget, ſpaſmo plerumque conſtrictæ ſunt fibrillæ, & poris cutis clauſi ac coarctati: his apertis & ſpaſmo ſedato mox ſudor fuit ſecutus. Quum vero id feliciſſime exſequatur ipſum nitrum, hinc quoque mirum refrigerat & hoc modo efficit, ut camphora felicius & obſtructiones reſolvere & materiam vitioſam in partibus inflammatis ſtagnantem diſcutere poſſit, metus enim eſt, ne poris arcte clauſis & cute aridiſſima exiſtente camphora interne quidem multum commoveat, ſed parum vel nihil prorſus promoveat. Quare in febribus continuis, quæ fere omnes aliquid inflammatorii habent itemque etiam in inflammationum generibus ceteris, in pleuritide, phrenitide, angina, inflammatione uteri magno cum fructu ſemper camphora cum nitro mixta, adjecto pulvere bezoardico, in artis exercitio uſus ſum, ubi mox ab eorum adſumtione ratione æſtus, delirii, ſitis & vigiliæ ingens alleviamentum ſecutum eſt. Tales quoque nitroſos & camphoratos pulveres acutus pariter ac prudens *Belgii medicus* Cran in frequentiſſimo habuit uſu, ut ex ejus *Praxi medicinæ reformata* adparet. Ita in phrenitide & mania hunc pulverem laudat: ſume lapidis prunellæ grana 15. camphoræ grana quatuor vel quinque, laudani opiati ſemi granum, miſceatur & fiat pulvis. *Ab hoc pulvere.* ſctibit *p. 132. loc. cit. mirat aliquando vidi operationes in phrenitids & mania ita, ut ægri ipſi mutationem admirarentur.* In pleuritide & peripneumonia camphoram cum ſpiritu nitri vel etiam ipſo nitro & aqua papaveris rhœados mire quoque commendat *canf. pag. 197.* & in renum inflammatione lapidem prunellæ ad grana duodecim cum camphoræ granis quatuor miſcet & præſcribit. *canf. pag. 207.* & in febri continua pro ſiti ſedanda grana tria camphoræ pulveribus addenda eſſe ſuadet & talem pulverem in febre peſtilentiali cum bezoardico minerali quoque commendat.

29 Denique camphora in hæmorrhagiis valde periculoſis & enormibus, præſertim, quando febribus malignis junguntur, miras præſtat vires. Hac de re elegantem locum habet Raygerus *in Obſervationibus medicinalibus obſer. 20.* ubi ita ſcribit: *Nihil frequentius apud nos eſt in variolis, morbillis, & febribus petechialibus, quin & ipſa præterita anno 1679. peſte, quam hæmorrhagia narium quandoque in ſtatu morbi ſupervenient & quoniam varius critica, ſemper, imo ſæpius ſymptomatica morbum non ſolvit, ſed potius exanthematum eruptionem impedit, ſpirituſque diſſipat, ægrumque debilitat, hinc omnibus modis ſiſtenda, vix autem melius*

melius & magis adpropriatum juveniri poteſt, quam Sperniola Crollii, cujus miram efficaciam ſemper tuto & optime ſum expertus. Et confirmat hanc adſertionem *obſervationibus ann. 1685. In hyeme puella duodecim annorum petechiis laborans corripitur hæmorrhagia narium, quam cum domeſticis remediis reprimere non potuiſſent & tota nocte ſenſim ita ſtillaſſet ſanguis, mane vocatus ego, obſtupui conſpecta quantitate ſanguinis, tunc cum goſſypio pulverem ex culcothare vitrioli, ſanguine Draconis & terra ſigillata conſperſo obturavi nares & exhibui ſperniolam ad ſcrupulum unum & poſt tres horas rurſus, & tertia vice reiteravi, ſic ſanguis non modo ſubſtitit, verum & petechiæ jam diſparentes erupere, ſenſimque puella convaluit & adhuc vivit. Et porro anno præcedenti vocatus ſum ad feminam, in quartum diem febre acuta maligna detentam, mane inſuper abortum paſſam, huic circa veſperam hæmorrhagia enormis ſupervenit, ut uſque ad nonam noctis plus quam duæ libræ ſanguinis effluxerint, cum valde debilis eſſet, exhibui ſtatim Sperniolæ ſcrupulum unum cum aliquot granis Coralliorum præparatorum, at nares obturavit goſſypio atramento ſcriptorio imbuto, ita efficit, ut intra breve tempus ſiſteretur. Juſſi, ut ſingulis tribus horis pulvis reiteretur, ſic hæmorrhagia totaliter emanſa & illa convenienter tractata convaluit.* Nec in hæmorrhagia narium ſolum, verum & in hæmoptyſi optimum ejus ſucceſſum idem auctor expertus eſt. Componitur vero hoc medicamentum ex myrrha electa, thure, ſumendo uniuſcujuſque unciam unam, ex croci granis quindecim, ex camphoræ drachma una & dimidia, qui pulvis aqua ſpermatis ranarum vigeſies vel trigeſies irroretur; ita tamen, ut ſemper prius ſponte exſiccetur. Confectio de Hyacintho ejuſque ſpecies laudantur etiam in nimiis hæmorrhagiis, in malignis morbis & aliis, utut compoſitio, ex pretioſis adeo lapidibus conflata, curioſa videatur, quicquid tamen præſtat potiſſimum camphoræ intermixtioni adſcribendum. Heurnius ad omnem ſanguinis fluxum maximorum ſucceſſu ſemper propinavit ſequentem pulverem *in notis ad aphoriſm. Hippocr.* Recip. ſeminis papaveris albi, hyoſcyami albi cujuſque drachmam, hæmat: corallia rubra cujuſque ſemidrachmam, camphoræ ſcrupulum ſemis: ſumat mane & veſperi ſemi drachmam. Craen *in Praxi reformata* in narium hæmorrhagia ſequentem pulverem maxime commendat, rec. lapidis prunellæ ſcrupulum unum, camphoræ grana tria uſque ad quinque, laudani opiati granum unum, item rec. boli Armeniæ, terræ ſigillatæ, cujuſque grana quindecim, camphoræ grana quatuor. Camphora vero cum nitro in omnibus hæmorrhagiis magnæ eſt efficaciæ, eam maxime ob rationem, quod graves hæmorrhagias, ſi a cauſis internis proficiſcantur nempe a viſcerum & meſenterii ſpaſmis & conſtrictionibus, tanquam egregium antiſpaſmodicum cohibeat.

30 Præterea camphora in diſcutiendis flatibus, qui hypochondriaca, hyſterica & colica paſſione correptos ſæviſſimis ſæpe ſymptomatibus torquent, mirabilem præſtat opem. Dici vix poteſt, & quotidiana id indicat obſervatio, quantam truculentiam in ventriculo & inteſtinis detenti atque incarcerati exerceant, nimia enim tunicarum ſenſibilium expanſione & diſtractione maximas anguſtias, anxietates ſpaſticas nervoſarum partium conſtrictiones, quas excretiones ſuppreſſæ & extremorum frigora inſequuntur, non ſine ingentis periculi & mortis metu concitant. Nihil hic opportunius eſt, quam ut penetranti medicina tonum ventriculi atque inteſtinorum dejectum, qui plerumque flatuum cauſa eſt, reſtauremus, quo vividiori reddito, non modo flatuum, ſed & humorum aliorum excrementitiorum ibi hærentium copia feliciter foras eliminatur. An vero quid præſtantius ad hunc ſcopum obtinendum ipſa camphora cum nitro mixta inveniri poſſit, eſt quod merito addubitemus? ſicuti enim nitrum cum camphora in pluribus caſibus feliciſſimum init conjugium: ita maxime id fit, ubi carminativam vim exercere debet, quia ſolum nitrum relaxando ſpaſmos et bilioſam acrimoniam partiumque calidam intemperiem temperando in vehementibus colicorum tormentis

mira-

miracula præſtat, multo magis vero, ſi felici copula jungatur camphora. Meretur vero hoc medicamentum longe majorem laudem atque palmam, quam aliud ullum ex calidioribus præſertim concinnatum carminativum, eam ob cauſam, quod citra interni fervoris augmentum operetur, quæ virtus aliis calidioribus, in flatibus diſcutiendis negata eſt. Varia vero forma ac modo in taliſmodi caſibus camphora poterit exhiberi, vel enim in liquidam aut ſolidam formam redigi poterit, ſi illam deſiderans, ſequens formula ſelectiſſima laudem meretur, rec. tincturæ tartari, eſſentiæ corticum aurantiorum recentium, ſpiritus nitri dulcis cujuſque drachmas duas, camphoræ grana decem, miſceantur, doſis ſunt guttæ quinquaquinta vel ſexaginta, ſingulis duabus horis ſumendæ. Si vero ſpaſmi truculentiores urgeant, tunc caſtorina ejus nempe eſſentia vel extractum admiſceri poſſunt. Pulverem ſi expetas, ille ſequenti modo concinnari poteſt rec. lapidum cancrorum, antimonii diaphoretici, nitri purificati cujuſque drachmam unam, camphoræ grana decem, olei chamomillæ vulgaris non adulterati vel olei millefolii guttas ſex, miſceantur, fiat pulvis, doſis eſt drachma ſemis. Hæc duo magnarum virium ſunt remedia, quæ in hiſtericis compeſcendis pathematibus omnes fere numeros abſolvunt. Etenim hæc ipſa præter virtutem roborantem & flatus diſcutientem ſimul ſedativam & anodynam habent, quæ in talismodi caſibus eſt deſideratiſſima.

31 Eſt præterea camphoræ alia adhuc laudatiſſima virtus atque efficacia infuſa, nempe ſanguinis excretiones conſuetas & naturæ ſolennes promovendi. Haud ignotum in foro medico eſt, quam gravia ſymptomata ſuppreſſas vel deficientes ordinarias ſanguinis periodicas in plethoricis præſertim fœminis evacuationes ſequantur, cum nihil certius, præſentius & celerius ſtatum ſanum in deterius commutare his ipſis poſſit. Neque vero tam facilis res eſt, medico, oppurtuna medicina in ordinem talimodi ſaluares excretiones reſtituendi. Fateor vero ex omnibus tantopere ad id perficiendum laudatis remediis, nihil camphora eſſe excellentius, præſertim, ſi cum balſamicis & antiſpaſmodicis ſpecificis, quorum virtutem non parum accendit & auget, miſceatur. Noſtri moris eſt, hac uti mixtura, rec. eſſentiæ myrrhę electæ, ſuccini cujuſque drachmam ſemis, eſſentiæ croci, caſtorei cujuſque drachmas duas, camphoræ drachmam ſemis, quæ mixtura, præmiſſa venæſectione atque alviductione, circa inſtans menſium tempus frequentius uſurpata eximio erit uſui. Obſervavimus ſcilicet a frequenti & continuato camphoræ uſu ſanguinem antea craſſum longe tenuiorem & fluidiorem redditum fuiſſe. Obſervavimus quoque homines obeſos & ſero turgidos quodammodo macilentiores factos fuiſſe evidenti argumento: hanc medicinam egregie humores craſos & ſtagnantes attenuandi & diſſolvendi virtute gaudere.

32 Eſt denique uſus camphoræ ſingularis atque eximius in morbis, qui veſicam infeſtant, quales ſunt dyſuria, ſtranguria, qui utplurimum vel a veſicæ calculo, vel a viſcida tartarea in ejus cavitate ſtagnante ſaburra vel a ſeminali lympha corrupta & acri facta nunquam non proveniunt. Etenim a læſione ſubſtantiæ veſicæ putridus quidam corruptus fit humor, qui urinam præcipitat, ipſamque putridam efficit, quæ poſtea eximio ſenſu præditam urethram membranoſam lancinat atque dolore adfligit. Ad putridam igitur in veſica & urethra ſtagnantem materiam ſummovendam fortiori quodam roborante & ſtimulante opus eſt. Iohann Groeneveld Anglus medicus tractatum edidit Londini anno 1703. *de tuto cantharidum in medicina uſu interno*, qui in veſicæ vitiis, in ejus calculo, in gonorrhœa quoque virulenta cantharidum pulverem cum aliquot granis camphoræ mixtum præſcribit, ejuſque inſignem utilitatem non ſatis dilaudare poteſt Cantharides ſolę & ſibi relictę ob ſal, quo pollent, tenue, penetrans cauſticum validiſſime veſicę partes nerveo-membranoſas ſtimulant, & impactum viſcidum, acrem humorem excutiũt, quia vero metus eſt, ne inflammationem vel vaſorum apertionem efficiat, camphora adjicitur, quæ

cauſticæ vehementiæ non modo optima correctrix eſt, ſed et ſtaſes inflammatorias impediendo facit; quominus periculoſa inflammatio ſubſequatur. Etenim camphora non tantum vehementiorum diureticorum, quæ erodente ſale prædita ſunt, vehementiam mitigat atque caſtigat, ſed et valentioribus acribus, purgantibus, quæ ſimili cauſtico acri ſale agunt ſeu ſummum correctorium quam opportune admiſcetur, utpote omnia cathartica, ſi pauxillum camphoræ ipſis adiſcitur, longe mitiorem naturam ac facultatem induunt.

33 Hiſce jam diductis ac demonſtratis, quod camphora ſit ſecuriſſima medicina, reliquum jam eſt, ut de ejus utendi ratione monita breviter adjiciamus. Quemadmodum vero nullum optimum etiam medicamentum ſemper juvat, quin potius improvide et intempeſtive datum nocet, ita etiam nulla hac in re camphora gaudet prærogativa. Nam & ratio dictitat et experientia confirmat, quandoque oriri ab ejus improvido uſu anxietates circa præcordia, cephalalgias augeri, apetitum deſtrui. Fit hoc maxime in iis, qui infirmioris ſunt naturæ & facile a levi mutatione læduntur. Accidit quoties in iis, qui capitis & cerebri vaſa ſanguine & humoribus repleta habent, ſeu ubi inæqualis humorum circuitus eſt, & cum impetu ſanguis forſan propter membranarum & vaſorum atoniam ad caput ruit, quod ex facie tumida & rubicunda, dolore capitis gravativo, vertigine, torpore, ſomnolentia adparet. Quo caſu utique omnia volatiliora et vaporoſa ſpirituoſa præſertim in majori doſi exhibita nocent. Quare etiam paralyticis, epilepticis & convulſionibus diris adflictis cum cautione et parca manu ſunt concedenda. Neque minus congrua præſertim in exceſſiva doſi ſunt plethoricis et repletis corporibus, utpote motum inteſtinum, in humoribus, quorum liberior curſus ac iter impeditur, efficiunt et, ut dici ſolet, movent, ſed non promovent, hinc anxietates et inquietudines vel producunt vel augent. Neque in alvi adſtrictione utilia ſunt, quia fibras inteſtinales ſiccando nimium efficiunt, quo alvus tardior deſcendat; Denique in omnibus acutis, ubi omnia interius fervent et ardent, humiditque deficit, cutis ſicca et torrida et omnia conſtricta ſunt, ea remedia, quæ motum inteſtinum augent interius, nequaquam locum inveniunt. Præſtat etiam tali in caſu leniſſime agere et naturæ potius frenum, quam ſtimulum injicere: nam in acutis nihil præcipitandum eſt, ſed omnia moderate ac tempeſtive ſunt agenda. Quapropter in horum morborum augmento vel ſtatu cautiſſime procedendum eſt. Tutius in principio vel inſtante criſi, ſi natura eget ſtimulo vel ſub declinatione, locum habent.

DISSERTATIO XII.

DE

INFUSI VERONICÆ EFFICACIA PRÆFERENDA HERBÆ THEE.

§. I.

DEteſtandus Europæorum, maxime Germanorum mos eſt, quo remota et exotica magis æſtiment, et ſuis indigenis et domeſticis, longe ſæpe præſtantioribus præferant. Natura ſui ubique eſt cuſtos, cuique terræ ſufficit, et uti dat alimenta, ſic quoque remedia, hacque ratione omnibus nationibus, quod et alendum et ſanandum eſt idoneum adpræbet. Singulis terris olim ſua ſuffecerunt remedia, non autem, poſtquam peregrina alimenta et condimenta nobis placere cœperunt, noſtra etiam ſpernimus remedia et foras remota, prioribuſque ſeculis ignota, ſummo ſtudio ac labore repetimus. Et ſane, ſi verum fateri licet, nulla ex ceteris notionibus, majorem ſibi in hac parte ſumſit licentiam, quam Germanorum gens, quibus nulla erga matrem naturam eſt fides et conſtantia. Quod alimentorum, condimentorum, potuum v. g. Thee, Coffee, Choccolade ſpecies etiam ſanitatis titulo inventæ ſunt? Equidem non omnem detrahere laudem hiſce vo-

volumus, sed saltim hoc urgemus, dari meliora et salubriora, et clementiorum affinitate naturæ magis congrua in nostris terris, quæ aspernamur, & nihili habemus nobisque sordent; adeo ipsarum rerum saporem amisimus, ut nihil fere palato accidat gratum, quam quod male emptum, & ex dissitis ac extremis regionibus allatum barbaræque nomenclaræ titulo fulgeat. Hoc ad medendum longe efficacius creditur, stolida phanthasia vires vel augente vel imminente. Habemus ante oculos herbas efficacissimis virtutibus & dotibus instructas, minimeque ingratas, quas pedibus calcamus, quibus ignotas & ex externis regionibus allatas præferimus; cum tamen ipsæ Indorum gentes illorum usum magni faciant, & magno pretio ob hanc causam sibi adferri curent. Placet jam unicam veronicam assumere, quæ non pares saltim, sed majores, cum ipsa herba Thee, recondit virtutes. Hujus infusi vires, liquore herbæ Thee adhuc superiores, dissertatione hac recensere nostri jam est instituti, simul istius herbæ elementa chymico igne eruta tradendo, accuratius observationes quasdam de hujus infusi viribus insinuando.

1 Ante omnia vero necesse erit, ut moneamus, quid sub infusi veronicæ nomine intelligamus, quo minus neglecta nominis evolutio difficultatem vel obscuritatem quandam pariat. Per veronicam intellectam volumus illam spicatam terrestrem perennem supinam vulgarem foliis serratis secundum Morisson flore albo & cœruleo nitentem herbam, quam Germanice Chrenpteiff nominant. Infusio autem sive infusum secundum Schroderum, audit liquor qualitatibus medicamentosis, sola maceratione imprægnatus, & differt a decocto, quod in hoc coctione extrahuntur, in illo autem sola digestione, & maceratione calida virtutes medicamentosæ eliciantur. Uti autem infusiones apud medicos variis liquoribus; nimirum vino, spiritu vini, aceto, aquis destillatis, liquoribus salinis, aqua communi adornari solent, sic nostrum infusum veronicæ sola aqua simplici, eaque calidissima, facta in illam sufficiente injectione herbæ exsiccatæ, peragitur per exiguum saltim tempus digestio ac extractio fit facilisque aquæ tinctura, non secus, ac in præparatione herbæ Thee fieri assolet. Omnibus vero alit infusum ex hac herba paratis medicamenti & præsertim illius spiritibus, essentiis præferimus; nam licet puriores sint, vehementius tamen ægros offendunt, & spiritibus corporis nostri vim faciunt, cum e contrario infusa moderate agant. Longe quoque præstabilius ejus decocto, quippe in hoc, fortiori calore admoto, particulæ volatiles subtiles ipsius plantæ in auras inflantur, crassioribus ac magis terrestribus a nexu aliarum dissolutis, inque ipsum liquorem coactis, quæ non parum vires ipsius infringunt atque imminuunt. Ob, hanc quoque rationem rhabarbarum, & folia sennæ calide infusa, longe felicius vim suam purgantem exserunt, quam si cum eadem aqua decoctionem fuerint passa, particulis terrestribus identidem salis purgantis acrimoniam multum obtundentibus. Folia asari in infusione aquæ calidæ vomitum, decoctione autem diaphoresin movent laudabilem. Herba Thee, fortiori in aqua coctione, adstrictiora facultate brunoque colore illam imbuit, minusque grata evadit. Quare sale subtili sulphureo, quæ pollent, magis infundenda, & quorum virtus in principio resinoso, terrestri, acido residet, magis coquenda esse, regula docet pharmaceutica. Adeo ejusdem medicamenti vires & usus, ratione diversi præparationis modi variant.

3 Quod usum nostræ veronicæ attinet, illam infundi solum jubemus, non enim decoctionem videtur admittere, partim ne substantia sua volatili summe æstimabili defraudetur, partim ne molleculæ fixiores terrestris indolis, coctione nimis evolutæ solvendis poros subeant, sicque activitatem medicamentosam infringant. Optime autem hæc infusio in decenti & cooperto vase instituitur, quo particulæ evaporabilis spirituosæ custodiantur, mox aqua elegantissima flavedine tingitur, & saporem non ingratum, leniter subamaricantem exhibet.

Sor-

Sorbetur hæc infusio calidissimæ, cum vel sine saccharo ad mensuram unam, vel saltim dimidiam, in loco temperato blandum sudorem expectando; paucis eadem præparatio, idem modus utendi veronica est, cum infusa herba Thee.

4 Ut autem infusi hujus virtus dilucidius innotescat, & ejus vires commendabiles evadant, necessum est, ut prius elementa ipsius herbæ paulo penitius examinemus, illamque diligenti tractatione chymica, ac mistionum cum variis liquoribus versemus, quo operationis fons eo liquidius pateat. Quemadmodum autem quævis universi hujus corpora, ex diversis ratione figuræ, magnitudinis ac motus, particulis constructa deprehendimus, sic quoque veronica nostra particulis non homogeneis, sed variis ratione magnitudinis seu molis, figuræ & situs constat. Quænam sunt volatiles spirituosæ, celerius evaporabiles, eæque in minutissimas superficies divisæ sunt, quare promte subtilissimi ætheris aut aeris motui, vel calori obsecundant. Compertum enim est ex mechanicis physicis, nulla corpora proprio modo ascendere, sed ab ambiente extrinseco fluido graviori sursum pelli, hinc particulas veronicæ volatiles, ipsius atmosphæræ particulis, leviores esse firmissime statuendum esse videtur, certum est, veronicam innumera effinuia in veram emittere, nec minus odor & destillatio veronicæ recentis de particularum subtilissimarum levitate ac copia testatur.

5 Porro particulas salinas variæ figuræ nostræ herbæ inexistere, exinde patet, quia magnam copiam salis fixi, si decenti combustione tractatur, largitur, nec herba, solo absynthio excepto, facile invenitur, quæ majorem copiam salis fixi præbeat. Nostra herba retortæ indita, si igni aperto committitur, fundit liquorem salinum subacrem, empyreumaticum, qui cum acido affuso nullum quidem edit conflictum; attamen effectum alcalinum undequaque edit, dum syrupum violarum cœruleum, viridi tingit colore, quod omnibus alcalinis est solenne, ipsiusque proprium, &, solutionem mercurii sublimati præcipitando, colore subflavo imprægnat. Carbonibus vivis ipsa herba injecta, fumum exsalat salino volatilem, qui mirifice nares, & oculos ferire ac efficere solet. Porro hæc herba in solutione salis tartari prius macerata & destillata, præbet liquorem cum oleo empyreumatico, mere alcalinum aerem sal volatile spirantem. Sulphureas inflammabiles partes in veronica oleum indicat, quod ex destillatione emergit, idemque plantæ combustio. Et notabile est, infusioni veronicæ flavo colore tinctæ si injiciatur oleum tartari per deliquium, vel spiritus salis ammoniaci urinosus, quod mixtura longe clarior evadat & color magis exaltetur. Omnia quippe alcalina singulari colores exaltandi ac diffundendi vi pollent, dum in texturam sulphuream, illam rarefaciendo, & lucis radios varie modificando agunt. Sic tincturæ rhabarbari, aloes, myrrhæ, addita debita quantitate olei tartari per deliquium, rubicundissimum induunt colorem. E contrario acida, uti nonnullos colores exaltare solent, sic quoque plures destruere apta sunt, & idem contingit circa nostram infusionem, cui, maxime si imprægnata fuerit ante liquore alcalino, affusum acidum omnem admittit colorem, ita ut pene limpida & clara evadat.

6 Principium terrestre in veronica arguit, præter lenem adstrictionem & amarorem, etiam color nigricans, qui ex mixtura infusi nostri cum solutione vitrioli emergit. Experientia quippe mechanico chymica ostendit, quæ particulis terrestribus facile solubilibus constant corpora, uti gallæ, terræ catechu, radix tormentillæ, lignum aloes, illa soluta ad mixturam vitrioli atramentosum induere colorem. Et quoniam eadem corpora, solutioni mercurii sublimati remixta, illam obscuro brunam reddunt, idemque successit effectus, manifesto indicio: plures terrestres solubiles partes continere nostram herbam.

7 Ex hisce jam adductis clarissime efficitur, plantam nostram ratione divisionis ex corpusculis variis, nimirum volatilibus, levissimis, mediis, & fixioribus, terrestribus esse conflatam. Particulæ quippe quo magis sunt divisæ, eo volati-

latilitatis ſtatum, quo minus diviſæ, eo fixitatis indolem lubentius induunt. Subtilitatem particularem effluvia & odor teſtantur: fixiores partes, ipſum ſal fixum, cineres, medias, particulæ ſulphureæ ſalinæ ſolubiles ſufficientiſſime demonſtrant. Quoniam autem diverſa hæc principia non inæqualiter invicem mixta ſunt, ſed laudabilis harmonia & æqualis illorum proportio ubique apparet; hinc non ſenſibile prædominium qualitatis cujuſdam in ſenſus cadit, nec ſapor, nec odor, qui alias elementorum illorumque variæ mixturæ indices ac productrices ſunt, nimis exceſſivus eſt, hinc etiam ejus infuſio non facile creat nauſeam, ſed palato, modo ipſi conſueſcamus, arridet, nam omnes potus qui fortiori odore imbuti ſunt, facile nauſeam parare ſolent, & ob id decocta et infuſa herbarum cephalicarum, quæ ſale oleoſo turgent, v. g. ſalviæ, roriſmarini, non adeo placent. Uno verbo planta Veronicæ, ratione principiorum conſtituentium, illorumque qualitatum ac virium valde temperata eſt, quo titulo quoque ipſa herba Thee fulget & arridet. Omne autem temperatum naturæ noſtræ admodum amicum, infenſum autem & nocivum omne, quod exceſſiva facultate notatum eſt, hoc facillime in deteriorem partem, illo autem minime uti poſſumus. Non totius nec gratius & ad ſanitatis conſervationem conducibilius datur remedium, quam quod amica temperie ſe commendat: temperata magis ſunt domeſtica, principiis noſtris vitalibus magis confinia, quæ harmonia & decenti temperie ſuſtentantur. Temperata æqualem, nec tardum nimis nec nimis celerem humoribus injiciunt motum, in cujus æquilibrio vitæ noſtræ ratio ac incolumitas præcipue conſiſtit.

8 Examinata ſic veronica, quoad principia, indole, ſi jam comparationem inſtituere velimus, cum herba Thee, haud difficultate demonſtrare poſſumus, longe excellentiorem illam eſſe, multiſque paraſangis eam antecellere; utpote veronica longe copioſiores alcalinas particulas, quam ipſa herba Thee, alit. Falſum eſt herbam Thee ſale volatili oleoſo eſſe fœtam, a quo, qui ejus virtutes deducere vult, multum errat, taliſmodi enim ſalis volatilis oleoſi, ne ullum quidem veſtigium apparet; potius petendæ illius virtutes ſunt, quicquid præſtat, a ſola calida aqua, & adſtrictioris terreſtribus moleculis, ſiquidem herba Thee deſtillata exhibet non ſpiritum volatilem alcalina virtute præditum, ſed ſubacidulum adſtringentem empyreumaticum: fumi ejus per fiſtulam ſi hauriantur, auctoritate ſua gulam conſtringere ſolent. Latiſſime autem patet ejus virtus adſtrictoria in decocto paululum inſpiſſam, quod ad ſolutionem vitrioli in verum degenerat attramentum, non ſecus ac ſi gallarum infuſio aſſumta fuiſſe; extractum herbæ Thee propter virtutes adſtrictorias alvum conſtipat, ejuſque nimium fluxum cohibet, quod etiam annotavit D. Mandelsloh in *Itinrario Indico c. 9. p. 42.*

9 Quicquid itaque herba Thee per ſe & ſua natura præſtat, id per particulas adſtringentes copioſiſſimas præſtare videtur. Nec abſonum & rationi ineptum eſt, propter eaſdem adſtringentes particulas alacritatem majorem ſpiritibus injungere, illoſque ad promptiorem motum incitare, diſtributæ enim per intima ſanguinis eædem particulæ, fibrarum ac nervorum dum ingrediuntur tubulos, illos ſibi arctius jungunt, & ſtrictiores reddunt, hinc illos tubulos anguſtiatos paucior quidem ſpirituum animalium copia replet, compenſatur autem propter anguſtias majores, majori illorum rapiditate, ſicque, ob citatiorem ſpirituum motum œconomiæ animalis functiones, longe alacrius celebrantur. Compertum autem eſt, medicamenta adſtringentia non eoſdem, ſed varios pro diverſitate individuorum edere effectus et uni prodeſſe, alteri mire nocere. Illis, qui ſiccitate nervorum laborant, et quibus roſcidum humidum deficit, adſtringentia admodum infenſa eſſe ſolent, magis enim nervorum thoruli occluduntur, et influxus ſpiritibus animalibus denegatur, ſicqui paralyſeos et apoplexiæ metus fit. Magis itaque æſtimanda venit ipſa veronica, quæ præter ſubadſtringentes, ceu vaſorum tunicas roborantes, etiam copioſas alcalinas ſali-

nas

nas particulas poſſidet, quæ magnos in debellandis affectibus edere ſolent effectus.

20 Quoniam autem tractatio noſtra potiſſimum eſt de infuſo ipſius herbæ, placet jam inquirere, ex quibus elementis illud ipſum conſtet, ſive quænam principia ipſius plantæ, aquam, quæ infuſionis ſervit, ingrediantur. Diximus ſuperius, particulas terreſtres, quæque majori gaudent ſuperficie, non facile concedere in poros ipſius aquæ, niſi fortiore coctione comminutæ illorum interſtitia ſubire cogantur; remanent itaque ſubtiliores alcalinæ et terreſtres, prompte ſolubiles, quas lubentius recipit ipſa aqua, ceu menſtruum ſimpliciſſimum ac potiſſimum, calore extractionem non parum adjuvante. Volatilium particularium portionem infuſo ineſſe, evincit illius deſtillatio, quæ aquam veronicę boni odoris et ſaporis præſtantiſque virtutis largitur. Ex hiſce jam patet, veronicam recentem vel in umbra, aut ſub charta circumſpecte ſiccatam quod etiam de aliis herbis tenendum eſt, ad infuſionem eſſe optimam. Peſſimus pharmacopœorum mos eſt, locis vel hypocauſtis calidis committere herbas ad ſiccationem, cum præcipua virtus, quæ reſidet in ſale volatili ęthereo, avolet in auras. Quo curatius itaque noſtra herba eſt ſiccata, eo meliorem depromit virtutem. Porro infuſi magna quantitas, ſi debite inſpiſſetur, poſtea aeri frigido exponatur, magma apparet in ſua ſuperficie ſal tartariforme, haud ingrati amaroris et elegantibus ſtriis emicans, virtute deterſiva ac apperiente ſe undiquaque commendans. Præter ſalina autem in ſuperficie contentas apparent in fundo magmatis particulæ terreſtres copioſiſſimæ.

11 Tria itaque in infuſo elementa nimirum particulas ſpirituoſas volatiles, deinde ſalinas alcalinas, et terreſtres adſtringentes deprehendimus. Ratione volatilium infuſum hoc in corpus hauſtum, et in ſanguinem diſtributum, tam ſpirituum animalium, quam reliquorum minutiſſimorum corpuſculorum, in lympha et ſanguine conſiſtentium, motum blande procurat, et promovet, quia propter ſubtilitatem jus habet proxime adficiendi. Spiritus autem impulſi ac in motu conſtituti, reliquos humores in motu tardiore verſantes, ad motum faciliorem incitant ac cogunt. Etenim omne corpus in motu conſtitutum, alterum, quod in motu non eſt, facilius ſecundum axioma mechanicum impellere poteſt. Hac enim ratione motus omnium fluidorum machinæ noſtræ tam progreſſivus, ſeu circularis, quam inteſtinus promovetur, in quo utroque motu ſanitatis noſtræ conſervatio maxime pendet. Ratione particularum alcalinarum et ſalinorum, vi reſolvente ac corrigente, laudatum noſtrum infuſum pollet. Certum enim ac ſtatum eſt, plurimas morborum cauſas niduları in obſtructionibus, illaſque morborum fabros eſſe: hæ autem non niſi ab impedito partium fluidarum, per anguſtiſſimos capillarium anfractus motu, tam circulari, quam inteſtino, non poſſunt non originem ſuam nanciſci. Fieri enim non poteſt, et corpus fluidum, quamdiu ejus partes in perpetuo et irrequieto motu juxta ſe invicem quieſcant, et ſe invicem firmius contingant, quo durum et ſolidum obſtructionum primaria fiat cauſa. Quando autem ſal propter acies et ſpicula minutiſſima rigida in continuo motu eſt, dividendo craſſorum humorum vaſcula obſtruentium ſuperficies, non poſſunt non illorum particulæ dividi, incidi, atteri ipſiſque motus denuo introduci, ut fluiditatem reſumant: & in hoc pene omnis curationis cardo ac nervus verſatur; qui enim prompte ac facile obſtructiones pertinaciores ſolvere novit, ille et felicius curare chronicas paſſiones ſataget. Tandem terreſtriores infuſi noſtri particulæ, machinæ vitalis fluoribus intimatæ, parietibus vaſorum ac tunicarum fibrarumque interſtitiis, propter craſſiorem ſuperficiem, facilius adhærent, illaque coarctant, et in anguſtius ſpatium redigunt; unde ſpiritus animales, machinæ noſtræ motores, in anguſtius ſpatium coacti, anguſtiam loci celeritate compenſant, ſicque celeriori influxu partes fibroſas ac muſculoſas magis animant, vigorant, conſtringunt, unde partium dependet robur.

12 Examinata jam ſufficienter veronicę

natura, reſtat nunc, ut alterum ingrediens, nempe aquam calidam inſpiciamus, quidnam ad infuſum noſtrum conferat, ſeu ab illa ſit exſpectandum. Non abſone plures emunctorium medicorum, quicquid infuſum Thee, Coffee aliarumque herbarum præſtat, id omne malunt ab aqua calida, quam ab ipſis herbis deducere. Nec noſter animus eſt, ab hac ſententia ſecedere, potiſſimas infuſi vires adſcribentes calidæ, ſecundarias autem ipſi herbæ. Sola enim herba vel redacta in pulverem vel in eſſentiam, & extractum abiens nunquam hoc præſtabit, quod ejus infuſum, quarum unum alterius poſcit opem, amice ambo in medicamentum optimum ac præſtantiſſimum debent conſpirare.

13 Quoniam autem in aqua calida duo occurrunt conſideranda, primo aqua, & deinde calor, ipſi adveniens, placet in utriuſque naturam paulo accuratius inquirere. Aquæ eſſentia conſiſtere videtur in ipſa fluiditate, humiditate, &, ſi loqui ſic fas eſt, inſipiditate, nihilque aliud aqua eſt, quam liquor inſipidus. Notum autem eſt ex phyſicis, fluiditatem conſiſtere in perpetuo ac jugi minutiſſimarum juxta ſe invicem motu, & quod fluida poris gaudeant innumeris, in quorum interſtitiis copioſiſſima ſubtilis hæreat materia. Inteſtinum autem aquæ particularum motum ſolutio ſalinum vel ſachari in ipſam injectorum patefacit, quæ ſine motu, ut ut oculorum ſenſum fugiat, abſolvi non poteſt. Abundantiam & diverſitatem pororum illud arguit experimentum, dum portio aquæ ſale communi ſaturata, ut ne granum quidem ſalis capere amplius poſſit, aliud ſal v. g. alumen injectum, de novo aggreditur, illud ſolvendo, ſique hoc refertum eſt, tertium ſal v. g. hoc vitriolum tenue recipit, & ſic porro, ut admiratio mentem merito ſubeat, quomodo hæc procedant. Nullum autem dubium, interſtitia inter particulas aquæ eſſe figuratæ diverſiſſimæ, quæ alias particulas capere ineptæ ſunt, quam quæ ipſi loco congruunt, & cum ſalia longe diverſis gaudeant figuris, clariſſime inde colligitur, poros cubicos particulas etiam cubicas requirere, & ſi illi ſaturati ſunt, non alias amplius capere poſſunt, & ſic porro. Præſentiam particularum aerearum & ætherearum in ipſa aqua hærentium, monſtrat partim experimentum, dum in vaſe ab aere per antliam evacuatio, poſita aqua innumeras emittit bullulas partim etiam aquæ evaporatio id teſtatur, quæ fieri non poſſet, niſi particulæ quædam elaſticæ æthereæ ipſi aquæ ineſſent. Præterea aqua inſipida eſt, i. e. omni ſapore deſtituta, quia lubricis, flexilibus conſtat particulis & ſalinis caret. Et quamvis pauca ſalium ramenta in magmate evaporatæ aquæ conſpiciantur, illa tamen adventitia ſunt, ex fundo forſan oriunda, nec proprie naturam aquæ ingrediuntur. In inſipidis autem magna ineſt efficacia, uti id ſolide ac erudite demonſtrat clariſſ. D. Schraderus *in diſſertatione de inſipidorum efficacia*. Menſtruum enim inſipidum ſimpliciſſimum & puriſſimum eſt, & ad varias recipiendas particulas aptiſſimum, quoniam heterogenis nondum eſt imprægnatum, & quicquid agit, ſola fluiditate id præſtat. Nam fluida, mediante inteſtina & perpetua particularum agitatione, corporum poris impelluntur, ut ſit iterata inſinuatione earum ac concuſſione non vi, ſed blande particularum ſolidarum nexum tandem diſſolvant.

14 Ex hiſce jam adductis luculenter patet, aquam optimum eſſe menſtruum, & vehiculum ipſius herbæ veronicæ, & quo puriorem ac leviorem illam eſſe, eo meliorem, inſignique pollere efficacia, ſalia cujuſvis generis ac figuræ in poros ſuos recipiendi, dura ac ſolida corpora emolliendi ac reſolvendi, illaque ad fluiditatis ſtatum adducendi.

15 Quod ad caloris naturam attinet, ille id motu non rectilineo, ſed curvo, confuſo, & velociſſimo particularum minutiſſimarum ætherearum conſiſtit, adeoque elaſticam dilativam expanſivam ſeu rarefacientem vim habet; æther enim in calore expanſus propellit corpora vicina ex ſuo loco, uti id eleganter patet experimento, dum nimirum aqua incluſa æneo vaſi, admoto fortiori calore, intus valde incaleſcens, data apertura, inſtar fontis magna vi proſilit & erumpit.

Calor

Calor itaque aquæ ſimplici ſuperveniens, illi majores vires fœnerat fluidificationem, emollitionem ac diſſolutionem mirum quantum augendo & adjuvando: quare notabile eſt, ſolis aquę calidę vàporibus oſſa & cornua duriſſima emolliri poſſe in vaſe deſtillatorio, quam operationem pharmacopolæ philoſophicam calcinationem nominant; nec ignotum jam amplius curioſis eſt Papini experimentum, dum carnem oſſa, & duriſſimas res includit vaſi, ita coaptato, ne minutiſſima rima aquæ, quę in decenti quantitate adjecta fuit, exitum præbeat, leni machina committitur calori, & ſic brevi exacto tempore duriſſima oſſa in liquamen gelatinoſum ac lentorem fatiſcunt, per ſolam vim elaſticam calidæ aquæ, quę potentiſſime minutiſſimos poros ſubire illorumque centra reſolvere valet. Nam omnia corpora reſolvi ac emolliri poſſunt, ſi ipſis particulæ elaſticæ vel beneficio aeris, ignis, vel menſtruis ſubtiliſſimis impingantur.

16 Calidæ itaque aquæ uſus in medicina egregius eſt. Exſtat circa hanc rem inſignis locus in *Aetio tetrabil. 1. Serm. 3. c. 165. aqua* inquit, *calida conducit, ubi oportet excretionem præparare, & ubi quid attenuare diffundere, liquefacere, mollire, eluere, concoquere aut diſcutere volumus*. Calida quippe aſſumta magna in copia cum tenuium partium ſunt, qua data via ruunt, arctiſſimos poros vi ſua elaſtica ſubeunt, & ubique ſeſe inſinuant, & quaqua verſum penetrant, ſicque calorem a potu calido aſſumto in totum corpus diffundi ſentimus: quodſi enim ſanguis ſtomacho vicinus a calore aquæ rarefit ac fluidus redditur, lege circulationis non poteſt non omnis ſanguis ad motum aptior evadere, magiſque evolvi, non ſecus ac videmus totum corpus calefieri, ſi calor externis ſaltim partibus v. g. pedibus admoveatur.

17 Præterea calidi potus viſcidos quoque et tenaces humorem attenuant, colliquant, ſicque obſtructiones expediunt, et circulationem humorum promovent, quandoquidem talia effluvia actuant et partes tenuiſſimas ſanguinis excitant, et humorum, illiſque motum imprimunt, ut ipſi ſpiritus ſic dicti animales exſuſcitati functiones ſuas eo melius abſolvant, hinc ex potu calidæ aquæ hilares et alacres ad ſtudia et res peragendas reddimur, torpor et ſomnolentia diſſipatur, vigiliæ magis procurantur, quæ in actuoſo et concitatiori ſpirituum animalium motu, et liberiori in partes nervoſas influxu conſiſtunt, quare infuſum herbæ Thee ſomnum diſſipat, vigilias procreat, non ob ſingulares dotes ipſius Thee, quę nullo modo in hoc obſervari poſſunt, ſed propter effectum ipſius calidę aquę, quamobrem quęvis pene herba aquę calidę infuſa ſimilem effectum excitat. Motis autem in corpore noſtro ſpiritibus, qui primi ac pręcipui reliquorum fluorum motores ac impulſores ſunt, moventur et ipſi, debitum motum abſolvunt.

18 Tandem quoniam plurimorum morborum ſymptomata, et exacerbationes ſalibus morboſis excrementitiis, illorumque acrimonię adſcribendę ſunt; potus aquę calidę in magna copia aſſumtus non poteſt quin inſigne levamen ac emolumentum afferat, utpote qui ſalia illa, nimia acredine infenſa, promtiſſime diluit, temperat, corrigit, et per congrua evacuatoria, nimirum glandulas ſubcutaneas, ceu per cribrum, eliminat. Quantum itaque ſit uſus, et quanta efficacia aquę calidę, ſi herbę taliſmodi temperatę medicamentoſę, uti noſtra eſt, virtutibus impręgnetur ac eſſentificetur, quivis, qui ingenio pollet, et rerum phyſicarum ac medicarum parumper gnarus eſt, clariſſime perſpicere poterit.

19 Pretium autem erit operę, ſingulatim recenſere eximias illas dotes ac virtutes, quibus donatum eſt noſtrum medicamentum, quęque in ipſo obſervationibus curatis annotatę fuerunt. Nolumus autem auctoritate veterum operationis rationem accerſere a qualitatibus illorum primis, quatuor elementis inedificatis, quę ſi curatius et libero animo rem ſpectemus, non abſolutæ entitates ſunt ſimplicibus inexiſtentes, ſed potius relativæ potentiæ, & modificationes ipſius materię, quibus medicamenta varios effectus in corpore humano pro diverſitate

individuorum producere valent, nullum quippe medicamentum agit ratione activitatis, sed receptivitatis suæ, hinc idem pro diversa constitutione humorum, & varietate individuorum diversissimos solet edere effectus; sed fons operandi ac indolis nostri medicamenti satius supra detecta est, partim chymico igne, partim variorum liquorum connubio, & inde phænomenorum resultantium attenta consideratione, ubi deprehensum fuit herbam nostram calidæ aquæ subtiles, volatiles, salinas, alcalinas, cum terrestribus fixioribus, temperatas tamen particulas communicare.

20 Securissimus autem modus est a posteriori sive ab ipsa experientia, optima artis magistra, & propriis observationibus desumere medicamentorum vires. Circa hunc modum autem merentur observari quædam regulæ, ne res difficultatibus immergatur. Primo optime medicamenti effectum explorare possumus, si singula seorsim, nec unum aliis mixtum, in usum trahatur, unde nescimus, cui operatio sit adscribenda. Improbanda itaque illa medicorum consuetudo est, qui remediis suis quasi ludunt, & ab uno ad aliud ruunt, mutato quasi in horam consilio, sicque sine judicio sæpe, & sine arte in curatione progrediuntur, & hinc fit, ut nunquam medicamentorum vires expiscari vel firmam sibi experientiam comparare possint, sed semper dubitent, vacillent, errent: deinde idem medicamentum simili in casu, iisdemq; correspondentibus circumstantiis, non semel, sed decies, vigesies, eundem effectum præstare debet, si certi velimus esse de singulari & specifico effectu.

21 Sedula itaque ac studiosa observatione annotavimus, nostræ plantæ infusum moderatius tamen haustum, digestionem juvare, ac resolutionem ciborum promovere, dum tenacem viscidam amurcam, quę glandulas œsophagi, ventriculi & intestinorum obstipat, fundit atque abstergit, quo & melius tunc glandulę plorare possint liquorem menstrualem, qui potissimæ resolutionis ciborum causa est, & quando lympha, cujus soboles est ipsa saliva & menstrum ventriculi, nimis crassa & inspissata est, infusum veronicæ illam diluit, attenuat, sicque cibos fluidos reddit, illorumque resolutionem adjuvat, quod exemplo Indorum & lapponensium confirmatur, qui semper cum cibis aquam calidam bibunt. Quinimo ventriculo gratus est omnis calidus potus, ipsoque gaudet; coagmentatus namque est ex meris membranis & tunicis, & hinc a provida naturæ mente intra calidissima viscera positus est, ut ab omni parte blando foveatur calore, quo eo melius munus suum absolvere possit; quare nihil magis ventriculo, quam frigus, nocet, quod, ut humores facile concrescant, & in lentam abeant pituitam, efficit, hinc a frigido putu inprimis post insignem corporis incalescentiam tanta noxa, ipsaq; mors observatur a practicis.

22 Quam gratus ille potus sit ventriculo, sequens docebit historia, nimirum nuperrima æstate studiosus quidam, ingente corporis calefactione prævia, magnam cereviſiæ frigidæ haurit quantitatem, mox debilitabatur & sequentibus diebus dolor ventriculi, vomitu, nausea, cibi fastidium, virium prostratio, calor præternaturalis, urina rubra, ægrum affligebant. Remanebant hæc symptomata per longum temporis spatium, vires que & solidam partium substantiam notabiliter absumebant, nec deerant hecticæ signa, discrimen vitæ minantia; sanitati tamen æger restitutu est sequenti methodo: primo potum veronicæ, cum tinctura flor. bellidis aliquoties de die assumebat, deinde cum cibis & jusculis propinabatur bis de die, essentia balsamica, composita ex nuciſta, croco, myrrha, zedoaria, arcano tartari, & spiritu vini tartarisato. Extrinsece ventriculo applicabatur linimentum ex oleo nuciſtæ, spiritu vini tartarisato, oleo menthæ, camphora, croco, oleo caryophillorum & balsamo Peruviano, sicq; paucis septimanis elapsis cum morbo rediit in gratiam.

23 Porro observavi nihil magis juvasse febricitantes, tertiana vel quartana decumbentes, quam si post paroxysmum statim in magna quantitate idem hauriant infusum, componendo se ad sudorem, qui si sequitur, semper levior se-

quens

quens eſt paroxyſmus. Conſentit hac in re Hippocrates *lib. de locis in homine c.* 88. qui febricitantibus ſuis etiam propinavit calida, ubi inquit: *cum laſſitudo, febris, & plenitudo deſinuerit, multa aqua lavandum, & quam maxime calefaciendum eſt, quo calor, aperto per ſudorem corpore, exeat, & in potu adhibenda calida* Potus enim calidus in corpus ingeſtus ex ægro corpore detrahit, ſive urinas educat, ſive ſudorem eliciat, undique enim apertum, et reſpirans corpus ac motum faciet, quod conducit.

24 Præterea potus veronicæ ſingulariter phthiſicis opitulatur, et vitio pulmonum laborantibus. Annumerantur a practicis ipſa veronica inter herbas vulnerarias, et conſolidantes, et vix potio vulneraria vel pectoralis in practicorum libris invenitur, quam non ingrediatur ipſa veronica. Notum eſt aquam veronicæ præſtabilem opem ferre hecticis, ad præternaturalis caloris et ſitis exſtinctionem; ejus autem infuſum, quod præter particulas volatiles etiam gaudet amaris, aperientibus, et acrimoniam corrigentibus, longe obſervatur præſtantius, præſertim, ſi aqua, cui veronica infundenda eſt, ante cocta ſit cum paſſulis, cornu cervi uſto, raſura cornu cervi, et loco ordinarii potus hæc ſubſtituatur potio. Nec minus obſervavit puerum decem annorum, aſthmate pulmunali per aliquot annos laborantem, cum roncho ac ſibilo, qui incaſſum oppoſitis antea omnibus celebratiſſimis pectoralibus, incidentibus ſulphuratis, tandem ſolo potu veronicæ, qui omni die per aliquot ſeptimanas hauriebatur, reſtitutus eſt. Porro non ita pridem vir quadraginta annorum, craſſioribus habitus, et hypochondriacæ affectioni obnoxius, mira ſanguinis et humorum exagitabatur ebullitione, cum tuſſi pulmonali phthiſin minante, appetitu proſtrato, calore præternaturali, virium defectione, fruſtra datis medicamentis alias generoſis pluribus, tandem convaluit, et vires a ſolo potu veronicæ recuperavit, qui mox tuſſim ſedabat, appetitum excitabat, expectationem juvabat, et præternaturalem calorem compeſcebat.

25 Certiſſimum eſt veronicæ vulgo adſcribi ab omnibus medicis ſingularem virtutem depurandi ſanguinis maſſam, nec ſine ratione; virtus enim ac depuratoria in eo conſiſtit, vi ſanguis et fluores corporis noſtri ſcoriis ſalino ſulphureis excrementitiis morboſis priventur, ſive per congrua ſua evacuatoria proſcriptis. Utrumque egregie præſtat infuſum veronicæ, quod acres morboſos ſales temperando diluendo, et ſpiracula cutis renumque poros blande aperiendo, in ſanguinis impuritatibus ſeu malo ſcorbutico præſentiſſimam opem afferre ſolet. Sic veronicæ potu contra ſcabiem et cutis pruritum vix datur remedium præſtantius, eaque mala depulit feliciſſime, aliquoties Halberſtadii ſcabiem ſiccam, ægros imo ipſos ſenes infeſtantem, diuturnam, ſolo hoc potu largiſſime per menſis ſpatium hauſto. Similem effectum extrinſecus etiam exercere ſatis locuples Simon Pauli *in quadripart. Botan.* qui ita ſcribit; *ingenue fateor, cum aliquando variis medicamentis adverſus cruſtoſam ſcabiem puerorum uſum eſſe incaſſum, me juſſiſſe parentibus aquæ veronicæ intinctæ lineamina applicare compreſſa, ne ſtillarent ſuris brachiiſque pueruli ejuſque, meque ſic enim ex voto reſtituiſſe priſtinæ valetudini.*

26 Stupendę tandem virtutis, contra calculoſam concretionem hæc herba a Clariſſimis medicorum celebratur. Notabilem hac de re inſerui obſervationem *in Ephemer. Germ.* D. Elſnerus *A I. Decur.* 1. *Obſerv.* 107. Sutoris vidua, quæ calculum per 16. annos in renes aluit ſiniſtro, qui cruciatibus illam affligebat, ut, viribus omnibus abſumtis, nil niſi ſceleton vivum repræſentaret, ob ſummum cruris ſtuporem, & renis dolorem in iſto latere, per totum illud tempus nunquam dormire potuit. Tandem decoctum veronicæ in magna doſi per aliquot tempus aſſumſit, quo effecit, ut calculus ad uretheres et tandem ad veſicam protruſus, miſeram ſtillicidio et difficultate urinæ diu vexavit, donec ab aſſumto ſuperiori nominato decocto et ejus fomentatione, natura adhuc dormiens expergefacta maximis et iis conatibus,

quibus alias a fœtu se liberare conatur, excitatis, hospitem penegrinum cuspide expulit, qui tandem vi ab ipsa ægra per collum vesicæ extractus fuit, & quidem non absque summa illius læsione & copiosa hæmorrhagia. In colica, calculo & ipsa peste Crato *trium Imper. Archiater* plurimi facit hanc herbam, imo vel simplex decoctum veronicæ omnibus aliis generosioribus internis medicamentis, contra calculum præfert. Sic observavi Halberstadii fortem infusionem herbæ veronice viro quinquagenario colica violenta laboranti, materiam instar spermatis ranarum, innumeris vesiculis constantem per alvum eduxisse.

27 Nolo jam esse nimis longus in recensendis veronicæ observatis viribus, & ut rem paucis complectar & expediam, crebro ac quotidiana usu observata fuit potio & infusio veronicæ, idem imo longe præstantius quid effeciſſe, quam ipse potus herbæ *Thee*, nec singulare quid ab hac exspectandum videtur, quod non idem noster potus præstare potis sit. Ego sane per multos annos hanc potionem loco herbæ Thee omnibus fere ægris, maximo cum emolumento, suasi & nunquam noxam ab hac observavi; cum contra herba Thee propter nimiam adstringentem qualitatem a me non semel observata fuerit magna peperisse incommoda, præsertim in illis, qui siccitate nervorum laborant, & spasmodicis contractionibus sunt obnoxii; hinc hypochondriaci & hystericæ gravia non semel ab ejus usu excerpta sunt symptomata, nimirum cardialgias, anxietates præcordiales, dolores in abdomine alvi fluxum &c. relatumque fuit mihi ex ipso Belgio, plures ex frequenti ejus usu factos fuisse paralyticos & hinc potum Coffee magis ibi æstimari.

28 Ex hisce jam adductis sufficientissime patebit, dari in nostris terris herbas longe salubriores, & præstantiores exoticis illis, quæ magno pretio ex extremis istis regionibus sibi afferri curant Germani, & quod veronicæ nostræ dignitas ipsa herba Thee longe sit superior. Hinc nostra vernacula, quæ nobis provida mater natura largissime & gratis concedit, ad sanandum merito sufficere debet; ut non opus habeamus, ex dissitis regionibus ignota quædam ad medicandum repetere.

DISSERTATIO XIII.

DE

PURGANTIBUS MINUS COGNITIS ET SELECTIORIBUS.

§. I.

UNiversam œconomiam microcosmi vitalem ejusque conservationem motu non modo progressivo solenni per circulum, sed & variis motibus mixtionis, secretionis, excretionis, sustentari, nemo facile, cui interiora corporis nostri paulo exquisitius patent, in dubium revocabit. Quapropter omnis generis læsionem præternaturalem & morbosam affectionem corporis nostri non inconvenienter ex læsis istis motibus prudentes ducunt atque derivant. Ex horum numero eminent maxime motus evacuatorii, qui quantum naturæ commodi adferant, dici vix potest. Quandoquidem corpus nostrum in conservationem eget multis rebus, quæ intus debent sumi, nec tamen in mixtionem & intimum ejus vitale consortium abeunt, sed rursus maxima ex parte solent evacuari, quorsum spectant omnis generis fere salia inter alimenta reperibilia, humidi plurimum, nec non sulphurea explicata. Quin imo pauca sunt ex medicamentis, quæ sese cum succis corporis nostri jungunt, sed potius rursus debent excerni, utut hoc ipso actu, dum intrarunt & exeunt, nobilissimam opem conferant. Paucis: natura plus est occupata in excernendo quam in retinendo. Si itaque evacuationes hæ summe necessariæ non debite, non sufficienter succedunt, & ea, quæ debebant ejici, relinquuntur, præsentissima inde materia ad morbos nascitur. Tametsi autem natura numerosa & diversissima eum in finem construxerit evacuatoria: nullum tamen so-

len-

lenniùs eſt; nullum magis perneceſſarium, quam quod conſtituit alvus, ſi nempe ab ipſa perſpiratione cutis longe ſaluberrima diſceſſerimus.

2 Et quemadmodum per alia evacuatoria certa & peculiaria tantum excrementa eliminantur, ita per alvum non unius ejuſdemque naturæ ſed diverſi generis humores ſecluduntur; utpote non modo ex ventriculo & tenuibus inteſtinis craſſior, inutilis & effeta alimentorum extractorū portio per hanc viam tranſit, ſed ex toto hepate bilis, ex pancreate et inteſtinorum præſertim craſſorum glandulis lympha, ſerum, mucus ſequeſtrantur. Quantum vero corpori accedat inde beneficii, vel ex eo tantum poteſt cognoſci, quod ex ſuppreſſa et pigra alvo morbi permulti oriantur, nec ipſa præſente, tuta ac felix cum acutarum, tum chronicarum paſſionum ſuccedat ſanatio, ſæpiſſime enim providiſſima natura ſibi eligit has vias, et ſanat morbos. Ex hiſce fluit, reſpiciendum a medico maxime omnium eſſe ad hanc alvinam evacuationem, ut ipſam, quando neceſſe eſt, juvet; munus enim medici in eo potiſſimum verſatur, ut, quod natura ſola non poteſt efficere, id arte procuret et exſequatur. Permultum autem intereſt, quibuſnam ſubſidiis et inſtrumentis id perficiatur. Nos, repudiatis omnibus iis, quę violenter et virulentia a naturam laceſſunt, maximam ſecuritatem ponimus in temperatioribus ſtimulantibus, naturę amicis, et nullum damnum, nullam noxam, iis partibus, in quibus operantur, affricantibus. Quoniam autem non hęc obvia omnibus ſunt, judicavimus dignum opus recenſere ea, quibus egregio cum fructu uti poſſumus. Placuit itaque in præſenti loco ſelectorum purgantium materiam pertractare et optima ac ſelectiſſima parum nota in uſum medicum commendare.

3 Prius vero quam ad enumerationem rariorum et ſelectiorum alvum ſtimulantium accedamus, nobis erit commemorandum qua ratione et quo principio evacuatio per inferiorem partem celebretur, ſive qua ratione ipſa purgantia effectum purgantem exſerant. Quemadmodum vero ſęcum ſecluſio ſecundum naturam fit primo motū inteſtinorum periſtaltico, ſecundo huic ipſi inſerviunt ſtimulo: ita etiam purgatio, quę fit arte, ſimili modo habet. Notum enim ex anatomicis eſt, totum inteſtinorum volumen gaudere tunica ex duplici fibrarum ordine longitudinalium ſcilicet & circularium contexta, quæ muſcularis & carnea appellatur, cujus beneficio motum reciprocum dilatationis & conſtrictionis a ventriculo ad anum ſucceſſive tendentem perſequuntur. Qualis motus periſtalticus ſive circumpreſſorius etiam vermicularis appellari ſolet. Hoc ipſo omne in inteſtinis contentum urgetur vel foras, vel per vaſa in interiora. Motum hunc inteſtinalem non eſſe a ſe ipſo, ſed ab alia extrinſeca cauſa, nullus eſt qui dubitat: hanc vero corpoream eſſe & tenuiſſimam, fluidiſſimam, valde activam, nullus ex ſanioribus quoque negat. Quo autem vocabulo hanc ipſam inſignire quis velit, & vel naturam, vel animam, vel archeum, vel animalem ſpiritum, aut vitale principium vocare, nobis perinde eſt. Illud tamen ſuffecerit hic meminiſſe, nullum motum in tota rerum natura non niſi proxime per ſubſtantias extenſas ſeſe invicem tangentes fieri, quamvis deinde talium ſubſtantiarum corporeas inter ſe actiones, & reactiones, immateriales actus in animantibus præſertim, quandoque variis modis modificare determinare & dirigere ad certos motus incognita nobis plane ratione poſſint & ſoleant, ſicuti id in *diſſert. de potentia diaboli in corpora* latius eſt oſtenſum. Quamvis itaque in motione inteſtinorum periſtaltica, ſicuti ad omnem in univerſo motum, & movente & mobili extenſo opus ſit, ſine quibus nullus celebrari poteſt motus: nihilominus ſolo ideali & immateriali actu, cogitatione, perverſa impreſſione, determinatio & directio hujus motus varia fieri poteſt. Ita habemus luculentiſſima exempla, ubi ſaltim ex ſolo viſu, odore, auditu, multo magis ſapore purgantium vehementer quidam purgati fuerint, ubi anima immateriali iſto phantaſiæ actu id minime effecit proxime, ſed tantum per hoc inſtrumentum ſive principium corporis activum, quod

com-

communi & recepto nomine ſpiritum vocamus.

4 Quemadmodum vero in microcoſmo, ſi motus ſunt celebrandi, non tantum ſufficiunt movens, inſtrumentum & mobile, ſed recte, ut hæc ipſa agant, opus eſt alia actione, motione externa excitatoria, quæ in ipſis nervis ſive nervoſis membranis fit. Hinc ubi muſculos natura collocavit, ibi etiam adſtites ſunt nervi; in hos ſi fit inſultus, vellicatio ab objecto corporeo externo, vel pondere, vel figura acuta, protinus excitatur, & motus in ſubſtantia augetur muſculoſa: eodem modo ſeſe res habet cum motu periſtaltico inteſtinorum, qui non niſi præcedente actione in nervoſam tunicam, celebratur vel intenditur in tunica muſculoſa. Huic autem ſtimulo, quo agitatur ipſa nervea tunica, ſerviunt non modo ſanguis, alimenta, cum copia, tum qualitate ſalina, ſed natura peculiarem eum in finem quoque elaborat liquorem, & jugiter ipſum in inteſtinorum initium amandat, ut per hunc ad motum incitentur, eſtque ipſa bilis, quæ a veneranda antiquitate non inepte clyſter naturalis dicta eſt. Copiam vero ingeſtorum alvum irritare vel ex eo convincimur, quod in diuturna fame & iis, qui parum bibunt aut comedunt, utut bilis ſit valde acris, tardiſſima ſoleat eſſe alvi excretio, & ordinario a copia cibi vel potus aſſumti ſollicitetur natura ad dejectionem. Imo ipſa purgantia ante vel etiam poſt cibos ſumta laudabiliorem effectum edunt, ac ſi ventriculus fuerit vacuus. Acidularum & thermarum ingens copia, non tam activo principio, ſed potius mole ſua ſollicitat alvum. Deinde cibos, quo magis ſunt, ſale & aromatibus conditi, eo citius per alvum tranſire, toto die obvium eſt. Principaliter vero ipſa bilis ſtimulo ſuo acri irritando nerveas ſenſibiles inteſtinorum lamellas ad conſervationem & auctionem motus periſtaltici multum confert. Unde qui bilis defectu laborant, vel eam viſcidam, inertem, vel nimis dilutam habent, ii ordinario alvi ſunt tardioris. Ex hiſce allatis non inepte colligimus, ea eſſe optima & naturæ convenientiſſima alvum ſtimulantia, quæ ratione mixtionis & naturæ conſymbolismum atque affinitatem fovent cum ipſa bile, cujus generis ſunt omnia amara in regno vegetabili conſpicua, niſi aliud quoddam iis admixtum principium eorum efficaciam retundat.

5 Veruntamen cum de ſtimulo principioque purgante verba fecimus, non res ita intelligi debet, ac ſi proxime & immediate hoc ipſum commoveat inteſtina & ſuſcitet ipſas ſedes. Quoad ego meminerim, nullus ſanior unquam medicus in talem ivit ſententiam, ſed omnes fere in eo ſunt concordes, quod ſicuti omnia medicamenta, ita & ipſa purgantia non proxime & formaliter motum efficiant in nervis & muſculis, ſed quod hoc faciant ſpiritus, ſive anima, quæ tantummodo ab ipſis pharmacis varie diſponitur, & ad motum excitatur. Nam quemadmodum fluidum illud elaſticum, quod in nervis & ſanguine reconditur, omnium motuum in corpore noſtro, ita etiam motus periſtaltici aucti in purgatione cauſa eſt. Perſpicua inde eſt ratio, quare qui ſenſibilioris ſunt naturæ, ſanguine & ſpiritibus abundant, qui cholerici & ſanguinei, ſunt, non modo expeditionem evacuationem per alvum ordinario habeant, ſed & a purgantibus celeriorem & faciliorem effectum ſentiant. Hæc quoque eſt cauſa, quod ſub æſtatem atmoſphæra valde tenui & fluida exiſtente, & in corporibus motu exagitatis facillime ſuccedat purgatio. Idem fit, quando purgantia cum vehiculis calidis & ſpirituoſis aſſumuntur, hinc vidimus cum vino calido, item cum ſpiritu vini dulcificato purgantia aſſumta feliciſſimæ fuiſſe operationis. Contra per irrefragabilem experientiam compertum eſt, corpora, languida, ſegnia, torpida, ubi vires & ſpiritus deficiunt, fibræ ſenſus & motus debilioris, temperamentum pituitoſum & melancholicum eſt, motus & laboris expers, cœlum triſte & nubilum, valde difficilem ipſa purgantium operationem ſcatire. Quibus aperte liquet non proxima ratione purgantia hunc effectum præſtare in inteſtinis, ſed ſaltim mediate.

6 Deinceps hæc noſtra ſententia eſt, prin-

principium, quo agunt purgantia, & quocunque modo alvum ſtimulent, eſſe merum ſalinum, quod vellicando, ſcindendo, pungendo, fibrillas nerveas & naturam ad motum periſtalticum intenſiorem incitat & provocat. Et clariſſime hoc demonſtrabimus iis, quæ ſequuntur; omnis generis ſalia ex regno vegetabili & minerali deſumta facultate pollere laxante: neque hic admittimus ſpecifica ſui generis ſalia eſſe, quæ inteſtina commoveant, ſtimulent, in aliis vero partibus id non faciant: ſed potius aperte profitemur, omnia ſalia, quæ extricata ſunt, ſui juris, quæ ipſum juſtum afficiunt, linguamque feriunt & vellicant, eſſe debita in quantitate ſumta etiam alvum ſtimulantia. Excipimus tantum volatilia ſalia, urinoſa, quæ quoniam nimis cito per poros avolant, hoc effectu deſtituuntur, & magis ſudorem ac urinam pellunt. Excipimus porro, omnia cauſtica ex regno animali deſumta, quæ veſicatorium effectum exſerunt & ſale ſubtili cauſtico ſcindente imbuta ſunt, cujus generis ſunt cantharides, millepedes, ſcorpiones, araneæ, vermes majales, bubones, quæ fortia ſunt diuretica, minime autem purgantia, nam ex toto regno animali nec unicum nobis notum eſt corpus, quod cum certo ſucceſſu purget. Nam utut certis in corporibus, præſertim inſectis inhabitent ſalia tenuiſſimæ cauſticæ indolis, ea tamen propter nimiam exiguitatem & volatilitatem non apta ſunt linguæ papillulas nerveas, multo minus inteſtinorum tunicas, commovere.

7 Equidem quod non omnia ſalia purgantis ſint virtutis, ex eo evincere allaborant, quod piper, zingiber, ceu fortiſſima ſalia ſtimulantia, alvum potius ſiccent, quam ipſam fluidam ſervent; veruntamen non negamus hæc dicta acerrimo ſale eſſe fœcunda. Aſt quoniam copioſo ſale alcali tam fixo & volatili, nec non ſulphureo ſcatent, potius in ſanguinem operantur, calorem & motum ejus inteſtinum movendo, unde calefaciunt, exſiccant & humores a centro ad circumferentiam commovent. Diximus vero antea omnia ſalia alcalia volatilia & ſulphurea ſtimulo ſuo plus agere in ſanguinem, quam in ipſa inteſtina. Unde etiam radix armoraciæ, raphanus, piperites, ſedum vermiculare, radix ari, quæ acerrima ſunt, magis ob eandem rationem ſudorem & urinam cient quam ut ſedes moveant. Quapropter ſtatuimus ſal acidum, præſertim ſi cum aliis ſulphureis particulis varie mixtum ſit, eſſe palmarium purgantium elementum. Id quod probamus maxime exinde, quoniam, uti diximus, nullum ſal volatile urinoſum purgat; ſed omne quod purgat, ſive ſit deſumtum ex regno vegetabili, ſive minerali, in mixtionem ſuam acidum principium admittit. Acida enim naturæ ſunt fixioris, partes habent ſolidiores & conſtantiores, figura gaudent magis ſcindente & purgante præ alcalinis.

8 Clarior autem hæc aſſertio fiet per ſequentia, dum varia minus cognita purgantia recenſere animus eſt. Verum enim vero obiicitur hic vulgo, quod, quoniam affuſione acidorum mineralium ſpirituum purgantia etiam draſtica caſtrantur & exuuntur ſua virtute, eſſe purgantium elementum magis alcalinæ indolis; quibus reſpondemus: imbecillum eſſe hoc argumentationis genus, ſi acida privant purgantia ſua virtute, ergo in alcali conſiſtit eorum energia. Nam videmus emeticam antimonii vim ſufficienti quantitate ſpiritus nitri affuſa, ſive cum tripla portione nitri deflagret, exſpirare, neutiquam tamen exinde elicitur antimonii vim emeticam conquieſcere in alcali. Quin imo ipſa tinctura ſalis tartari acri omnia draſtica purgantia, colocynthidem, gummi guttæ, helleborum, omni vehementia purgante exuit & privat. Ita quoque eadem encheireſi veſicatoria cantharidum qualitas debilitatur, vel plane deſtruitur. Potius hæc fortiora exceſſiva ſalia, quoniam totam craſin, ſchematiſmum, ac mixtionem corporum mutant, aliamque partium diſpoſitionem & configurationem efficiunt, alium quoque introducunt effectum ac virtutem antiquam deſtruunt.

9 Expoſito ſic elemento, quo & per quod agunt purgantia, ſequitur jam, ut partim rariora, minuſque cognita, partim etiam ſelectiora ex minerali & vegeta-

tabili regno ſigillatim, eo tamen, quo fieri poterit, compendio, recenſeamus. Prodeat itaque in ſcenam regium illud metallum aurum, quod per ſe fixiſſimum & omnium in hoc univerſo graviſſimum, quod niſi fuerit ſolutum, omni penitus effectu in corpore caret. Simulac vero degenerat in ſalinam & vitriolicam naturam, commixtione variorum ſalium, ſive liquidorum ſive ſiccorum; acquirit virtutem, non modo alvum ſed & alia emunctoria ſui officii admonentem. Ita verbi gratia ſolutio auri in aqua regis facta, inſpiſſata & cum ſpiritu vini rectificato diluta, & inſtillata ad aliquot guttas aquæ fontanæ placide & egregie aliquot ſedes movet. Auri fulminantis virtus expurgans nemini non jam cognita eſt; accipit autem hanc ipſam tantum a particulis nitroſis intimius actu ſolutionis & præcipitationis auri minutiis commixtis, dum nempe ex commixtione aquæ regis & liquoris alcalini reſultat nitrum, quod poris auri ceu corporis fixi inhærens hunc ſtimulandi producit effectum. Ab hoc quoque dependet auri fulminantis vis, de eoque obſervavimus, ſi fortius fulminat, vehementius etiam movere alvum; contra vero debilius etiam hoc agere, ſi parum vel plane non fulminat. Experientia porro confirmat omnes ſolutiones & liquores auri, qui ſub ſplendidis titulis medicinæ univerſalis vel potabilis auri venduntur, ſæpenumero in majori doſi ciere alvum, non ſine fructu: ita exempli gratia, quando in ſolutione ſalis communis, nitri, tartari vitriolati coquuntur folia auri, poſtea maſſa exſiccatur, & hæc maſſa exſiccata extrahitur ſpiritu vini, exſurgit elegans tinctura aurei coloris, quæ chalybem quoque egregie tingit aureo colore, & in nonnullis ſubjectis efficaciter ſordes educit alvinas. Referri etiam huc debet famigerati hujus loci remedii, quod eſſentiam dulcem vocant, operatio, quæ in diſpoſitis ſæpius fortiter purgat. Verum quoniam in recentis ex auro paratis purgantibus exiguum ſæpe eſt ſalis, minus etiam purgare eadem ſolent, aſt ſi major accedat ſalium copia fortior quoque ſuccreſcit in purgando effectus. Ita verbi gratia granum unum auri fulminantis bene trituratum cum arcani duplicati ſcrupulo & croceo colore, & metallico auſtero ſapore hoc ipſum imbuit. Talis pulvis in Sereniſſima ultra viginti ſedes nuper provocavit.

10 Obſervamus quoque ipſum fulminans aurum quando non ſufficienter edulcoratum fuerit, plus ducere alvum, quam ſi ab omni ſalino contagio fuerit magna de induſtria elotum. Denique circa hæc ex auro parata remedia non ignorari oportet, longe majori utilitate & conſilio ipſa præſcribi in corporibus torpidis, cachecticis, infantilibus etiam, ubi inteſtina mucoſa & verminoſa ſaburra ſunt obſeſſa, neque tam felicem eorum ſucceſſum eſſe in ſenſibilioribus & biliosis ſcorbuticis ſubjectis. Deinde animadverſionem deſiderat hoc, quod tutiora perpetuo in forma liquida ſint ex auro parata, quam ſicca; metallum enim hoc omnium graviſſimum plicis & tunicis inteſtinorum tam firmiter inſidet, ut non tam facile elui poſſit, unde concurſu acidi ſolutum & vitriolicum factum vim inferre loco, cui inhæret, quam facile poteſt.

11 Deſcendimus jam ad argentum, & an ex hoc quoque prodeant remedia alvum ſolventia, ſcrutabimur. Qua de re non amplius dubitandum eſt, dum a peritiſſimis chymicis lunæ chryſtallos catharcticæ & hydragogæ celebrantur, & ab illuſtri Boyleo pilulæ ex ipſis paratæ ad educendas hydropicorum aquas ceu ſpecificæ commendentur: nec ſine ratione, nam ſtrenue a colluvie ſeroſa deplent inteſtinorum canalem, idque unice faciunt, quia rodendo & vellicando inteſtinorum tunicas & glandulas majorem motum periſtalticum & majorem affluxum ſeri procurant, nemini enim in medicina verſato ignotum eſt, dictis cryſtallis feliciſſimo cum ſucceſſu inuri fonticulos. Et porro omnes ſolutiones argenti alvum ducente virtute per experientiam claræ ſunt. Ita argentum purum, ſolutum in aqua forti, poſtea inſtillatum ſpiritui vini rectificatiſſimo largitur liquorem, qui in ſufficienti quantitate ad guttas decem & ultra liberaliter & ſine torminibus ſedes facit. Succedit autem experimentum magis ex voto, quando ſecundum proceſſum

Mon-

Monteſchnideri argentum cum regulo antimonii miſcetur & pulvere fulminanti tractatum vertitur in cineres, qui expoſiti aeri, ſal vitriolicum elegantiſſimũ, ſplendidis miculis conſpicuum prębent, quod in aqua ſolutum, nobile medicamentum ad detergendas in primis viis ſordes conſtituit. Magiſterium etiam lunæ præcipitatione cum ſale communi confectum, debita doſi, pituitam per alvum educit, & hydropicis & melancholicis confert. Cæterum notum eſt, quod in chronicis affectibus capitis, præſertim epilepſia, vertigine, in putredine quoque verminoſa infantum, veteres remedia ex luna laudibus magnis extulerint. At vero quicquid boni præſtant laudatis in affectibus, id ſaltim fit, cum ſucceſſive detergant, reſolvant, & viſcoſitates e primis viis deducant. Valet circa uſum cautela B. Hoffmanni *in clave p.* 280. quæ eſt, ut non nimis crebro exhibeantur, quia alias noxam inferre poſſunt. Addimus quod magis pituitoſis, ſegnibus & torpidis naturis conveniant, quam activioribus.

12 Progredimur jam ad cuprum, & quęnam ex ea repeti poſſint alvum irritantia circumſpiciemus. Ejus vis draſtica ventriculum ſubvertens & nauſeoſa, vomitoria, nemini non ignota eſt, adeo ut univerſaliter pronunciandum ſit: omnia ex cupro parata, præſertim in pleniori doſi, eſſe emetica, cujus rei ratio in eo conſiſtit, quonia ſulphur mercuriale valde activum penetrans cum acidi mixtura celerrime agit, mox in ventriculi fibrillas corroſivitatem exſerit. Enim vero, quando cupri cum ſpiritu urinoſo, qui nullum aliud metallum præterquam hoc ipſum aggreditur & ſolvit, diſſolutio inſtituitur, tincturam pulcherrime cęruleam concedit, quam debita doſi, refracta nempe, & convenienti vehiculo propinatam inteſtina a ſordibus per aliquot ſedes liberando, in epilepſia infantili ex primis viis, febribus intermittentibus, & ex vermibus prodeuntibus ſymptomatibus non contemnendam opem tuliſſe ferunt. Operoſe vero talis cęrulea tinctura ex luna cupro infecta, operoſius ex vitriolo, & operoſiſſime ex limatura martis petitur. Nam obſervationem meretur, quod famigerata iſta cærulea tinctura, quæ ex Sileſia etiam ad noſtras regiones transferri ſolet, & pro tinctura martis venditatur, & ex martis etiam limatura, ſalibuſque præſertim ſale ammoniaco confi-citur, ſuum colorem unice debeat veneri, quod minus curioſis paradoxum videtur. Verum qui conſiderat metallorum mutuum conſymboliſmum & affinitatem, & quod omne fere argentum quędam ramenta auri, omne fere plumbum particulas argenti, & omne ferrum aliquid veneris in ſinu ſuo complectatur, ille facile capiet rationem, quare ex contextu & involucro martiali cuprum latitans non niſi ſalibus penetrantiſſimis eliciatur. Conſtat autem frequenti experimento, de hac dicta tinctura cęrulea, quod pleniori manu exhibita, & vomitum & alvum quoque ciere ſoleat. Circa venereorum autem uſum monemus, ut ob metum corroſivitatis valde moderatus ac parcus ſit, præſertim ſi cum acidis menſtruis ex ipſo remedia fuerint parata.

13 Num ex marte magis inſonte metallo peti poſſint alvum ducentia, res exquiſitiorem indaginem meretur: & quemadmodum nullum metallum, niſi ſolutum & vitriolicum factum operatur in corpore: ita etiam mars, niſi ſolvatur, omni efficacia exnitur. Quapropter ſi quis limaturam martis in ſubſtantia præſcribere velit, opus eſt ut circumſpiciat, an acidi in ſinu ventriculi oberrantis præſentia ſit, tunc operatio ſuccedere ſolet non infructuoſa. Nam acidum abſorptum degenerat in vitriolum, quod ſæpius alvum liberaliter ad quinq; vel ſex ſedes cum appetitus, virium caloris interni ſuſcitatione non ſine fructu in quibuſdam ſubjectis movet, imo ipſum vitriolum martis ad drachmam unam vel duas, modo in ſufficienti quantitate aquæ diluatur, egregie per inferiora operatur. Videmus id clariſſime in acidulis, quarum virtus dejectoria notiſſima eſt, quæ plerumque vitriolo martiali debet. Quin imo omnes tincturæ martiales quæ cum blandis vegetabilium ſuccis & menſtruis ſunt confectę, verbi gratia cum ſucco pomorum borſtorffianorum, cydoniorum, tamarindorum, ſucco pomorum chinenſium, largius ad cochlearia duo datæ alvum egregie expediunt. Subjiciendum vero

hoc

hoc loco eſt, quod martialia non ſemper in alvo ducenda correſpondeant voto, ſed quandoq; ſtringendo contrarium exſerant effectum, præſertim ubi humores incraſſati ſunt, & ſpaſmodicis conſtrictionibus inferiores partes adſuetæ.

14 Ex Iove ſuppeditari, alvum ſtimulantia perinde in ſcholis medicis incognitum nihilominus certiſſimum eſt: nam ſal ſtanni virtute laxante & anthelmintica eminet & experimentum cum vulgari ſtanni ſolutione fieri poteſt, quæ ad drach. mam unam cum vulgari ſtanni ſolutione fieri poteſt, quæad drachmam unam cum vehiculo aquoſo data vehementer alvum exercet. De Saturni ſale dubiũ quoddam reſtat, an hoc ipſum etiam ſit laxantis naturę, potius communi ſuffragrio medicorum moleſtam alvi conſtrictionem facit & ad tormina diſponit. Alii virtutem emeticam ipſi tribuunt, quod ſolutio lithargyrii cum aceto facta & ad cochlear unum ſumta vomitum & alvum cum violentia moveat. Verum cum, loco lithargyrii minium ſi recipiatur, effectus idem non ſequatur, ideo draſticam illam vim a cupro, quod lithargyrio admiſcetur, dum argentum ſeparatur, rectius deducunt. Merito igitur ſaturnina ceu ſtiptica & auſtera ex claſſe laxantium proſcribimus. Devenimus jam ad mercurialia, quorum ſumme vehemens vis cauſtica in proritanda non modo alvo ſed & vomitu, ſalivæ fluxu ex læſione, inflammatione omnibus apertiſſima eſt, & effectum inde producunt. Notiſſimum porro, quod ſicuti cętera metalla, ita hydargyrum etiam purum niſi fuerit ſolutum, in & extra corpus in magna quantitate ſumtum omnis violentiæ expers ſit: ſimulac vero contactu acidi ſolvitur & in ſal degenerat, ſumme venenoſum evadit.

15 Ordine jam perducimur ad mineralium familiam ex quibus principatum ducit ipſum ſtibium. Ex hoc purgans tutum diu curioſi rerum chymicarum ac medicarum ſcrutatores deſiderarunt, ſed adhuc exſpectationi votum non reſpondit. Potius antimonium ex emeticis omnium optima in exili doſi generoſiſſimæ operationis ſubminiſtrat Ubi quidem non negandum eſt, poſt vomitus alvum etiam ſimul fluere, tale verę, quod tantum purget, nondum hactenus inventum eſt. Illud autem non prętermittere hoc loco voluimus, quod vehemens illa vis, quę in emeticis antimonialibus conſpicua eſt, identidem a connubio acidi cum mercuriali ſtibii parte ſit petenda; nam crudum antimonium ſine noxa, imo cum fructu inſigni certe quantitate a quibuſdam ſolet offerri. Simulac vero ſulphur a ſubſtantia mercuriali ſeparatur, & tenue acidum, inprimis tartareum, ingreſſum in hanc ipſam invenit, ſumme violenta inde exſurgit operatio. Et hæc eſt cauſa, cur vitrum antimonii vino infuſum ipſum reddat emeticum, & tartarus coctus cum hoc ipſo ſal emeticum paratiſſimæ operationis conſtituat. Mercurius vitæ quoque, ſi non ſufficienti lotione a ſpiculis acidis privatur, valde violentus eſt; quę omnia docent, acidum eſſe in cauſa, quod metallicam & mercurialem ſubſtantiam ita armet in venenum.

16 Verum longe magis optatum ipſa ſalia ex minerali regno edunt effectum. Nam ſi ſal primum eſt ſtimulans & præcipuum fundamentum purgatricis efficacię, facile conſtat, in ſalibus etiam eminentiori gradu hanc ipſam cuſtodiri. Quod etiam res ipſa confirmat. Salia enim omnia, quæ natura profert neutra, quæ artis etiam ſunt producta, dummodo in convenienti adhibeantur quantitate, ſemper ſtrenue alvum movent. Et primo examen ſubeat ſal commune, cujus virtus alvum dejectoria non omnibus ęque nota eſt. Aſt ſi una uncia in dimidia menſura aquę ſoluta hauriatur, ſine moleſtia ultra ſex ſedes provocabit, & eam ob cauſam ipſi fontes, qui ante aliquot annos celebres erant Hornhuſani, circumſpecte poti, quibuſdam inſigne levamen afferebant, ſatis fortiter & celeriter purgabant: non vero aliud elementum, quam verum ſal commune magna in copia, in parciori autem ſal quoddam nitroſum calcareum complectebantur. Et duobus ab hinc annis Stasfurti ſcaturientes fontes valde inſigni purgandi virtute pollebant propter ſal commune, quod in copia continebant. Imo quotidiano docemur experimento, quod ab uſu halecis mox citatiorem alvum experiamur, qua de cauſa a nonnullis medicis præſertim Viennenſibus loco medicinæ commendatur.

Effe-

Effectus vero purgans & ſtimulans hujus ſalis notiſſimus eſt inter clyſteres, nam certe una drachma ſalis communis in clyſteribus plus præſtat quam uncia una aliorum purgantium, & ſi quando reliqui omnes clyſteres ſubſiſtunt, & carent effectu, clyſter ſalinus tantum ex ſale & aqua paratus certiſſime eam referabit, & reliquos ad exitum promovebit.

17 De ſalis nitri laxante virtute nemo eſt ex medicis, qui ulterius dubitet, unde etiam ubi metus eſt alvi fluxus, ab ejus uſu cavere ſolent. Hartmannus *in praxi* miſcet nitri unciam cum menſura una aquæ pro potu febricitantium. Scroederus in hunc locum ſcribit, quod non tranſcendat ſcrupulos quatuor & tamen ſæpius alvi fluxus concitet. Nos in omnis generis febribus non melius novimus remedium ipſo nitro tam propter virtutem refrigerantem, quam ob id, quod alvum ad fluiditatem diſponat, quod beneficium tanti eſt, ut non ſatis ad ſanandas febres poſſit æſtimari. Quoniam vero de vitriolo jam ſuperius mentionem injecimus, de nitroſo, calcareo, neutro, amaricante ſale, quale in copia nonnulli fontes cuſtodiunt, etiam aliquid dicendum eſt. Aſſerimus vero plurimas acidulas Germaniæ ſcatere tali ſale nitroſo neutro, arcano duplicato valde proximo, & ob id ſuam aperitivam purgantem virtutem accipere; ſicuti in *Diſſertatione de methodo examinandi aquas ſalubres* latius demonſtratum eſt. Abundantiſſime hoc ſal etiam in fontibus Egranis exiſtit, ex quibus quoque magna in copia arte paratur, Schvvalbacenſibus, Wildungenſibus, Tonſteinenſibus, & omnis effectus ſpiritui æthereo & huic ſali eſt adſcribendus. Quod exinde diſcimus, quando videlicet ſal ex Egranis aquis elegantiſſima ante productum, ſumimus ad unciam unam & in aqua ſufficienti ſolvimus, emergit liquor, qui totus hauſtus quinque vel ſex ſedes ſine omni moleſtia movet, appetitum excitat, & magnos effectus in chronicis morbis edit. Sæpius in me ipſo & in aliis cum arcano duplicato feci experimentum, & ad unciam unam in menſura dimidia aquæ ſolutum hypochondriacis, intermittentibus lentiſque febribus laborantibus egregio cum commodo propinavi. Suſtulit ſæpe unica doſis febres, & ſedes tres vel quatuor movit.

18 Hujus commatis quoque ſolet eſſe ſal illud ex alumine paratum febrifugum purgans, de quo mentio reperitur in B. Hoffmanni *clave pharmaceutica pag.* 348. *Ego*, inquit, *ex alumine cum alcali quodam combinato egregium novi conficere ſal cryſtalliſatum abſterſivum purgans, tutiſſimum in febribus & aliis affectibus, ubi curatio alias per colliquativa purgantia non facile expedienda eſt, uſurpandum. Doſis eſt a ſcrupulo uno ad drachmas duas vel ultra in brodio calido, habet vim ſaponariam, abſterſivam ac diureticam.* Ipſe hoc ſal loco arcani duplicati frequentiſſimo habeo in uſu, quod in omnibus huic eſt ſimile, ſed extendi ejus doſin in fortioribus ad unciam ſemis, imo ad unciam unam, ubi alvum in iis ſubjectis egregie aperit, quæ alias fruſtra purgantibus exercentur. Obſervavi de laudato ſale aliquoties hoc peculiare, quod affrictu in tenebris lucem ſparſerit.

19 Notabile porro eſt, quod alumen ſtyptica virtute alias clarum certa quantitate mixtum cum ſale communi & aqua coctum & ad cryſtalliſationem repoſitum degeneret in ſal amaricans auſteritatis expers, quod ad drachmas quinque vel ſex datum cum ſufficienti quantitate potus egregie ſedes movet. Breviſſimis; omnia ſalia neutra, tartarus tartariſatus, tartarus vitriolatus, tartarus nitratus, terra foliata tartari, ſolutio oculorum cancri, ſufficienti in doſi, & cum largo vehiculo ſumta, egregie primarum viarum ſordes aliquot ſedibus ſine ullo incommodo languore vel violentia expurgant. Et unice id in exhibitione horum remediorum deſidero, quod in certis caſibus non dentur in ingenti doſi, nec eorum uſus continuetur. Quod autem in ſalibus potens inſit vis expurgandi humores per alvum, vel hoc ipſum evidenti teſtimonio eſſe poſſet, quod ad acuenda purgantia, eorumque efficaciam intendendam ſalia addita egregie inſerviant. Ita ex ſagacioribus medici ſalia dicta neutra paucis ſaltim granis verbi gratia diagrydii, jalapii, admiſcere conſueſcunt, & obſer-

va-

varunt, quod unum granum diagrydii cum ſcrupulo ſemis tartari vitriolati mixtum plus operetur, quam ſi ad grana ſex diagrydium fuerit ſumtum, quod etiam valet in cæteris.

20. Perluſtravimus hactenus ſalium mediorum claſſem quo modo & qua doſi alvum laxandi vim habeant. Aquas quoque minerales laxantes ob idem principium ſalinum efficaces obſervavimus. Dicendum jam etiam eſt de nonnullis vinis, quæ in convenienti quantitate ſumta eximie alvum aperiendo multas ſordes educunt. Referri huc maxime debent vina Moſellana, quæ non modo propter temperiem, qua gaudent, & diureticam virtutem æſtumatiſſima ſunt, ſed quod peculiariter alvum altero die ſatis ſtrenue moveant, qua de cauſa etiam omnium ſaluberrima ſolent judicari. Cauſas hujus peculiaris effectus ſi exquirimus, non alias invenire in expedito eſt, quam quod copioſo ſale, non tam tartareo, quam potius nitroſo calcareo ſcateant, cui ipſorum virtus eſt tribuenda. Relatum namque nobis eſt, quod ubi vites creſcunt ſolum valde fœcundum ſit ſale nitroſo tartareo amaricante, a quo etiam plurimi fontes & aquæ, teſtibus Tonſteinenſibus, ſaporem ſalubremque virtutem muntuantur. Hoc ſal cauſa quoque, eſt quod hæc vina amariuſculum ſaporem præbeant, virtute diuretica & aperitiva prædita ſint, nec facile inebrient, inque ſubjectis & morbis calidis, æſtate quoque melius aliis ferri poſſint.

21 Expoſita ſic virtute ſalium mediorum deterſoria, ſequitur ut circumſpiciamus, num acidis, ſive in forma ſicca, ſive fluida conſiſtant, etiam eadem virtus poſſit attribui. Occaſionem dubitandi ſubminiſtrat, quod acida adſtrictivæ ſint indolis, ſtimulum bilis enervent, poros conſtringant, humores incraſſent; at vero non perpetuo id eſſe verum ſequentia indicabunt. Spiritum ſalis rite præparatum diureticum eſſe in eo hactenus, ut memini, convenerunt omnes, ſed laxante virtute inſtructum, paucos memini, qui adfirmarunt, verum hoc experientia diſcimus. Degit Cizæ non imperitus chymicus, qui ſequentem in modum hoc ſpiritu utitur. Inſtillat nempe ipſum ad guttas decem in menſuram dimidiam aquæ fontanæ. Hanc mixturam mane jejuno ventriculo ſimul & ſemel hauriendum imperat, in calore præternaturali, febrili, bilis commotione ab iracundia, a copia vini, ita egregie præcipitat æſtum, ſitim exſtinguit, aliquot ſedes alvinas movet, urinam pellit & appetitum excitat. A ſpiritu nitri inſtillato eximia quantitate julapiis pro extinguendo calore febrili, quam methodum uſu quondam habuit Mindenſis practicus, alvum inde fluidam redditam non ſine notabili emolumento vidi; aliquando tamen a paulo liberaliori inſtillatione hujus ſpiritus etiam ſanguis prodiit, verum ſine damno. Clyſſus antimonii ſulphuratus quod ſimilem in finem potui intermiſceri ſoliat, practicis notiſſimum. Hic autem nonniſi ſpiritus nitri & ſulphuris, penetrantiſſime acidus eſt. Meretur huc adduci, quod de hoc ſcribit Wedelius *in libro de medicamentorum facultatibus pag. 152. Acidulæ*, inquit, *artificiales, ſive clyſſus antimonii ſulphuratus alvum ducit & ſimul uti & acidulæ naturales urinam pellit*. Hinc in praxi obſervamus, tota die potui febricitantium inditum alvum apertam tenere, ut hoc loco & largior paulo aſſumtus iiſdem non noceat. De ſpiritu vero & oleo vitrioli major eſſe poſſet dubitatio: verum, ſi in notabili quantitate offertur & magna copia aquæ ſuperingeritur, certiſſime & alvum laxabit. Quinimo ipſum elixir proprietatis ſecundum Paracelſi methodum vulgariter paratum cum ſpiritu & oleo vitrioli, teſte experientia, plus laxat ducitque alvum, quam ſi ſine acido vel liquore alcalino fuerit confectum. Et quod attinet ad oleum vitrioli, & hoc ipſum quod vehementer ſatis exerceat alvum, confirmat uſus elixirii ſic dicti polychreſti purgantis, quod in pharmacopolio Glauchenſi proſtat. Paratum hoc eſt ex oleo vitrioli, ſpiritu vini & purgantibus, acidiſſimum eſt corroſivum, valde amarum. Hoc in febribus ardentibus ad guttas viginti aliquoties de die cum regimine propinare ſolent, ut magnam quantitatem cereviſiæ tenuis ſuperbibant, non ſine ſucceſſu, uti aliquoties,

ubi

ubi desperata cuncta videbantur, observatum fuit. Credibile est, ab acido vitrioli tunicas ventriculi rodente & vellicante plus dependere hunc effectum, quam ab admixtis purgantibus, quorum energia, uti notum est, ab acido tam forti valde cicuratur.

22 Dum hæc scribimus, in memoriam incidit, non ita pridem a duobus medicis collegiis, quod hodierno tempore incredibile visum, renunciatum fuisse ad acta famam & vitam concernentia, spiritum vitrioli singulis diebus ad guttas decem per mensis spatium sumtum mortem ex absoluta necessitate intulisse, cum tamen ab hujus usu ægra bene valuit, menses habuit, donec post octo septimanas inflammatione anginosa fuerit exstincta. Cujus mortis causam, per assumtum spiritum vitrioli, qui inter acida corrosiva imbecillimus, per tantum temporis spatium inaudito exemplo sine corrosione existentem, quo ratiocinio solito, & connexione cum physicomechanicis principiis, quaque certa & vera experientia stabilire & corroborare possint, adhuc desideratur. Spiritui vitrioli occultam quandam virulentiam adscripserunt quidam ex veteribus, sed meliora experimenta chymica & practica edocti plane contrarium adserunt, & crudum spiritum vitrioli phlegmate suo sulphureo, quod Helmontius realgaris nomine insignavit, saluberrimum judicant, experientia communissima tot hominum talem spiritum cum fructu quotidie fere usurpantium id suadente. Turpe est sane in rebus, ubi certitudo haberi potest, opinionibus & conjecturis solis plus fidere, quam inquisitione accuratiori rem tractare.

23 Verum ut in viam redeamus, utique acida egregio pollent laxandi effectu. Videmus id manifesto in cremore tartari, imo in tartaro crudo, in sale acetosellæ essentiali, sale succini bene temperato acido, tamarindis acidis; hæc in dosi debita alvum non modo lubricam & laxam, sed quandoque fluidissimam reddunt. Nam si sola, uti nostra est sententia, irritatio, vellicatio, arrosio, non tam in una parte intestinorum, sed in pluribus simul sufficit, ut motum peristalti-

cum intestina intendant, & alvi fluxum secundent, acida id optime perficere possunt. Monendum tamen circa eorum usum judicavimus, ut ubi pectus laborat vitio, ubi bilis deficit, dispositio ad spasmos ad melancholica, hysterica & hypochondriaca pathemata est, ubi excretionis sanguineæ consuetæ suppressio est, ut nos, quoad fieri poterit, ab eorum usu temperemus. In omni autem biliosa, præcalida, sanguinis & humorum commotione, alvique inde pendente siccitate, horum usum magni facimus.

24 Ulterius devenimus ad hanc quæstionem, num in salibus fixis alcalinis virtus alvum aperiens quoque latitet? minus quidem hoc notum est, nec in ullam hac de re in medicorum libris invenimus mentionem. At vero si experientiam ante oculos toto die versantem consulimus, debemus utique id ipsum plenissime adfirmare. Nam si spectamus thermas plurimas Germaniæ, præsertim Carolinas celebratissimas, hæ copiosissimum fixum alcalinum salem in sinu suo recondunt, quod etiam arte ex iis extrahi potest; videatur Dissertatio nostra *de methodo examinandi aquas salubres*. Iam vero quem latere, nisi imperitum, potest, has thermas, modo sufficientes potentur, sine ullo incommodo, dolore aut molestia alvum decem vicibus & ultra pauco tempore sollicitare. Ut autem certior res fieret, sumsi hoc sal extractum ex thermis istis, secundum omnia sali tartari simillimum, & ejus unciam solvi in mensuris duabus aquæ, idq; in aqua calida solutum bibi: similis, purgans, diaphoreticus & diureticus respondit effectus. Neq; dubitari poterit, thermas nos posse artificio imitari, modo sal alcali ex calcaria terra & spiritu acido minerali paratum sumamus, idque solvamus in aqua calida; sed hanc rem alibi fusius deduxi.

25 Consideravimus hactenus ea, quæ partim subterranea loca, partim chymica ars ad alvum expeditam fluidamque reddendam nobis largiuntur. Ordo jam postulat, ut etiam, quæ ex vegetabilibus possint depromi in usum medicum, circumspiciamus. Dicimus vero primum, plerosque fere succos plantarum, quæ

odore carent, ſapore autem amaro et nitroſo vel acido pollent, deterſiva et laxante virtute gaudere. Ex his commendari merentur ſuccus aſparagi, betulę, braſſicæ, cardui benedicti, radicis cichorei, centaurii minoris, anagallidis, fumariæ, ſcabioſæ, epithymi, portulucæ, graminis, hederæ terreſtris, lactucæ, mercurialis, atripicis, ſcordii, ſenecionis, et dulcium fructuum. Tales ſucci prius calefacti et in debita quantitate poti, vel ſoli, vel cum ſero lactis, aut aqua calida, egregiam virtutem aperitivam alvum laxantem exſerunt; ineſt enim dictis hiſce herbis ſal elegantiſſium ſubtile tartareum et nitroſum, quod eſſentiale vocant, et arte quoque ex ipſis poteſt extrahi. Placet huc adducere eximium locum ex Pechlini *obſervationibus ſcilicet obſ 9. pag. 337.* Ubi ait; *cichorei ſuccus plurimo nitro abundat, quippe quod chymici dexteritate inde extractum vulgaris nitri inſtar & figuratum & inflammabile vidi: item in Portulaca, ſuccolentiſſima planta, obvia quoque eſt nitri copia, quando illud cryſtalliſatum in totidem angulos facieſque excreviſſe obſervavi.*

26 Præterea ex vegetabilium claſſe plures herbarum et arborum flores ſubtili ac tenero ſale acri, viſcoſis particulis immerſo, fœcundi ſunt, et ob id blande alvum molliunt, eamque ducunt. Ejuſmodi generis ſunt flores perſicorum, acaciæ, violarum, bellidis, borraginis, calcatrippæ, cheiri, item roſarum recentium, hepaticę nobilis, fumarię, rhapontici veri, ebuli, qui vel cum infuſo in vino, vel expreſſi in ſuccum, tempore pręſertim vernali, egregie alvum commovent. Intenditur vero eorum vis, ſi aliquid de tartaro, agarico, aromatibus adjiciatur. Ex ſeminibus vegetabilium ſemen violariæ in emulſionem redactum gratiſſimam eleganti virtute non ſaltim diuretica ſed et purgante pollet, ut drachma una quatuor ſedes quandoque ciere ſoleat. Valde accommodatum eſt infantibus, et iis qui nauſea medicamentorum afficiuntur. Virtus hæc præſtantiſſima adeoque commendatiſſima hujus ſeminis parum nota eſt; meminit ejus Scroderus *in pharmacopœia, qui lib. IV. p.* 147. hęc habet: *ſeminis violarum uſus rarus eſt, iſque in obſtructione renum, ubi emulſionibus potiſſimum inſervit, de quibus nota, quod plerumque vomitum ac ſeceſſum moveat.* Verum monendum, quod virtus emetica accipienda ſit de recentiſſimo ſemine. Nam generalis eſt regula, quod omnia purgantia ex vegetabilibus, ſi fuerint recentiſſima, ob ſal acre volatile cum alvo ſimul provocent ventriculum ad vomendum.

27 Progreſſum jam facimus ad ea vegetabilia, quæ reſina quadam ſubtili acri pollent, ex quibus aliqua delibabimus, quæ ſunt tuta, utut non valde uſitata. Maxime omnium vero non ignorari oportet, omnia reſinoſo-gummata, quæ multum olei & ſpiritus acidi per deſtillationem fundunt, & acredinem in lingua relinquunt, laxante quadam virtute gaudere. Ita, verbi gratia, gummi galbanum, ſagapenum, ammoniacum, bdellium, oponax, myrrha qualitate ſtimulante imbuta ſunt. Gaudent enim ſubtili acri ſale, quod enaſcitur ex commixtione olei & acidi, quibus conſtat. Quapropter non ſine ratione veteres & recentiores hęc gummata in pilulas receperunt, hypochondriacis convenientes, quo nomine Quercetanæ, Conerdingianę claræ ſunt. Abſtinendum tamen ab iis eſſe cenſeo, quando humores bilioſi, fervidi, prędominiũ habent, & phlogoſes atq; exęſtuationes cauſantur. Ob eandem cauſam nempe, ſal tenerum acre immerſum particulis ſulphureis, etiam terebinthina, Peruvianum balſamum, liquida ambra, reſina ladani, ſtimulante ſua virtute ad alvum aperiendam faciunt. Coni abietis in principio veris collecti, & loco thee cum aqua calida infuſi, & ſaccharo canto melioris gratię ergo edulcorati, ſcorbuto frigido affectis eximie ſuccurrunt. Nam non modo urinam cient & alvum apertam tenent, ſed & humorum & ſanguinis maſſam commovent, et excretionem totius corporis optimum in modum ſecundant.

28 Inſuper egregium ſtimulans latitat in ligno guajaco; hoc non modo copioſa reſina, ſed et acerrimo ſale imbutum eſſe variis experimentis evinci poterit. Prętera alia vero ipſius decoctio facta in aqua communi, ſapore teſte, id comprobat. Hæc

ſi inſpiſſatur, largitur magma odoris balſamici, ſaporis acris, quod naribus exceptum potenter ſternutamentum movet. De quo jam olim egi in diſſertatione *de ſternutatoriorum uſu & abuſu*. Hæc ipſa ſubſtantia, acris, balſamica, vel per ſe in pilulis, vel melius in pulvere ad ſcrupulum ſemis ſumta, præſertim ſi aliquot grana ſalis neutri admiſcentur, inſigni cum euphoria alvum ſtimulando quatuor, imo ſex ſedes movere ſolet. Eadem virtute, quamvis remiſſiore, præditum quoq; eſt gummi guajaci, quod eum in finem inter balſamicas pilulas optime recipitur. Ulterius notum eſt gummi benzoes puriſſimum, ſapore acri, & ſternutamento teſte, ſubtili acri ſale abundare, & eam ob rationem quoq; opportune ingreditur pilulas cephalicas catharrales & balſamicas, cum autem in floribus ſal illud acido acre magis ſit congregatum, hinc etiam obſervatur, quod ii ipſi ad alvum ſtimulandam meliores & aptiores ſint. Duo hæc nempe benzoes flores, & extractum decocti guajaci, ratione virtutis ſtimulantis nares & alvum, hactenus, quantum ſcimus, minus nota fuerunt, a me tamen ſæpius commendata.

29 Reſtat adhuc aliud quoddam tutiſſimum ſtimulans parumper etiam cognitum, quod tamen meretur commendationem, & eſt eſſentia centaurii minoris cum ſpiritu vini rectificatiſſimo, & melius cum ſpiritu cochleariæ facta. Hæc ad guttas ſexaginta vel ultra, propinata ex obſervatione & uſu multiplici cum ſummo emolumento alvum aliquoties aperit. Qua virtute etiam reſplendeſcit extractum, quamvis paulo languidius. Supereſt adhuc ut ex notis & vulgaribus iſtis purgantibus tutiora & ſelectiora commendemus. Inter hæc autem primas partes tenet rhabarbarum & folia ſennæ, utraque in infuſo. Porro tamarindi in decocto, & deniq; extractum hellebori nigri in pilulis: mechoacanna vero in pulvere vel eſſentia. Reliqua omni cauſtica potentia in majori doſi plane diſſuademus; in remiſſiori autem, e.g. ad duo vel tria grana pro una doſi ſi fuerint remixta cum ſalibus & carminativis, qua doſi & methodo ea ſæpius utiliſſima ſumus experti.

DISSERTATIO XIV.

DE

CAUTO ET PRÆSTANTISSIMO VOMITORIORUM USU.

§. I.

QUicunque in ſalutaris & pœne divinæ artis noſtræ exercitio dextre verſari, & officio medici exacte ſatisfacere nititur: illi profecto nihil prius eſſe debet, nihil poſterius, quam ut proprias & genuinas remediorum, quibus utitur, vires, indolem & operationes, pro diverſa tot ægrotantium natura ac corporum conſtitutione, nec non morborum indole eorumque cauſis, probe intelligat intime pernoſcat. Nihil enim ad rectam, ſecuram & ratione ſubnixam medendi methodum magis neceſſarium eſt, quam exquiſitum ac certum, pro morbi & ægrotantis conditione, debito tempore, convenienti regimine, juſto ordine & congrua menſura, appropriata auxilia præſcribendi ac offerendi judicium. Quomodo autem cum recta ratione & ſolido fundamento id præſtare velit & poſſit medicus, equidem non video, niſi prius ipſorum remediorum agendi principia & elementa, variamque partium, quibus componuntur, mitionem atque texturam, non ſolum a priori, tum ſenſuum, tum artis chymicæ miniſterio, explorarit, ſed etiam a poſteriori, per varias obſervationes & experimenta practica, eorum effectus atque operationes plenius cognitas habuerit atque perſpectas. Et quum pauci ex iis, qui medicinam faciunt & eruditorum nomen frivole affectant, medicamentorum facultates & pro tanta ægrorum & cauſarum morbificarum varietate, mirum diſſidentes virtutes penitius cognoſcant & perfectius intelligant: minime certe mirandum eſt, tantos non ſolum lapſus, tamque graves errores, in explicando contrario ſæpius & quandoque plane noxio medicaminis cujuſdam effectu committi, ſed in tam diverſum

etiam abire animos, in quorumdam remediorum æque commendatione & uſu, ac infamatione & vitatione: ita ut nonnunquam idem medicamentum a quibuſdam inſigniter celebretur & ut ſumme proficuum collaudetur, aliis viciſſim hoc ipſum magnopere diſſuadentibus & ut nocivum reformitantibus.

2 Iniquiſſimam vero hanc ex medentum inſcitia ſortem ea præſertim experiuntur remedia, quæ præ reliquis vegetiori & validiori agendi potentia ſunt inſtructa: utpote quæ, quo majori & inſigniori virtute, ſi caute atque prudenter exhibentur, pollent; eo gravius utique damnum, perperam oblata, inducunt. Et ſicuti hoc de omnibus ſic dictis heroicis medicamentis quotidianæ ferme obſervationis eſt; ita certe vix ullum ex eorum cenſu eſt, quod tantopere ſuſpenſos tenuit & in tot ſententiarum divortia pertraxit medicos, quam vomitoria. Viderant nimirum nonnulli, emetica veneni indolem æmulari, & exigua admodum mole validiſſime operari & atrocia nonnumquam ſymptomata, ſtomachi nempe ardorem, anxietates, oris pallorem, labiorum tremorem & ſuſcitare alia. Cogitarant, ipſam vomitionem eſſe ejuſmodi excretionis ſpeciem, quæ, tantum abeſt, ut ſecundum conſuetum naturæ ordinem contingat, ut potius eundem pervertat, & inverſo plane ordine procedat, ipſumque reciprocum ventriculi motum retro urgendo, nonniſi ſumme violenta ſit & aliena. Obſervarant præterea noxium ſæpius & pernicioſum effectum, apoplexiam, cęcitatem, cruentum vomitum ipſamque mortem a vomitoriis eſſe productam. Et his potiſſimum rationibus inducti, emeticis indelebilem maculam inurendam eademq; e foro medico merito penitus proſcribenda eſſe cenſuerunt. Alii contra, ipſa experientia edocti, noverant, venenum quandoque in ſalutarem medicinam cedere, & vomitoriorum incomparabilem prorſus eſſe utilitatem ac præſentaneam in debellandis morbis opem; neque ob id mirificis encomiis eadem dilaudare dubitarunt, ita ut ſine eorum uſu rebellium morborum ſanationem fruſtraneo conatu ſuſcipi aperte profiterentur, & vix morbus eſſet, in quo non vomitum moventia ſuaderent ac commendarent.

3 Verum vero quemadmodum priorum opinionem in Aſclepiade, qui teſte Plinio, H. N. *lib. 26. cap. 3.* vomitum penitus rejecit, jure reprehendit Celſus, *lib. 1. cap. 3.* ita certe parum circumſpecti & imperiti eſſet, in emeticorum laudes tantum excurrere eorumque uſum ultra prudenter, conſtitutos limites proferre, nimiaque promtitudine & liberalitate in eorum oblatione uti; quin potius media ineundum eſt via, & ſagaci rationis uſu diſpiciendum: an & quare in hoc vel illo morbo, in alio & alio ægrotante, conducant vel noceant? Sed hoc opus, hic labor eſt, quem irrito ſane auſu adgrediuntur, qui remediorum verum & rationalem operandi in corpus modum ignorant, fructuoſe vero & exoptato conficiunt, qui rationum phyſico mechanicarum & anatomicarum ſolida cognitione adjuti, in horum remediorum agendi principia, in effectus, quos in corpore humano, pro indole cauſarum morbum excludentium, nec non pro ratione temporis, producunt, ſummo ſtudio inquirunt. Quæ quum ita ſint, non inconſultum fore duxi, ſi hoc arduum quidem, ſed ſummæ utilitatis argumentum, ſpeciminis inauguralis loco mihi explanandum ſumerem, & *obſervationes* non adeo tritas atque vulgares *de cauto & præſtantiſſimo emeticorum uſu* cum publico communicarem.

Obſervatio. I.

Exquiſita & ſtupenda partium tenuitas eſt in emeticis, qua tam violentos & vehementes in corpore ſuſcitant motus: unde ſumma cum moderatione & provida manu doſis eorum determinanda.

Scholion.

Quanta partium ſubtilitas, vis & potentia emeticis, ſive ex mineralium, ſive vegetabilium familia petitis, inſit: inter cætera vel ſola exigua moles ac doſis, qua oblata vehementiſſime non modo primas vias, ſed & alias a ventriculo longius remotas partes exagitant, luculentiſſi-

tiſſime arguit. Inprimis autem in antimonialibus mira particularum exiguitas eſt & ſumma teneritudo, qua potentiſſimæ operationis ſunt, licet ſenſuum miniſterio non percipi poſſit, eadem quicquam ipſorum ponderi deceſſiſſe. Nam fruſtum vitri antimonialis, hyacinthini coloris, ſcrupulum circiter æquans, vino Rhenano ſub moderato calor immiſſum, tam validæ virtutis eſt, ut iterata vini aliquoties infuſione, vel centum robuſtis, vomitu ſatis vehementi expurgandis, ſufficiat. Nota etiam ſunt pocula emetica, quæ ex duabus ſtanni Anglicani & una reguli antimonialis parte concinnantur. In his ſi aliquandiu detinetur vinum, expeditiſſima vomitiva virtute illud imbuunt, quæ nunquam aboletur, ſed tantę firmitatis atque conſtantiæ eſt, ut procurato myriadibus vomitu, poculum ne ſenſibile quidem ponderis decrementum inde patiatur. Ipſe tartarus emeticus, qui ex vitro antimonii & cremore tartari paratur, longe vehementioris operationis eſt eo, qui ex croco metallorum communi more conficitur, & tria hujus grana, vix tanta vomendi vi pollent, quam unum illius, cujus tamen vix vigeſima pars antimonialis proſapiæ eſt. Famigeratiſſimus porro noſtra ætate eſt pulvis ille emeticus Monckii, gallice Ramoneur dictus, qui ex nitro & antimonii regulo, in crucibulo calcinatis, præparatur, ope certæ cujuſdam encheiriſeos, qua neglecta, vis vomitoria illico in mitiſſimam tranſit diaphoreticam. Nimirum ſi una pars reguli & tantundem nitri depurati & exſiccati miſcentur, & ambo crucibulo immiſſa calcinantur, in calcem accerrimam utuntur, quæ ſpiritus vini rectificatiſſimi affuſione, prævia digeſtione & repetita infuſione, celebratiſſimam illam metallorum tincturam elargitur, remanente in fundo calce antimoniali diaphoretica, omnis virulentię experte. Si vero eadem & reguli & nitri portio ſumatur, nec ſimul & ſemel commiſceatur, & crucibulo indatur, ſed regulo fuſo, ſucceſſive & per vices nitrum adjiciatur, & ſcoria demum, in ſuperficie hęrens, ſemper eximatur & removeatur, quouſque omnis regulus cum nitro in ſcorias abierit & tunc his ſcoriis eodem modo puriſſimus vini ſpiritus aliquoties in ſufficienti quantitate infundatur, quo lixivioſum illud & acre ſal cum nitro tranſcendat in ſpiritū, reſiduus in cucurbita pulvis ad grana aliquot, ſex vel decem propinatus, non raro pro diſpoſitione corporis & humorum vomitiones ſat violentas concitat. Cujus tam diverſæ operationis cauſam ſi quis ſcrutetur, vix aliam deprehendet, quam quod ſcoria illa, in ſuperficie reguli, inferiorem carini partem occupantis, hærens, ſubtiliſſimis reguli exhalationibus impręgnetur, quæ nitro non cicuratæ vel inverſæ, vehementis illius & vomitivæ facultatis materiam præbent. Hinc etiam antimonium diaphoreticum, mitiſſimum alias omniſque vehementioris operationis expers pharmacum: illico inſigni vomitiva facultate imbui poteſt, quando nimirum regulo in crucibulo fuſo injicitur, quo exhalantes e liquefacto illo & ſpumante agiliſſimas & tenuiſſimas particulas abſorbeat, inque ſocietatem ſuam admittat. Et ſæpius obſervavimus, ipſum hoc antimonium diaphoreticum, cum tribus nitri partibus non rite præparatum & uſtum, quandoque in corporibus diſpoſitis nauſeam & vomitum ſuſcitaſſe, quod maxime contingit, ſi globuli regulini, forſan ex improvida pulveris carbonum admiſſione & inde facta reductione, prognati, calci diaphoreticæ adhuc interſperſi ſunt. Neque vero tantum vomitoria antimonialis familiæ in exigua doſi vehementes in corpore concitant commotiones, motuſque ventriculi, inteſtinorum & œſophagi præter naturam invertunt, ſed minima etiam portio cupri, quod unicum ex metallis emeticum eſt, ad vomitum poritandum ſufficit. Vitrioli enim ciprini, quod cæruleum a cupro mutuatur colorem, grana tria quatuor emeſin ſuſcitare valent; id quod etiam vitriolum album eodem ferme modo præſtat. Antiquiſſimis medicorum hæc activæ indolis e minerali regno depromta remedia plane ignota neque in uſum recepta fuerunt, ſed ad vehementiores per ſuperiora & inferiora evacuationes ſuſcitaneas, neceſſitate id exigente, ſolo helleboro, præſertim albo, uſi ſunt. Quam

enormes autem pariter exigua aliquot granorum hellebori alibi doſis turbas, in univerſa corporis œconomia irritando & exturbando concitet, in propatulo eſt: ut niſi aliorum admixtione probe corrigatur & ſubigatur, inſtar veneni perimat homines, vel in miſerum valetudinarium ſtatum dejiciat. Nihilominus tam tenera & ſubtilis partium in eo eſt compages, ut ſola paullo diuturniori ex aqua ſimplici decoctione, omni virtute draſtica penitus privari poſſit, & tuto poſtmodum aſſumi; quod etiam eadem ratione cum tabaco, aſaro aliiſque emeticæ & draſticæ virtutis vegetabilibus ſuccedit. Similiter gummi guttæ, ſi ad grana ſex vel decem propinatur, non modo per inferiora, ſed etiam ſuperiora, inſigniter & vehementior purgat: ſi vero id ipſum paullo diutius cum aqua decoctum fuerit, quo ſub coctura tenue illud & virulentum principium in auras aufugiat, catharctica vis ex toto perit. Folia vel etiam radices aſari, nec non cortices medii, radicis & arboris ſambuci, recentes, ſæpe ſuperius & inferius materias exturbant, aſſervati autem, præſertim æſtivo tempore, aliquandiu, hanc virtutem penitus exuunt. Plura porro ſunt ex fortioribus purgantibus, ut gialappa, ſcammonium, hermodactyli, eſula, ſoldanella, gratiola & alia id genus, quæ, ſi recentia fuerint, præter dejectiones alvinas, etiam vomitum cient; quod tamen minime accidit, ſi in pulverem redacta, in libero aere diutius fuerint detenta. Experti quoque ſumus, radicem ipecoannæ, ſi in pulvere per annum & ultra liberiori aeris aceſſui pateat, vel ex parte, emeticam vim perdere, ut minimum longe majori doſi ea tunc propinari debeat. Denique tenuiſſima illa & inſigniter activa emeticorum facultas dilucide ex eo pateſcit, quod exterius tantum admota, interiora promtiſſime ſubeant, & eo delata, vomitum illico proritent. Fidem hujus rei faciunt M. N. C. *Dec.* II, *A.* I. *obſ.* 43. ubi memoratur: quod decoctum croci metallorum, in puero trienni, herpete laborante, exterius applicatum, vomitum produxerit. Et teſte Hildamo *lib. de dyſenteria*, quidam ad emeſin movendam radices hellebori albi orificio ventriculi imponi, aut orificium hoc, & ventrem ſupra umbilicum, unguento de arthanita inungi jubent. Quæ quum tam vera ſint, quam quæ veriſſima, cautiſſime certe erit mercandum & ſumma cura providendum, ne unquam in emeticorum oblatione doſi excedamus, in corporibus præſertim tenellis & ad anomalas commotiones admodum pronis. Hanc enim ſi medicus pro diverſa indole ſubjecti laborantis, partium nervoſarum conſtitutione & virium quoque ratione, non ſolicite diſtinguit & circumſpecte moderatur: præſentiſſima, & haud raro, niſi cito ſuccuratur, immedicabilem noxam inferre poteſt. Quare etiam ſagaces & prudentes medici, non tam inconſiderato & promte, ſed expenſis omnibus circumſtantiis ægri, morbi & temporis, ad hoc remedii genus deſcendunt, multo minus peregrinis & in exteris locis degentibus illud præſcribunt atque committunt.

Obſervatio. II.

Sicut omnia activioris indolis & operationis medicamenta: ita etiam ea, quę vomitum valide provocant, in nerveo-membranaceas corporis partes, & primario quidem in ventriculum & inteſtina ipſiſque contermina, vim atque efficaciam ſuam exſerunt.

Scholion.

Per activioris naturæ & operationis medicamenta intelligimus ea, quæ ingentem mutationem ſolidorum & fluidorum motibus celeriter inducendi facultate gaudent, & excretiones vel præter conſuetum ordinem & modum augent & intendunt, vel nimias ſiſtunt atque compeſcunt. Priorum cenſum ſubeunt omnia draſtica & acriora, ἄνω καὶ κάτω evacuantia, nec non quæ ſalivam, urinam & ſudorem impetuoſius cient, aut ſanguinis profluvia eliciunt. Inter illa vero, quæ effrenes ſolidorum & fluidorum motiones ſedant vel ſiſtunt, narcotica principem ſibi vindicant locum. Omnia hæc ac ſingula ſumma partium, ſive ſulphu-

phurearum, ſive ſalinarum, tenuitate & ſubtilitate in tenerrimas tunicarum nervearum & muſculoſarum fibras penetrando & agendo, tum ſenſum, tum motum, & ſyſtalticum & diaſtalticum, cujus beneficio omnis generis fluido per canaliculoſam partium texturam truduntur & volvuntur, diverſimode afficiunt atque immutant. Nam pro diverſa activi in medicamentis principii ratione, & pro varia etiam nervoſarum partium ſtructura, longe multumque effectum variare, vel ex eo luculenter apparet, quod quæ vomitum cient, potiſſimum in ventriculum & duodenum, quæ alvum ſubducunt, maxime in inteſtina, quæ diureſin proritant, in tubuloſam renum ſubſtantiam, nec non ureteres atque veſicam, quæ diaphoreſin procurant, in arteriarum tunicas & tubulos ſubcutaneos, & quæ ſalivæ fluxum exprimunt, in ſalivales glandulas, vim atque potentiam ſuam edant. Quæ certa & conſtans effectuum obſervatio, ſola ad uſum practicum & medentis ſcopum obtinendum ſufficit, neglectui data omni ſubtilioris theoria, ſeu potius ſublimi ſpeculatione, quomodo nempe remedia agant in has vel illas partes? qua textura, vel figura partium id fiat? Item: quid moveat ſolida corporis noſtri? vel motum periſtalticum ventriculi & inteſtinorum efficiat? num fluidum, per nervos aut arterias allatum, ſit mobiliſſimum? aut an principium quoddam agens, vel ratione præditum, vel eadem carens, motus in corpore perficiat? Hæc omnia enim nimis abſtractæ, ſubtilis & reconditæ indaginis ſunt, ac ne hilum quidem ad tutam morborum perſanationem & prudentem remediorum adminiſtrationem conferunt. Id vero noſſe oportet medicum, dari emetica mitiora & fortiora; quorum illa in ventriculum & ei annexum duodenum agunt, ac moderate nec impetuoſe nimis expellunt: hæc autem, non modo eaſdem partes fortius exagitando, evacuationem vehementiorem moliuntur, ſed etiam in reliqua tenuja inteſtina, eorumque glandulas & confines ductus, quæ bilem & ſuccum fermentalem e pancreate advehunt, latius vim ſuam diffundunt, & varii generis excrementitias materias e remotis etiam ſedibus alliciunt atque eliminant. Inter clementiora & magis diætetica, veteribus maxime familiaria, aquæ tepidæ, cum, vel ſine ſale & melle mixtæ, celerius hauſtæ copia, connumeranda, vel ſolennis recentioris ævi medicis radicis iſpecacuanhæ, aut tartari emetici, nec non pulveris regulini, præſcripto Monckii parati, panaceæ emeticæ Glauberianæ & Conerdingianæ, uſus, quæ parciore doſi & ſufficienti cum vehiculo exhibita, primam ſic dictam regionem, a corruptorum, ex bilis pravę, acidorum ſuccorum & malæ digeſtionis cruditatum coacervatione emergentium, ibique locorum ſtabulantium humorum ſorditie, inſigniter, blande tamen, deplent. Quod ſi vero hæc ipſa, antimonialis præſertim proſapiæ pharmaca, liberaliori manu propinantur, non tantum intra ventriculi & duodeni pomœria ſubſiſtunt, ſed intimius penetrando, in continguas etiam & adjacentes partes vim ſuam propagant, & maxime ductus biliarios attentant, coſdemque concutiunt & criſpant, ut redundantius bilioſum humorem eructent: unde nonnunquam tanta bilioſæ materiæ copia iterato vomitu rejicitur, quanta neutiquam duodeni latibulis excipi potuiſſet ac comprehendi. Quinimmo ſæpius vomitoria primæ regionis limites multum tranſcendunt & in longe diſſitas partes virtutem ſuam explicant, ut etiam, quemadmodum cachecticorum & anaſarca laborantium exemplo conſtat, ex univerſi corporis habitu, copioſos ſeroſos humores, & per ſuperiora & per inferiora, educant, ac in corporibus tenerioribus, & quæ ſpaſticis ac convulſivis nervoſarum partium commotionibus ſolenniter conturbantur, graviſſima & quandoq; funeſta ſymptomata inducant.

Obſervatio III.

Dentur, quæ vomitu ventriculum deplent plane innocentia & blanda, quæ non infeſta qualitate & arroſione tunicarum nervearum, ſed magis copia & fibrarum relaxatione, motum excretorium adjuvant, & non ſine emolumento uſurpantur

Scholion.

Quod pravi in ventriculi & duodeni cavitate contenti humores, ingenticeum commodo cito, & qua fieri poteſt breviſſima via, ore foras ejiciantur, & ipſi ſpontanei a natura, ut ita loquamur, inſtituti, & arte provocati vomitus, clariſſime demonſtrant; idque duplici modo contingere ac perfici attenta obſervatione conſtat: quando nimirum vel a ſubtili & penetranti acrimonia, vel mole nimium diſtendente, tunicæ nerveæ ad contractionem, expulſionem & motum inverſum irritantur & ſollicitantur. Hinc repleto nimium & aggravato, vel a cibis avidius ingeſtis, vel a copia potus, præſertim vini aut cereſiæ, vel in infantibus lactis congerie, ventriculo, ſummo ſæpius cum emolumento, vomitus aut ſponte ſubſequitur, aut etiam poritatur. Et certe, veterum excitandi emeſin methodus, longe erat alia, ac illa, quæ noſtris temporibus acrium & chymicorum pharmacorum ope recepti moris eſt. Illi enim rariſſime helleboro albo, ceu draſtico, utebantur, ſed ſolenne ipſis erat, remediis fere diæteticis, aqua nempe tepida, vel ſola, vel cum ſale, melle aut oleo remixta, liberalius hauſta, non ſecus, ac quaſi clyſtere, qui ex iiſdem ingredientibus componi ſolet, ventriculum ad expulſionem per ſuperiora ſtimulare, & hoc pacto acres, bilioſos, viſcidos & acidos humores diluere, detergere & utiliter foras ejicere. Et ſicuti tutiſſimum hoc ad vomitum excitandum eſt remedium, quod in regionibus maxime calidioribus & corporibus facile mobilibus, feliciſſimæ erat operationis: ita omnino hoc ipſum in noſtris etiam oris neutiquam penitus rejiciendum, ſed ſæpius neceſſarium eſſe exiſtimo, tum potiſſimum uſurpandum, quando per activæ indolis chymica & mineralia ſtomachum movere, valde intutum & periculoſum eſt. Nam ſæpe acres, bilioſi, ab ira maxime commoti humores, firmiter ventriculi tunicis inhærentes, ſpaſticam cum cardialgia conſtrictionem & perpetuum vomendi conatum gignunt, ubi antimoniale, vel acrius, vel validiùs, e mineralium regno petitum, propinare, pernicioſum eſſet atque funeſtum: quum contra lubricans ejuſmodi & relaxans, paullo majori doſi oblatum remedium, maxime ex uſu ſit, & vomitus, quos natura ſiniſtra molitur, promovendos ac provocandos. Sunt porro, qui ex depravata concoctione ac digeſtione, magnam ſtagnantium cruditatum colluviem collegerunt, ſic dicti hypochondriaci. Hi thermalibus aquis, primis potationis diebus paullo liberalius hauſtis, inſigni cum levamine vomitus experiuntur, & tenaci viſcida materia rejecta, medicatarum aquarum poſtea uſum longe commodius ferunt & facili atque explicita curatione ex ancipiti levantur. Denique quotidianis experimentis comprobatum eſt, emeticum antimoniale, vel aliud minoris molis, ſed agilioris indolis, moleſtiſſima vellicatione ſummas ſæpe cum fruſtraneo vomendi conatu parere anxietates; juſculis vero pinguibus, vel aqua tepida, cum butyro inſulſo copioſius hauſtis, & felicius ſequi vomitiones, & anxietates illas cardialgicas, cum inquietudine junctas, conquieſcere. Arſenicum, innumeris funeſtis exemplis infamatum venenum, ſpaſticas vehementes per univerſum nervoſarum partium ſyſtema contractiones, quibus totam œconomiam motuum in ſolidis & fluidis pervertit & exſtinguit, efficit, cum vomitu non adeo frequenti, qui tamen copioſe hauſto lacte, oleis & humidis dum adiuvatur, acrimonia veneni correcta, non modo fibræ laxantur, ſed vomitus etiam ſubſequuntur numeroſi, quorum beneficio ipſum venenum feliciſſime e ventriculo eliditur. Ex quibus jam facile liquet, humida & relaxantia uberius ingeſta, ad vomitum eliciendum ſummopere eſſe proficua: ubi ab enormi ſpaſmo, a quacunque etiam cauſa ſuborto, primæ viæ affliguntur; quandoquidem ad excretionem illam emeticam, non ſola contractio tunicarum ventriculi ſufficit, ſed opus eſt, ut ejus motus periſtalticus, qui reciproca parietum corrugatione & dilatatione abſolvitur, intendatur & invertatur.

Ob-

Obſervatio IV.

Quæ dolores & ſpaſmos leniunt, motuum impetum refrænant & ſiſtunt, ut ſunt anodyna, narcoſin inducentia, & maxime ex opio præparata, hypercatharſes per vomitum aut ſeceſſum ſiſtere & coercere, experientiæ teſtimonio conſtat: eadem vero remedia vomitum etiam provocare, non adeo quidem obvium, ſed tamen attenta obſervatione compertum eſt.

Scholion.

Ipſam theriacam, & ex ea præparatam eſſentiam, nec non aquam cum vino deſtillatam, ad compeſcendas hypercatharſes certum & tutiſſimum eſſe præſidium in propatulo eſt; & hanc ſiſtendi facultatem opio, ceu potiſſimo theriacæ ingredienti, tribuendam eſſe, non facile quiſquam in dubium vocabit. Ut enim reliqua, quæ in obſervatorum commentariis memoriæ prodita ſunt, prætermittam, commemorabilis inprimis hanc in rem eſt obſervatio *Cl.* Ettmulleri, quam in *Diſſertatione de virtute opii diaphoret. p.* 8. affert, dum tradit: *ſuperiori anno juveni ex incautius hauſto vino emetico antimoniali, in hypercatharſin ultra 14. dies adeo copioſam dejecto, ut ſeceſſuum numerum referendo, mendacii ſuſpicionem delinant, tam omittere liceat, eſſentia theriacalis, cum eſſentia opii propinata, eximiam utilitatem, 40. ſaltim guttarum doſi, attulit.* Similiter maſſa pilularum de cynogloſſa, quam præter opium, etiam ſemen hyoſcyami ingreditur, parcior doſi, ad aliquot grana, in pulvere exhibita, ad compeſcendas enormes vomitiones, non ſine fructu adhibetur. Utut vero hæc nimias per vomitum, aut alvum excretiones cohibendi facultas, in opio aliiſque narcoticis, abunde confirmata & indubiæ veritatis ſit: attamen iiſdem ſedantibus remediis, vomitum, ingenii ſæpius cum anxietate ſtipatum, ſubinde proritari, identidem certiſſimæ experientiæ, & multoties a mo præſertim in hypochondriacis, qui ſumto circa noctem leni opiato, mane vomitum experti ſunt, obſervatum eſt. Quem etiam effectum *Cel.* Wedelius *in opiologia* probe notavit. Et Helmontius ob vomitivam hanc virtutem opium accuſat, quod virulenti & acris quippiam cuſtodiat: licet hæc ſententia ad veritatem minus accommodata, & miræ hujus operationis ratio longe aliunde petenda ſit. Quod ſi enim præcordia ſpaſmis nimis ſtringuntur, anxietas potius & nauſea, quam vomitus exſurgit: ſublata autem per anodyna ſtrictura, & motu periſtaltico per debitam relaxationem & dilatationem reſtituto, vomitio facilior fit & expeditior. Vel anodyna etiam tonum & robur ventriculo ſubtrahendo, efficiunt, ut humores non expulſi in eo ſubſiſtant, reſtagnent & poſtea copia & infeſta qualitate eundem ad contractionem & expulſionem ſtimulent, quod ſane ſtomacho jam imbecilliore & ſolutiore ac concoctione vitiata, facillime contigit.

Obſervatio V.

Quum emetica tutiſſime & celeriter a valde noxiis & naturæ infeſtis aſſumtis corpus liberent, dilucide pateſcit: quod adverſus venena, præſertim narcotica, nec non alia cauſtica ingeſta, vel prognatos in ipſius ventriculi ſinu virulentæ qualitatis humores, certius, tutius & præſentius vomitoriis non detur præſidium.

Scholion.

Inter venena, quæ per oris cavum corpus ſubeunt, præcipuum utique locum ſibi vindicant narcotica; utpote quæ infeſto vapore, fluidum, quod ſenſum, motum, tonum & robur ſolidis largitur, inficiendo & contaminando, illico ſummum torporem, ſenſuum ac motuum impotentiam, anxiam ſpirationem, pulſuum exilitatem & contractionem, nec non ob ſanguinis in cerebri vaſis ſtagnationem, depravatam & plane aberrantem phantaſiam inducunt. Horum claſſem ducunt omnes ſpecies hyoſcyami, ſtrammonii, daturæ, ſolani, mandragoræ, papaveris & quæ ex iiſdem deſumuntur: quæ ſi ex errore comeſta, aut ex imperitia aſſum-

assumta fuerint, certe consilio Helmontii, vix præsentius & præstabilius emeticis est remedium; quod etiam *Cl.* Wedelius, *in amœnitat. mat. med.* experientiæ calculo confirmat. Observatur adhuc meo animo notabile hac de re exemplum. Devoraverat nimirum quispiam ex errore loco pilularum balsamicarum extracti opii grana XIIX & inde anxietates cum sensuum torpore mentisq; abalienatione persentiens, errato opportune animadverso, confestim cum convenienti vehiculo tartari emetici grana tria assumsit, & quum nullus duabus horis elapsis sequeretur vomitus, urgente symptomatum vehementia, eandem tartari emetici dosin iterato ingerere coactus fuit, sed pariter ne quidem nausea, multo minus vomitio suborta est. Tandem vero injecto clystere acriore, evacuatio successit, & decies vomens, nihil virium detrimenti percepit, sed optime convaluit. Porro aliud venenorum genus est, indolis acerrimæ, penetrantis & causticæ, ad quod referenda maxime arsenicum, argentum vivum corrosivum, antimonii vitrum, regulus & drastica acriora majori dosi data, præsertim elleborus albus: quandoquidem veri veneni ingenium in pervertendis & destruendis motibus vitalibus, hæc ipsa obtinent: ut adeo nihil magis consultum et opportunum sit, quam ut quam citissime et qua brevissime fieri potest via, e corpore exturbentur. Sed horum ea est ratio, ut ipsa vomitum proritent, vel etiam enormes dejectiones moveant, licet sine ullo levamine: quippe dum firmiter adhæresunt ventriculi et intestinorum membranis nerveis, easdem perpetim lancinando et arrodendo, contractiones ad vomitus suscitant, quæ tamen nec sufficientes sunt, nec idoneæ ipso veneno educendo. Quapropter si vomitum vomitu curare juxta priscorum medicorum præscriptum expedit; certe illud hoc in casu ex usu est. Neutiquam tamen id irritantibus et virulenta acrimonia agentibus, sed lenientibus, pinguibus, demulcentibus, humidis copiosius hausti, exsequi fas est; quo non modo acrimonia involvatur et attemperetur, sed ipsum etiam venenum simul, evacuatione per vomitum auctiore reddita, e corpore exturbetur. Et sicuti vel sola ratione dictitante liquido inclaresit; ad infringedam et involvendam venenorum et acrioris indolis pharmacorum virulentiam, nihil pinguibus et demulcentibus ipsoque lacte esse præstantius: ita certe plurima exstant exempla, quæ id luculenter confirmant, e quorum numero notari inprimis meretur, quod mihi ante aliquot annos obtigit. Comiti decem annorum ad vermes enecandos pilulas ex mercurio dulci præscripseram, extracto panchymagogo Crollii et aliquot colocynthidis granis, sex dosibus assumendas. Sed arbitro forte remoto, comes ignarus numeri, circa noctem omnes in capsula contentas pilulas simul deglutit. Quod quum mihi esset renunciatum e vestigio ut afferatur insignis lactis copia jussit, eoque ad mensuras duas hausto, nihil plane incommodi et mali subsequutum est, sed alvo quinquies vel sexies circa matutinum tempus subducto, aliquot lumbrici lati adhuc vivi una excreti sunt.

Observatio VI.

Gravissima nonnunquam symptomata lactis in ventriculo coagulum ingignit: quibus dispellendis et penitus submovendis, emetica exoptatissimam commodant opem.

Scholion.

Quemadmodum lac, moderate assumtum & ventriculo firmo ac puro, optimum præbet nutrimentum: ita certe copiosius ingurgitatum, stomacho infirmo & acidis succis obsesso, infensissimum est, & maxima non solum symptomatum tormenta suscitat, sed etiam ancipites & periculosos morbos excludit, qui non prius discedunt atq; remittunt, quam exturbata noxia & infesta mole, ventriculus iterum sui factus sit juris. Quodsi enim in lactentibus major lactis copia, quam tenerior & non adeo firmus ventriculus subigere atque expellere potest in

sto-

ſtomachum, defertur, non modo in ejus cavo ſtagnat, ſed etiam acore inficitur & in tenaces ac firmos grumos abit, quorum pondere ventriculus nimium oppletus diſtenditur & pleraque ægritudines, quibus infantilis ætas infeſtari ſolet, gignuntur. Inprimis notiſſimum eſt, quod aceſcens & fermenteſcens coagulatum lac, ſæpius materiam et cauſſam præbeat aſthmati infantes tantopere affligenti, ut etiam ſuffocationem minetur: quippe procurato per ſirupum emeticum, ex violarum ſirupo & tartaro emetico, paratum, aut linctum cum aliquot pulveris Monckii granis, vomitu, facili & explicita curatione morbus illico diſpellitur et ſubigitur. Porro hypochondriaci, quorum ventriculus plerumque ſolutior eſt et acidorum et corruptorum humorum ſentina ſcatet, ab aſſumto lacte & hoſtili coagulo infecto, maximas experiuntur moleſtias, ventriculi inflationes, anxietates, ſpirandi anguſtiam, inquietudinem et inſignem virium proſtrationem: a quibus ut præſentaneo cum levamine liberentur, certior et promptior non datur ratio, quam ut leniori emetico, cum diluente tepide ſumto, ventriculus vomitu depleatur et peſſimorum horum ſymptomatum materies exturbetur. Fidem etiam faciunt M. N. C. *Dec.* 2. *A.* 9. *obſerv.* 64. quod lac copioſius hauſtum, in corpus nimio motu et calore æſtuans et in ventriculo acidorum ſuccorum colluvie conferto, cauſſa fuerit febris cum convulſionibus: ægro, caſeoſa materia ſponte et elicito per artem vomitu rejecta, ex voto convaleſcente. Et Henr. ab Heer *obſ.* 90. prodidit: quod a lacte coagulato lipothymia gravis fuerit ſuborta, quam ipſe vomitorio oblato feliciter ſuſtulerit. Neque mirum eſt, ab hoſtili lactis coagulo ejuſque in ventriculo congerie, tam graves oriri cruciatus, tamque dira ſymptomata, quum Rolfinckius *ord. & med. lib.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 59. teſtetur: inſtar farciminis ſæpe caſeoſam materiam rejici.

Obſervatio VII.

In morbis, qui contagio ſerpunt & inſigniter pernicialis indolis ſunt, ut peſtis, petechiales febres, febris acuta cum phrenitide, ſive ſic dictus morbus Hungaricus, emeticum, gliſcente adhuc ſub initium miaſmate, cum alexipharmaco datum, ſummam promittit ſecuritatem, & ſæpenumero capitales has ægritudines prima in herba feliciſſime jugulat.

Scholion.

Integros, valentes et ſanos homines, ſi cum contagioſis morbis laborantibus verſantur, a peſtifero et virulento miaſmate tangi poſſe ac infeſtari, per experientiam ſatis comprobatum eſt. In quonam autem hujus contagii natura, ratio atque operatio in corpus noſtrum verſetur, non adeo omnibus liquidum eſt atque perſpectum. Noſtra quidem ita fert ſententia: contagio infeſtos eos quam maxime eſſe morbos, qui a penetranti et ſubtili mobiliſſimi et lymphatici humoris corruptione atque putredine, nervis eorumque ſummæ activitatis liquido, admodum adverſa oriuntur; cujus terræ exhalationes, vi quadam fermentativa & multiplicativa, in aerem ſparſæ et ore per reſpirationem exceptæ, cum ſalivali valde fermentali humore connubium ineunt, et hujus vehiculo intra poros faucium et œſophagi ſeſe ſenſim paulatimque inſinuant, vel cum potu aut cibis in ventriculum deſcendunt, ac multos ex vitiata digeſtione et eduliis minus congruis collectos crudos et ad corruptionem pronos humores ibi offendentes, ſubito per hanc ſentinam feralem ſuam et putridam vim diſſeminant, qua demum ad maſſam ſanguinis et nervearum membranarum ſyſtema delata, tota motuum et functionum vitalium œconomia, ſummo cum vitæ diſcrimine turbatur, evertitur atque deſtruitur. Ne itaque mortiferum in corpus delatum virus ſumat, et pernicialem vim latius diffuadat, nullum certe, nec præſentius, nec tutius, propinari

vel

vel etiam excogitari poteſt auxilium, quam vomitorium, quo, quamprimum fieri poteſt compendiaria via, corrupti in ventriculo humores, una cum virulento miaſmate, foras exturbentur. Et hoc facto, aſſumtum poſtea alexipharmacum, ſive in liquida, ſive ſolida forma, v. c. tinctura bezoardica, aut pulvis bezoardicus, cum momento camphoræ & aliquot nitri granis mixtus, reliquam veneni corruptivi partem facile diſcutit atque diſpellit. Qua omnium tutiſſima & certiſſima curandi ratione, plures ab exitialibus, qui in caſtris plerumque graſſantur morbis, immo ab ipſa peſte, quæ aliquot abhinc annis plura loca funeribus exhauſit, & munitos eſſe & liberatos, certa & non fallaci experientia confirmati ſumus. Hinc etiam Sylvius *in Opp pag. 658.* vomitoria in peſtis curatione laudat, mox ab initio diaphoreticis nupta; & ſi prima vice oblata effectu careant, ſecunda vel tertia vice eadem propinare jubet: ſi vero vomitus plane non ſequatur, malum eſſe ſignum. Verum enim vero non modo ad acutas & funeſti utplurimum eventus has febres, ſed etiam ad alias non adeo malignas, immo intermittentes, quæ ortum ex aeris vitio nanciſcuntur, avertendas & præſcindendas, hæc medendi methodus plurimum valet & præſtantiſſima eſt. Nam ſæpiſſime contingit, ut ii, qui locis depreſſioribus, uliginoſis, paludoſis & culicum ac ciniphum caterva ſtipatis, æſtivo tempore, ſole præſertim occiduo, diutius verſantur, ac quibus ſimul ex intemperantia & ingluvie primæ viæ multis cruditatibus obſidentur, incidant in febres, intermittentes quidem, ſed valde contumaces; quæ tamen cito abigi & jugulari poſſunt, ſi ſtatim inter inſultus febrilis initia & indicia, emetico omnis e ventriculo ſaburra, una cum excrementitiis illis & cauſticis inſectorum, per aerem conſpurcatum eo delatis ſordibus, opportune ejiciantur: ſpecifico poſtea roborante ſubjuncto. Id quod non fallaci conjectura & opinione, ſed multiplici experimento confirmatum aſſerimus.

Obſervatio VIII.

Eximia & ſummopere laudanda emeticorum, in compeſcendis alvi fluxibus & dyſenteriis, utilitas eſt atque efficacia.

Scholion.

Vomitum ſupervenientem longo alvi profluvio morbum ſolvere, eſt antiquiſſima ſapientiſſimi Coi ſententia, *Sect. 6. aphor. 15.* Quare ſicuti vomitiones ſæpenumero ipſius naturæ beneficio in alvi profluviis, evocata ſurſum bilioſa corroſiva materia, ſalubriter excitantur: ita naturam quandoque arte imitari neutiquam inconſultum eſt. Nam licet tum experientiæ, tum Celſi teſtimonio, alvum per dies aliquot, & nonnunquam ad longum tempus fluere, bonum et admodum ſalubre ſit; quum corpus hoc profluvio a copia ſeri impuri et bilioſi ſæpius benigne repurgetur: attamen ſi alvi fluxus, ſine, vel cum ſanguine, a materia valde corroſiva, æruginoſa, duodeni flexuræ firmiter impacta, nec virulenti contagii experte, ſuboritur, optimo ejuſdem Hippocratis conſilio obtemperandum, *lib. de locis in homine* præcipientis, morbos per eam partem, cui maxime vicini ſunt, educendos eſſe, ne videlicet inteſtina ſana, corruptæ materiæ tranſitu inficiantur & arrodantur. Et hoc nomine noſtro certe ævo, ceu magnificæ famæ antidyſentericum, radix illa emetica Americana, hypecoanna, celebratur, quæ etiam primis invaſionis diebus, ſemel, vel etiam iterato exhibita, opem fert longe deſideratiſſimam. Plures jam olim fuerunt practici, qui tam præſervationis, quam curationis cauſſa, in dyſenterico malo vomitoriis uſi ſunt, cujus rei præclaros teſtes citamus Sennertum, *in Prax. lib. 3. pag. 352* Rolfinckium, *de ord. & meth. conſult. p. 668.* Ettmullerum, *coll. pract. Opp. Tom. 2. p. 154.* nec non Riverium, *Cent. 3. obſ. 9.* qui memorat: quod adoleſcens, quum nullo remedio curari poſſet, in dyſenteria, die morbi duodecimo, ſumta ſalis vi-

vitrioli drachma, & rejectis per vomitum multis biliosis humoribus, evaſerit. Eandem quoque in rem evolvi poſſunt M. N. C. *Dec. 2. A. 2. obſ. 108. Dec. 3. A. 3. obſ. 15. & 51.* Et Hildanus *lib. de diſſenteria pag. 683.* ſuadet in hoc morbo potiunculam vomitoriam, ex aquæ pluvialis libris duabus & mellis unciis tribus, epoto ejuſdem, cum olei olivarum, vel butyri inſulſi unciis duabus, cyatho, & immiſſo poſt ſeſquihoram in gulam digito, vel penna, oleo olivarum aut butyro illita. Quinimmo M. N. C. *Cent. I. obſ. 38.* aliquot exemplis confirmatum eunt, alvum in dyſenteria ab hypecoanna obſtipari atque compeſci. Probe autem monet Baglivus, *Prax. pag. 110.* dyſenterias, quæ cum nauſea & vomitu incipiunt, plerumque eſſe lethales, & tunc emetica, ipſamque hypecoannæ radicem minime locum habere: quippe, ventriculi inflammati indicium hæc eſſe, non ſine ratione ſuſpicamur. Inprimis ſingulari fructu atque emolumento, ante uſum radicis ipecoannæ, ſtatim in principio, pulveres temperantes, cum cremore hordei, plena doſi offerre ſuevi, quo humorum acrimonia cicurata, eo melior & ſecurior emetici ſit efficacia. Operatione vero ejuſdem peracta, ut lac bibatur jubeo ex conſilio ipſius Hippocratis, qui dyſentericis, epoto lacte, vel ſero lactis, in quo candentes lapides extincti, dolores & cruentas dejectiones moderatiores fieri aſſeverat.

Obſervatio IX.

Morbi, qui a colluvie humoris biliosi corrupti, prima in regione, per quam maxime duodeni cavitatem intelligimus, ſtagnantis foventur, & certis periodis infeſtare ſolent, uti ſunt tertiana lentaque febris, tuſſis contumax, ſic dicta ſtomachalis, hemicrania, vertigo ſtomachica, emeticum convenienti doſi & tempore exigunt.

Scholion.

Fiunt hi, quos jam enumeravi, morbi, plerumque ex imbecilli & vitiata digeſtione, in corporibus maxime debilioribus & impuris. Corrumpitur vero & deſtruitur ciborum reſolutio & ſubactio quam maxime, quando perpeſſo haud ita pridem diuturno morbo, vel febre intermittente perperam curata, cibi avidius & copioſius, quam infirmus adhuc ventriculus ferre poteſt, ingeruntur. Et ex hoc pravæ digeſtionis vitio, denuo corruptorum humorum ſentina colligitur, quæ vel febris præcedentis recurſum gignit, vel lentus etiam, vires cum carne conſumens, a paſtu & circa noctem ſuccedens calor exſurgit: in cujus perſanatione omnem operam ludes, niſi opportune emetico colluviem ærugine quaſi tinctæ bilis evocaveris. Sæpiſſime certe a bile per iram effuſa, & in primo inteſtino aliquot dierum intervallo corrupta, lentæ ejuſmodi febres excluduntur, quæ emeticam moderatius, quod ſtatim poſt excandeſcentiam, omnibus adhuc a violentiori impetu & motu tremulis membris, perniciosiſſimum eſt, mora interpoſita & compoſito motuum impetu, non ſolum commodiſſime ferunt, ſed etiam eodem profligantur. Porro a menſibus reſtagnantibus eorumque fluxu ſuppreſſo, ex illuvie vitioſorum, prima in regione ſtagnantium humorum, lente cum cachexia febris gignitur, quæ nec ſanari, nec menſes in ordinem redigi poſſunt, niſi emetico, mitiori tamen, aliquoties oblato, primarum viarum latibula a ſentina ſordium repurgentur. Ferina etiam cum ingenti viſcidæ materiæ excretione ſtipata contumax tuſſis, verno præſertim tempore prognata, & tam interdiu, quam noctu, cum gravi virium decremento & agrypnia fatigans, vix alio certo ac probato, quod præſentaneam opem ferat remedio, ac infuſo aliquot unciarum mannæ, cum uno vel altero tartari emetici grano, tam ad ſedes, quam ad vomitiones monendas, armato, expugnatur. Mira enim ſic ejecta pituitæ copia, facile demulcentia, ut lac & alia ſedativa, nec non ſtomachum firmantia, reliquas moleſtias tollunt atque perſanant. Similiter hemicraniam, inprimis eam, quæ ex alio morbo prodit, & certis temporum articulis affigit, ſæpius

præ-

præmisso emetico et subjunctis huic medicamentis stomachicis, roborantibus et nervinis, penitus profligatam esse novimus. Et quum magna inter membranas ventriculi et cerebri intercedat consensio, mutuaque motuum vitiosorum communicatio, identidem notavimus, aliam vertiginem, summo mane a spasmo ventriculi profectam, pilulis aliquot Wildeganii sumtis, remisisse, aliam vero, a redundante corruptorum circa ventriculum et duodenum saburra, vel solis pilulis balsamicis, aut iisdem cum tartaro emetico acuatis, discussam esse et exstirpatam.

Observatio X.

Quum plurimi infantum morbi optime ferant emetica; imbecillibus hæc ipsa non convenire, erroris locum ponendum esse censeo.

Scholion.

Inter affectus, qui infantes maxime infestant et nonnunquam necant, connumeranda inprimis cardialgia et asthma ab inflatione ventriculi ortum, ventris tormina cum agrypnia sæpius juncta, quibus tandem funestæ succedunt convulsiones. Cuncta hæc mala, ratione exactius putata, a nimia ingurgitatione lactis eoque in ventriculo & duodeno coagulato et corrosivo reddito, suam nanciscuntur originem. Nam si infantes probe vomunt et alvus ipsis fluida est atque frequentior, bonam portendit valetudinem: simulac vero et vomitus et dejectiones alvinæ deficiunt, retenta lactis copia, non potest non ad tussim, asthma stomachale, cardialgias, tormenta ventris et frequenter convulsivas commotiones promtus parari aditus. Quocirca perpensis rite his omnibus, nullum opportunius et magis accommodatum ad avertendos et præscindendos hos morbos præter seniora emetica et acidum temperantia, dari remedium, nemo nisi imperitus negabit. Neque eos, qui in artis exercitio versantur, fugit, sæpius infantes morbillis, variolis aut alio quodam morbo laborantes, ex coacervata ingenti pituitosorum humorum circa præcordia saburra, incidere in difficilem spirationem, suffocationem etiam minitantem, eandemque dimidia, vel quadrante grani tartari emetici parte, aut aliquot pulveris Monckii granis, cum sirupo violarum in forma linctus exhibitis, promptissime abigi, ita ut mira humoris viscidi copia rejecta, illico vis morbi conquiescat. Et hinc luculenter admodum patet imbecillioribus etiam activæ indolis remedia, ut sunt emetica apprime convenire, iisdemque opportune porrigi posse, hanc maxime ob causam, quia quo debiliora sunt corpora, eo magis ob digestionis imbecillitatem et excretionum debitarum defectum colligendis vitiosis humoribus apta sunt atque idonea.

Observatio XI.

Vomitoria non modo ea, quæ in ventriculi et duodeni cavitate delitescunt, expellunt; sed vim ac virtutem suam etiam in hepar explicant: unde in morbis quorum sedes in illo est, ut ictero & quartana, usus sunt longe egregii.

Scholion.

Quando in venæ portæ per hepatis viscus dispersis ramis lentius progreditur sanguinis iter, bilis inde non leve capit vitium, et secedentium tenuioribus in vasa lymphatica partibus, ob diuturniorem moram, in ductibus biliosis spissior fit atque viscosior. Quod si vero biliosus humor lentus est ac tenacior, in canalibus illum vehementibus, crassa, quæ demum in coagulum abit et in lapillos concrescit, amurca gignitur, et hinc orificio, sine sphinctere ductus cholodochi, quo in duodenum hiat, obstructo, bili, exitu prohibito, per vasa lymphatica ad sanguinis massam regurgitat, et una cum illa per universum corporis ambitum diffusa, icterum gignit; cujus principio nisi opportune obstiteris iis, quæ detergendi et tenacem hunc mucum e loculis suis excutiendi vim habent, contumax & inveteratus, quinimmo, si ictericia nigra

gra ſuccedit, lethalis plane morbus evadit. Et huic ſcopo obtinendo apprime inſerviunt rhabarbarina, amara, lixivioſa, cum ſufficienti humido data, inprimis vero emetica. Quod enim vomitoria in nerveas ductuum bilioſorum tunicas agant, ſuperius jam aſſeruimus, illudque clariſſime vel unica hac obſervatione innoteſcit, dum ſæpius poſt emetici uſum, et noviſſime in viro hydropico, annotavimus, quod uſurpato vino, corticibus ſambuci infuſo, et vomitiva ac purgante facultate imbuto, complures inſignis magnitudinis biliarii lapides per alium egregio cum levamine diſceſſerint. Hinc etiam multoties ſtatim inter icteri initia ſummo cum fructu uſus ſum radice ipecoanna, iterato nonnunquam ad drachmam dimidiam exhibita, interpoſito elixirii balſamici lixivioſi, minus ſpirituoſi, et eſſentiæ rhabarbari uſu. Cavendum vero perquam ſolicite eſt, ne, ſi ſubito ab ira enatus fuerit icterus, valentius emeticum porrigamus, eo quod ſpaſmus ſubeſt, qui demulcentibus et anodynis ſopiendus potius, quam per acriora intendendus. Porro quartana febris, contumaciam debet hepati male affecto: id quod exinde pateſcit, quod perperam curatæ, plerumque ſuccedat hydrops. Et contumax ejuſmodi ac refractaria febris, omnia fere alia remediorum genera eludit, niſi opponantur ea, quæ ſingulari virtute obſtructiones & infarctus reſerandi facultate pollent: quibus decoctum radicis aſari & ſummitatum centaurii minoris, multis experimentis a Rulando comprobatum nec non mercurius dulcis & regulus antimonii medicinalis merito annumerantur. Maxime omnium vero eximius hanc ob cauſſam emeticorum in quartana uſus eſt, qui priſcis medicorum etiam non ignotus fuit: unde Trallianus *lib. 12. de quartana, novi*, ait, *me vomitoriis quartanas inveteratas diſcuſſiſſe, ut in totum conquieverint*. Et veteres quidem, ſemper primum lenioribus tentabant vomitum, iiſque nihil proficientibus, ad helleboriſmum tandem deſcendebant, quem huic morbo maxime accommodum eſſe cenſebant. Nos vero pro certo aſſeverare poſſumus, pertinaces quartanas, non feliciori & expeditiori remedio, quam per emetica venereæ proſapiæ fuiſſe ſublatas; quando nimirum vitriolum album ad grana decem, cum aliquot croci granis, in juſculo butyraceo, tribus vel quatuor ante paroxyſmum horis, exhibitum fuit; & ſi non prima vice ſpei reſpondit eventus, ſecunda tamen vel tertia morbus deceſſit. Novi etiam quondam in Weſtphalia empiricum, qui quartana detentis, tantum vitrioli cyprini, quantum ternario venit, in dimidia aquæ menſura ſolutum, offerre, eoſdemque hoc pacto ad ſanitatem reducere ſolebat.

Obſervatio XII.

Quæ paullo validius emeſin excitant, non modo ventriculi & inteſtinorum tunicas ſtimulando, ſed & univerſum vaſorum nervorum ſyſtema exagitando, operantur, eamque ob cauſam, provide atque prudenter exhibita graviſſimis ſæpe morbis opitulantur.

Scholion.

Hujus aphoriſmi veritatem vel ex eo clariſſime conſtare arbitror, quod ab emetico aſſumto, arteriarum pulſus longe multumque mutetur, citatior & auctior reddatur, & reſpiratio nec non tranſpiratio, ad ſudoris uſque profuſionem, ſæpe intendatur. Quare quum tam inſignis & tam late patens vomitoriorum ſit facultas, nullum etiam dubium eſt, quin in compluribus ancipitibus & periculoſis morbis medelam ſpondeant. Inprimis hydrops, omnium morborum graviſſimus, viſceribus ſalvis, nec extravaſato in thoracis aut abdominis cavitate ſero, curationem adhuc admittens, certe non rectius et melius expediri poteſt, quam petito e mineralium familia emetico, uti eſt mercurius vitæ probe correctus, pulvis Monckii, aut tartarus emeticus, ad grana ſex vel octo, cum mercurii dulci ſcrupulo mixtus, quippe quæ collectas et ſtagnantes in univerſi corporis habitu aquas cumulate educunt, ut etiam in extremis digitorum apicibus, quidam

vel-

vellicationis & contractionis ſenſus percipiatur. Quum vero ab humore ſtagnante, inteſtinorum tunicæ & aliæ motrices partium fibræ eliquentur ac relaxentur, & majori ſtimulo, ut motus ſyſtaltici augmentum accedat, indigeant; in hydrope, præſertim anaſarca, ſi medicinæ adhuc locus, validiſſimis res aggredienda, & extractum elaterii, eſulæ, hellebori nigri, gummi guteæ, auctiori longe doſi propinanda, & gummi guttæ quidem ad ſcrupulum, extractum hellebori, eſulæ & elaterii vero ad drachmam uſque, utpote quæ, licet in aliis, hoc morbo non detentis, validiſſime ſtomachum moveant, nihilominus in hydropicis rarius hunc effectum edunt, ſed potius aquas deorſum ducunt. Verum enim vero, quia hæc ipſa draſtica, virulenti quippiam alunt, quod vitali illi & inteſtinæ partium motioni, ſive ſpirituaſcentiæ inimicum, tutius utique eſt ab iiſdem abſtinere, & emetica ſupra memorata, quod experientia etiam confirmat, in eorum locum ſurrogare. Præterea emeticorum efficacia ad magis diſſitas adhuc partes cerebrum nempe, ejuſque vaſa ac membranas ſeſe explicat. Hinc ſi ſanguis ibi locorum hæret, vel reſtagnat ac difficilius progreditur, ac phantaſiæ turbationes mentiſque abalienationes oriuntur: certe ſi ulla auxilii ſpes ſupereſt, illud nonniſi prudenti venæſectioni & emeticorum uſu impetrabitur. Monendum tamen eſt, quod longe auctiori ordinaria doſi, & v. c. tartarus emeticus ad gr. X. aut XII. & mercurius vitæ ad ſcrupulum propinari debeat: quandoquidem ob influxum liquidi per nervos denegatum, rigiditatem, ſtuporem & immobilitatem partes ſenſiles contraxerunt, & nonniſi vi pharmaci roboratæ ac animatæ, removent et excutiunt obſtaculum liberioris progreſſus, ſpiſſum nempe & viſcidum ſanguinem, quo vaſa repleta, farcta atque diſtenta ſunt. Denique emeticorum vim atque operationem non tantum ad ſuperiores, ſed etiam inferiores partes ipſumque uterum ſpargi ac propagari, ex eo apparet, quod difficultatem partus non raro facilitent atque ſecundent; unde Angelus Sala, nec non Rolfinckius, *chym. im art. form. red. lib. 5. Seſſ. 6. cap. 13.* eadem ad partum excludendum commendant, modo fœtus juſta poſitura inſtet. Et Cl. Boerhaave *in inſtit. med.* auctor eſt, vomitoria ad expellendum fœtum mortuum conducere. Quandoque enim contingit, ut ſpaſmi ex ſpinali medulla ad uterum tendentes, et ad expulſionem fœtus apprime neceſſarii, deficiant, ad quos iterum ſuſcitandos et promovendos, utique emetica cum analepticis mixta, proficere perſuaſiſſimus ſum.

Obſervatio XIII.

Conducunt etiam vomitoria præſervationis maxime gratia, vel etiam ſub initium eorum morborum, qui extremis partibus et articulis, cum inflammatione et ingenti dolore, incumbunt, uti ſunt rheumatiſmi, arthritidis et eryſipelatis ſpecies.

Scholion.

Fomes ac minera moleſtiſſimorum horum affectuum, prima in regione, & maxime in duodeni flexura, reconditur; congeſta ibi ex univerſo corpore, propter excretiones, vernali maxime et autumnali tempore, imminutas, acrium bilioſorum humorum ſaburra, quæ poſtmodum rurſus cum alimentorum ſuccis ad ſanguinis maſſam delata, & motu quodam febrili critico ad ſummam cutem propulſa, inflammatorios ejuſmodi gignit dolores. Optimo itaque conſilio, imminente morbo, congrua laxantia aut leniora emetica, præmiſſis corrigentibus et acrimoniam bilioſam contemperantibus, propinantur, quibus vel ipſum malum penitus arcetur, aut paroxyſmi ad longe mitiorem inſultum perducuntur. Si auctoritates et experientiam in partes advocare licet, conſuli poterit Sylvius, qui *Opp. pag. 786.* aſſerit; quod experientia teſtetur, uno vomitorio, non tantum paroxyſmum ſublatum, verum novum etiam ortum in longum tempus fuiſſe dilatum. Et Solenander inſigni cum emolumento in principio arthritidis

tidis purgans exhibere ſuevit, edoctus primum a Tralliano *Lib. XI.* licet a multis hoc tempore reformidetur, quaſi, quæ exagitata ſit materia, non amplius moveri debeat. Porro Martianus, *comment. in Hippocrat. pag.* 382. narrat: ſæpius ſe obſervaſſe, quamplurimos podagricos, ob acorem in ventriculo peccantem, podagra correptos eſſe, liberatoſque aut ſaltim mitiora tormenta paſſos eſſe, ſi acetoſa evomuiſſent. Idem teſtatur Hildanus *Cent. VI. obſ.* 84. *vomitorium* inquiens, *in principio podagricis datum, omnem dolorem abſumit,* Quibus accedunt M. N. C. *Dec. I. A. VI. & VII. pag.* 220. ubi luculentum exemplum arthritidis annuę, vomitu & diarrhœa ſolutæ, commemoratur. Poſt vomitum autem, ſuadet Hippocrates *lib. de affect.* ut lac aſininum, vel ſerum coctum propinetur: id quod etiam egregie ex uſu eſt.

Obſervatio XIV.

Emetica inter remedia præſervatoria primum & principem obtinent locum, iis præſertim in morbis, quorum materia & cauſa prima in regione reſidet, & exinde remotas alias partes petit atque infeſtat.

Scholion.

Ægyptii ſingulis menſibus teſte Herodoto vomitoriis utebantur: & Græci ſæpius etiam vomebant; unde Martianus *lib. de nat. hum. pag.* 153. memorat: quod veteres ad corpus repurgandum & muniendum, ſolo vomitu, rarius purgatione, uſi ſint. Inprimis autem Celſus vomitum præſervatorium graviſſimis de cauſis, *lib. I. cap.* 29. ſuadet: *vomitus*, inquiens, *utilis eſt plenis & bilioſis omnibus, ſi vel nimium ſe replerunt, vel parum concoxerunt. Nam ſive plus eſt, quam quod concoqui poſſit, periclitari, ne corrumpatur, ſive corruptum eſt, nihil commodius eſt, quam id, quæ via primum expelli poterit, ejicere.* Et paucis interjectis inculcat, luxuriæ cauſa id fieri non oportere, interdum valetudinis cauſa recte fieri: *commoneo tamen*, pergit, *ne quis, qui valere & ſeneſcere velit, hoc quotidianum habeat.* Idem auctor utiliſſimam pronunciat vomitionem iis, qui cœlum vel locum mutant. Cui etiam Hippocrates *de ſalub. diæt.* calculum adiicit, addita hac cautione; *qui vomere bis in menſe vult, melius conſulet, ſi biduo continuabit, quam ſi poſt quintum, decimum diem vomuerit.* Sed hoc veterum de crebriori vomitione conſilium, nonniſi ex more illorum interpretandum eſt, quo vomitum ad præſervandum inſtitutum, non fortioribus & acrioribus provocabant, ſed leniſſimis, quorum ſuperius jam mentionem inieci. mus. Quemadmodum itaq; vomitoria, ad corpus a variis morbis tempeſtive muniendum, eximia utilitate ſplendent: ita præſertim in morbis, qui annuas ſtatas perio. dos ſervant, vel certis menſibus recurrunt, ut ſunt varii generis febres: aſthmata, hemicraniæ, arthritides, inſultus quoque apoplectici, maniaci & melancholici, nec non purpura, ante invaſionem, eadem, leniora tamen & laxantibus nupta, aliquoties repetita, nec non in quibuſdam ſanguinis miſſione ſubjuncta, ex uſu ſunt; quandoquidem hiſce præmiſſis, longe felicius aquę minerales, vel decocta ſanguinem depurantia, & lacticinia, aut alia accommoda præſidia, operationem ſuam poſtea exequuntur.

Obſervatio XV.

Oris amarities, nauſea, cum vomendi conatu, ardor circa pectus, anxietas præcordia ſtringens, ſaliva frequens, tremor labiorum, indicia quidem ſunt ſubverſionis ventriculi & ſubſequuturi vomitus: ſed non ſemper tutum atque proficuum eſt, his indiciis obſequi & vomitum emeticorum ope procurare.

Scholion.

Exacte profecto & ſumma cum cura, hæc a qua cauſa proveniant pathemata diſcernenda ſunt; eo quod a vomitoriis, promte & ſine diſcrimine, indicantibus tantum hiſce ſignis datis, ingens damnum & vitę etiam periculum exortum eſſe novimus. Nam ſi hæc ſymptomata a

ſolo motu ſpaſtico & contractorio ventriculi per conſenſum, ſubſiſtente in remotioribus partibus cauſa, uti videmus in apoplexia, vehementi tuſſi, calculo, ſuffocatione hyſterica, paſſione colica, iliaca aliiſque eveniunt, vel etiam a vehementiori præcedente animi affectu proficiſcuntur, cane pejus & angue vitanda eſſe emetica, cumprimis acriora, niſi neci tradere velimus eos, quorum vita nobis concredita eſt, auctor ſuaſorque ſum. Graviter certe in eo & infeliciter lapſos eſſe memini plures, qui omnes iſtos conatus & motus pro ſalutari principii vitalis et rationalis intentione agnoverunt, quam omni modo per artem promovere & ſublevare oporteat. Deinceps ſæpenumero etiam conatus ad vomendum a regurgitante ſanguine ad vaſa ventriculi in gravidis, menſium, vel hæmorrhoidum ſuppreſſione laborantibus oriuntur: ubi emeticum dare maximum foret piaculum; quum hac ratione cruentum & funeſtum provocatum eſſe vomitum quamplurimis conſtat exemplis.

Obſervatio XVI.

Nunquam emetica dare expedit, in ipſa acceſſione, impetu aut vigore morbi, tam in febribus intermittentibus, quam continuis & acutis; ſed ſi morbus neceſſitatem eorum imponit, tempore intercalari, aut remittente impetu, ad uſum ordinanda ſunt.

Scholion.

Veritatem & obſervationem practici hujus canonis & ratio ſuadet, & experientia adſtruit. Emetica enim activiora omnia & ventriculum, & reliquas nerveas corporis partes, ſpaſticis ſtricturis tentant & ſollicitant: ſub morborum autem acceſſione, motu et impetu, ſyſtema tam vaſorum, quam membranarum nerveārum, jam ſpaſmodicis commotionibus agitatur, adeoque motuum impetus non poteſt non ab ejuſmodi draſticis cum inſigni detrimento notabiliter augeri atque intendi. Communis quidem practicorum opinio et revera error eſt, brevi ante paroxyſmum intermittentium exhibenda eſſe emetica: ſed quam infelix ſit ſucceſsus, ſi vomitionis actui ſupervenit febris cum horrore et rigore initium, plurimis exemplis mihi innotuit; quippe ſyncopticas inde cardialgias, artuum tremores convulſivos, animi deliquia, cum extremorum rigore & frigido ſudore orta eſſe annotavit. Satius itaque eſt vomitoria vacuo tempore, aut quinque vel ſex ante paroxyſmum horis, propinare, ac hoc demum pacto feliciſſime res ſuccedet & febris diſcedit. Eadem quoque obſervatio tenenda in acutis, ſi vomitorium propinare neceſſitas urget, illudque nunquam in vigore porrigendum, ſed ſtatim in morbis principio, vel ante tempus invaſionis, ſuffragante graviſſimo auctore Hippocrate, et *Sect. 2. aph. 29.* monente: *ineuntibus morbis, ſi quid movendum, move: nam iis creſcentibus, quieſcere melius eſt.* Adeoque fatemur quidem, initiantibus morbis caſtrenſibus, febribus exanthematicis, variolis, morbillis, purpura acuta, antequam materia virulenta cum ſanguine fuerit permixta, et altius ſolidis, fibroſis ac nerveis partibus inſinuata, emetica cum analepticis, vel alexipharmacis, in forma liquida propinata, præſertim ſi ſaburra in prima regione delitescit, feliciſſimam locare operam et longe benigniorem efficere morbi progreſſum: ſed, ſi quiſpiam hæc pharmaca in ipſius morbi ſtatu exhibere velit, ingens certe damnum et ſymptomatum augmentum procurabit atque inducet.

Obſervatio XVII.

Si ob ſpaſmos primarum viarum et viſcerum abdominis, quemadmodum in hypochondriacis, nec non hæmorrhoidibus retentis et poſt graviorem animi affectum ſolenne eſt, inæqualis ſanguinis motus aut congeſtionum impetus ad caput et pectus contingunt, ut in apoplexia, epilepſia, cephalalgia, vertigine, affectibus ſoporoſis, narium hæmorrhagiis, hæmoptyſi, aſthmate, phthiſi: catarrho ſuffocativo, ſummopere cavendum eſt ab emeticis, niſi ventriculus ſaburra obſeſſus ſit morbi cauſa.

Scho-

Scholion.

Egregium eſt monitum, quod Septalius *l.* 3. *ſect.* 12. inculcat: *qui tabe*, inquiens, *qui capite, ſine ſaburra ventriculo repleto, qui hæmoptyſi, aut oculis, aut animi defectione, aut ſuffocatione uterina, aut colica ſuffocativa laborant, hi plane ab emeticis abſtinere debent.* Et certe his in caſibus magna prudentia et deliberatione opus eſt, antequam ad anceps ejuſmodi et magnæ operationis remedium deſcendamus, ne plus damni, quam emolumenti afferamus. Nam ipſo vehementiori niſu vomituriendi conatu, omnino ſanguinis et humorum affluxus, ad partes ſuperiores, caput et pectus urgetur, quæ, ſi ex crebriori appulſu et congeſtu ſanguinis, jam jam imbecilliores redditæ, ex facili inde labem contrahunt et priſtinæ ægritudines recrudeſcentes, longe gravius, quam antea, infeſtant. Apprime huc faciunt, quæ Hildanus de infelici emeticorum effectu obſervavit, qui *Cent.* 5. *obſer.* 12. a vomitorio violento, unum mutum, alterum ſurdum factum, nec non *obſer.* 19. cœcitatem inductam eſſe, refert. Et Scultetus *obſerv.* 92. *app.* a vomitu tumorem frontis ſubito enatum eſſe, teſtatur.

Obſervatio XIIX.

Emetica mineralia vel vegetabilia fortiora, tutiſſime ſemper in forma liquida, interdum etiam vehiculo ſpirituoſo, inſignem liquidi copiam ſuperbibendo, aſſumi, multiplici experientia compertum eſt ac confirmatum.

Scholion.

Tutiora ſemper ſunt, ad emeſin excitandam ex antimoniatis ea, quæ ſoluta ſunt, præ ſolidis: quare aqua benedicta Rulandi, quæ ex vitro antimonii paratur, tartarus emeticus Mynſichti, qui ex croco metallorum, ſale abſynthii, vel cremore tartari conficitur, nec non ſapa vomitoria Sylvii, magis ex uſu ſunt, quam vitrum antimonii, vel crocus metallorum, pulvis Monckii, mercurius vitæ aliaque. Quum enim ſtibiata hæc pharmaca non agant niſi ſoluta, facillime contingit, ut a contentis in ventriculi ſinu ſalſis & ſulphureis humoribus promte liquata, aut enormes non ſine periculo ſuſcient vomitiones, aut obſeſſo lenta mucagine minuſque ad ſolutionem idoneis ſuccis, ſtomacho, non diſſolvantur & nullius fere operationis ſint. Accedit, quod non exiguum periculi ſubſit, ſi acrius ejuſmodi minerale emeticum certæ tantummodo ventriculi portioni inſideat firmiterque inhæreſcat, ut eandem continuo lancinando & arrodendo, ancipitem inflammationem pariat. Quod ſi vero potens ejuſmodi pharmacum colliquatum fuerit & ſolutum, non unam tantum tunicæ ventriculi partem adoritur, ſed univerſam illam moderate afficit ac ſtimulat, ut longe facilius & tutius tota ſubſtantia ventriculi ad inverſionem & expulſionem ſollicitetur. Quare ſemper mihi in more poſitum fuit, tartarum etiam emeticum ſolutum prius in aqua analeptica ſpirituoſa, pauxillo ſyrupi grata dulcedine imbuta, propinare. Et hac ratione tutiorem longe, faciliorem ac meliorem, refracta etiam doſi, fieri vomitum obſervavi. Præterea non quidem negandum, quod remedia ſpirituoſa & ipſe etiam vini ſpiritus vomitiones ſiſtant: nihilominus tamen, ſi hic vino ſpiritus cum ſyrupo violarum, aut roſarum julepo cicuratus, una cum emetico porrigitur; non ſolum minor & refracta vomitorii doſis ſufficit, ſed etiam longe expeditior fit operatio: eo quod ſpirituoſus hic liquor, tum ſubtilem illam & nervis inimicam acrimoniam corrigit, tum etiam inſito ſuo calore majorem ſanguinis affluxum allicit et proinde motum et ſubverſionem ventriculi ſtrenue adjuvat. Inprimis autem, ſi non tam copia, quam peregrina indoles acrium biliioſorum in ventriculo humorum, præternaturalium affectuum cauſa eſt, poſt vomitorii aſſumtionem multum liquidi bibere expedit; quo intus latitans congeries eodem diluatur, attemperetur et hoc pacto

cto promtius evacuetur. Et hoc consilio interdum post cibum sumtum vomitum procurare suadebant veteres, quos inter præsertim Trallianus *lib. 1. pag. 72.* nominandus, qui vomitiones post cibum in epilepsia utilissimas judicat: quandoquidem hoc potissimum tempore exhibita emetica, quicquid crassum in ventriculi cavo offendunt, id omne simul cum reliqua massa exturbant ac viriliter removent. Sed satis jam de vomitoriis eorumque usu dictum esse arbitror.

DISSERTATIO XV.

DE USU ET ABUSU PULVERUM STERNUTATORIORUM.

§. I.

QUemadmodum sapientiæ humanæ fundamentum atque initium sensus recte dici possunt, adeo, ut illis in vigore atque integritate constitutis mens nostra functiones suas promptissime exsequi queat: ita nobis non exigua quoque incumbit necessitas, illos ipsos tanquam rationis nostræ instrumentum curare ac colere, et quantum fieri potest, in debito statu atque incolumitate servare, ut tali cultura ad optimos mentis usus disponantur. Quod circa non incongrue illi faciunt, qui oculos frequenti terstione lemarum ac mucaginis per aquam frigidam tempore matutino puros ac serenos servare allaborant, vel etiam perspicillis ad diuturnum visum illos præparant. Auditus organum frequenter purgare instrumentis a cerumine vulgaris etiam consuetudo est, ne forsan in gypseam duritiem mora transiens auriuos meatus ac gyros obstruendo auditui noceat. Organon gustus, quod lingua constituit, et oris eluitiones cum aqua simplici factæ et calidæ jam usitatæ infusorum varii generis sorbitationes perc ommode abstergunt et mundant, utpote de nocte in lingua obortus lentor papillares ejus tabulos obsidens calida sic aqua extergitur, ut non tantum ad meliorem gustum, sed et ciborum masticationem et faciliorem mixtionem cum genuino suo succo solvente disponatur. Tactum, qui toto diffunditur corpore, frictionibus matutinis convenienter institutis curare utilissimum et a veteribus valde celebratum consilium est, quandoquidem hoc pacto discussa superflua humiditate spiritus segnescentes in motum concitantur, ut ad corporis et mentis exercitia expeditius influant.

2 Profecto autem nullius sensorii majores hodie mortales habere solent curam quam narium, quem in finem non tantum excogitata fuerunt varia odorum oblectamenta, quæ in balsamis solidis, liquidis, spirituosis, fumis ac pulveribus suavissimi odoris consistunt, quibus continuo nares deliniunt, sed et alia nunc frequens ubivis ferme regnat nares purgandi ratio per singulares pulveres errhinos et sternutatorios ex tabaco variisq; speciebus odoratis et cephalicis confectos, quibus naribus attractis viscosorum in narium cavernulis hærentem humorem colliquare ac deturbare conantur. Quemadmodum autem salubritate sua ac usu non caret dictum narium purgamentum, ita tamen tanta jam increvit intemperies, non dicam vesania, nonnullorum, ut mira consuetudine vel imitatione aut auctoritate aliorum inducti, tali pulvere nares perpetuo vexare et irritare videantur, ut etiam inter mutua colloquia, conventus ac cœnam deesse aliquid humanitatis credatur, nisi quis pyxidem suam, quam servari pulvis ille solet, singulari officio ac inserviendi ejus sanitati studio alteri offerat ad muci officinam purgandam. Cum autem perversus talismodi abusus, dum singulis fere momentis naribus talismodi pulvis attrahitur, non parum damni ac nocumenti efferat siccioris præsertim naturæ hominibus; itaque constitui de legitimo horum pulverum usu nec non prava illis abutendi ratione in præsenti verba facere, et non inutilem hanc materiam paulo uberiori evolutione pertractare.

3 Ut autem eo felicius in nostro instituto progrediamur et emolumenta ac damna dictorum pulverum rite exponamus

namus, utile ac e re fore indico ante in ſternutationis naturam materiam et modum agendi errhinorum paulo penitius inquirere et ipſum quoque locum, ex quo rivus ille mucidus derivatur ac ſtillat, ſecundum anatomicorum recentiorum accuratas obſervationes determinare ac perſpicere. Nolumus autem rebus maxime intenti litem movere de ſternutatorii nominis derivatione ac ortu, multo minus, an illud vocabulum barbariſmum ſapiat, ex criticis decidere, ſed tantum breviter ſtrictimque illud in limine prænonere allubeſcit, per pulveres ſternutatorios nos intelligere tabaci varii generis folia et radices aliaſque vegetabilium ſpecies rite ſiccatas et præparatas inque formam pulveris redactas, quæ naribus ſuſceptæ inſpiratione membranam narium irritando ſpiſſum vel aqueum humorem evocant, ſive cum forti ac ſonora aeris exploſione, quo caſu vocari ſolent ſternutatoria, ſive ſine illa, ubi errhinorum nomine inſigniuntur, utut ſternutatoria græcis quoque errhina veniant, meliori tamen vocabulo ptarmica deſignentur. De utriſque autem hic loci agere decrevimus, præſertim cum ptarmica pro diverſa diſpoſitione hominum facile in errhina et verſa vice in ptarmica degenerent.

4 Primum omnium autem, quo veritas dilucide appareat, conſtare debet, quænam pars corporis principaliter afficiatur ac patiatur in ſternutationis actu, et ex quo loco inſignis illa muci quantitas, quæ mediante taliſmodi remedio extrahi ſolet, ſtillet ac derivetur. Magnam autem hac in re inter veteres et recentiores paſſim deprehendimus diſſenſionem, dum plures ex veteribus actionem ac motionem ipſius cerebri eſſe ſternutationem affirmant, quæ in conſenſum rapiat thoracem, ſicuti quondam Hippocrati et Ariſtoteli placuit. Alii potius principaliter illam actionem thoracis eſſe, quæ occaſione irritationis factæ in naribus accidat, tuentur. Ita etiam circa partem, ex qua humor ille excrementitius effunditur, in diverſas abeunt partes. Plerique ex veteribus cloacæ hujus originem eſſe cerebrum adſtruunt, recentiores autem ex externis tantum capitis partibus materiam hanc fluere firmis ratiociniis autopſiæ anatomicæ innixis comprobare ſatagunt. Nos non diutius refutationibus veterum immorabimur, neque ſub examinis incudem etiam nonnullorum recentiorum placita revocabimus, ſed breviſſimis ſententiam noſtram exponimus, nempe ſternutationem eſſe violentam actionem et motionem fluidi elaſtici tenuiſſimi, quod ſpirituum vulgari nomine venit, in nervis non tantum, qui inter coſtales muſculos deſcendunt. Quæ motio impetuoſa ac præternaturalis cum ſit et cum magna conſtrictione partium nervearum ac muſculoſarum conjuncta, hinc non inepte a veteribus convulſio, ſive etiam epilepſia parva, levis, et particularis dicta eſt, præſertim ab Avicenna *l. 3. c. 2. Tract. 2.* Et tametſi etiam experientia doceat ſternutationem ſæpiuſcule præcedere epilepſiam, vel etiam illam ſequi, ſicuti id docte inter alios notavit Wedelius in tractatu *de medicamentorum facultatibus p. 211.* Ut ex eo appareat magnam eſſe affinitatem ac convenientiam inter epilepſiam et ſternutationem, illud tamen teneri meretur hanc eſſe utriuſque differentiam, quod convulſio in ſternutatione ſit magis intrinſeca, ſive extra cerebrum ejuſque membranas, in epilepſia autem intra cerebrum, ubi dura mater principaliter violentiſſima conſtrictione afficitur, ſicque totum ferme corpus in conſenſum trahitur. Ex quibus patet ſternutationis ſedem non quidem cerebrum eſſe, attamen ſpiritus, qui nervos incolunt, principaliter eſſe affectos. Et deinde jam clarum ac perſpicuum fieri poteſt, quare a ſolo irregulari ac concitato ſpirituum motu in diſpoſitis ſternutamentum moveri poſſit. Ita curioſæ ſunt obſervationes, quæ confirmant, nonnullos, quoties cum uxore rem habere geſtirent, immediate ante cœptum opus ter quaterque ſternutare coactos fuiſſe, qua de re legi meretur Stalpartius vander VViel *obſ. 6. part. prior. p. 44.* it. Amatus Luſitanus *ſcholiis curation. 3. Cent. 4. fol 370.*

5 Cum autem ſternutatio affectio ſpirituum ſit, qui primas in regenda tota ma-

machina tenent partes, ex quorum conſtitutione boni vel pravi effectus in corpus redundant; hinc etiam a vetuſtiſſimis temporibus ſternutatio actus boni et mali ominis ſignum fuit. Ita optimum ſignum fuit et adhuc eſt reconvaleſcentiæ, quando ægrotantes incipiunt ſternutare, qui alias difficulter admodum id faciunt propter virium defectum ſive ſpirituum non ſufficientem influxum, unde vulgatum illud inter medicos Pariſienſes eſt: ſternuit, ſalva res eſt, et Moſocomio capelli debet, circa quam rem videatur Moſantius Prioſius in epiſtolis p. 204. ita etiam Ballonius ad Theophraſti librum *de vertigine* p. 9. vulgo, ait, Xenodochiis jubent ægros exire, cum primum ſternutant, quod bono id fiat omine, et quod in limine ſint ſanitatis, quaſi victa calore naturali morbifica ſit materia cocta et modificata. Ex adverſo etiam obſervatum fuit, ſternutationem mali fuiſſe ominis, tum frequenter peſtilentiam vel alium graviſſimum morbum præceſſerit. Ita Thucydides *lib. de bello Peloponeſ.* §. 131. *fol.* 180. peſtilentis cujuſdam malignæque ſternutationis meminit, in famoſa illa Athenienſium peſte graſſantis. Polytorus Virgilius *Lib. 6. de invent. rerum Cap.* 2. itidem ſimilis ſternutationis mentionem facit, qua omnes, qui aliquoties ſternutaſſent, paulo poſt extinguerentur. Aſſeritque ex recentioribus Diemerbroccius *Lib. de peſte Cap.* 15. Tempore gravis illius peſtis an. 1635. neminem ſe vidiſſe convaleſcere, qui durante morbo ſternutaſſet ſæpius. Exinde jam nos bene precandi ſternutantibus, qui etiam diu ante Soſpiratoris noſtri ortum apud ethinicos, et ante ipſum Ariſtotelem obtinuit ut *Famianus, ſtrada prolusionum academ. L.* 3. refert, derivandus videtur. Invaluit etiam is mos et ſemper continuavit per omnes ferme nationes, etiam Turcicum regnum, (utut Angli hodie num eum non obſervent,) ut ad ſternutationem vel caput denudent, aut corpus inclinent, et ſternutantes ſalutent his verbis: Deus te adjuvet, ut minus etiam urbanus ille habeatur, quiſquis hæc, quicquid eſt humanitatis, negligat. vid. laudatus Prioſius.

6 Hiſce jam miſſis res maxime poſcere videtur, ut recipiamus nos ad examinandum et inquirandum, in quænam corporis parte ſtationem potiſſimum habeat ſternutatio, et unde mucoſi iſtius et ſqualidi humoris ejectio oriatur. Memorandum autem hic venit perperam veteres dijudicaſſe ex cerebro illud, quod ſternutamento ejicitur, ortum ſuum habere. At vero infelicitati temporum, quæ obſervationibus anatomicis circa corpora humana admodum ſterilia fuerunt, id conſonandum eſt, utpote manifeſtiſſime hodierno tempore demonſtrari poteſt, os ethmoides ſeu cribriforme foraminulis variis inſtructum, non aptum eſſe ad tranſmittendam vel emittendam, quandam materiam fluidam, cum firmiter foramina, utut pervia, dura matre et nervorum ramulis per hanc tranſeuntibus occluſa ſint, ut nullum fluidum etiam tenuiſſimum, ſicuti eſt ſpiritus vini rectificatiſſimus, ibi detentum ne ad minimam guttam tranſire et ad nares deſcendere poſſit. Denique et aliud clariſſimæ veritatis eſt, humorem talem, qui per ſternutationem diſcutitur, intra duram matrem et cranium nunquam deliteſcere, neque talem reperiri in cerebri ventriculis, nec glandulam pituitariam ſuam, quam ſecernit, lympham huc amandare; ut adeo cloacæ hujus origo alio in loco quærenda ſit. Deinceps et nunquam hoc demonſtrari poterit, aerem neque odores, multo minus alia externa inſpiratione immediate in cerebrum pervenire poſſe, hinc optime Galenus *de ſimplicibus medicamentis* ſcribit; Errhina quæ mediante inſpiratione attrahuntur in nares non, ut vulgaris eſt opinio, per os cribriforme ad cerebrum ſcandunt; ſic etiam intra perſuaſio et figmentum eſt, in illis, qui tabaci fumigationi perpetuo ſtudent, anteriora cerebri eſſe ſiccata et fumo nigro infecta, quod clariſſime variiſque diſſectionibus factis refutavit Neander *in Tabacologia p.* 228. *& ſeqq.*

7 Quodcirca rectiſſime cum recentioribus ſternutationis ſubjectum et originem muci, qui naribus ſolet expurgati, nec non ipſius olfactus organon credimus eſſe cavernoſam interiorum narium ſtructuram

cturam et oſſeam concamerationem, quatenus nempe membrana non tantum ad ſenſum, ſed et ad pituitæ ejectionem diſpoſitæ inveſtitur. Operæ pretium autem duco hac occaſione accuratius paulo, qua tamen fieri poteſt brevitate, internum narium mirabilem ſtructuram perluſtrare. Quoad autem internam narium concamerationem ſpectat, deprehendimus varios oſſeos triplices, qui ſcalæ, it. oſſa turbinata ſpongioſa vocantur, quorum fabricam et uſum ſingulatim jam perſpicere placet. Sinus autem illi recte numerantur duodecim, nempe duo ſphenoidei, qui intra os, quod ſphœnoides dicitur, excavati ſunt et ſellæ equinæ ſubjacent. Ex iſtis per anum foramen humores delabuntur in binos meatus, qui a naribus ad fauces tendunt. Ethmoidei ſex numerantur, qui frontalibus et ſpœnoideis intermedii ſunt, in utroque latere tres, et hi tenuibus oſſibus controverſis et non nonnihil obliquis ab invicem diſtincti ſunt, quorum anteriores reliquis ampliores ſunt, in quibus etiam foramina duo reperiuntur, quibus mediantibus anterior hic ſinus ethmoideus cum maxillari communicat. In oſſe frontis juxta naſi radicem duo quoq; exſtant ſinus dicti frontales, quorum unus ſæpius altero amplior et diſtinctas etiam fovet cellulas. In illorum ſinuum poſtica parte foramen eſt, quod narium poſteriorem partem reſpicit. In maxilla autem ſuperiore duæ cavitates ampliſſimæ ſunt, in quarum ſuperna parte unum eſt foramen at brevis ductus, qui ex ſinubus ethmoideis anterioribus humorum recipit.

8 Sinus hi dicti duodecim nec non os vomeris omniaque oſſa ad narium fabricam ſpectantia inveſtiuntur membrana, quæ propter officium ſuum dicitur pituitaria, hancque cum ſinubus narium ex omnibus accuratiſſime deſcripſit Vieuſſen *in Neurologia cap. 16. pag.* 187. ubi aſſerit illam eſſe fungoſam, ſpongioſam ac glanduloſam quamplurimis diverſi generis vaſis inſtructam, quæ ſi digitis comprimatur, mucum ſtatim emittat, ſique in aquam immittatur, ſpongiæ ad inſtar intumeſcat. Caſſerius Placentinus illam dicit eſſe ſpongioſam, ſublividam & multum ſanguineam, ita ut ſi digitis leviter fricetur, ſanguinem effluere faciat. Et obſervavi in anatomia cadaveris maſculini a me celebrata membranam hanc numeroſiſſimis arteriolis ſtipari, quæ injectione liquoris ſpiſſi rubicundi adhuc dum in capite ſiccato elegantiſſime apparent. In plexulos hepatis uterini plexibus non abſimiles numeroſas has arterias ex carotidum ramis externis enatas exire auctor eſt idem Vieuſſen *Loc. cit.* Hæc jam membrana, glandulis copioſiſſimis prædita, ex innumeris hiſce arteriolis partem aquoſam, lymphæ nervorum ac cerebri elaſticæ ſpirituoſæ activitatem infringentem, inſtar cerebri ſeparat, & per breves quoſdam ductus quos vaſa mucifera laudatus Vieuſſen nominat & quorum aliqui ſetam admittunt & circa poſticam oſſis vomeris et utriuſque oſſis palati partem apparent, expurgat & in nares ceu communem cloacam derivat. Hæc itaque membrana, quæ ab utroque oſſis occipitis proceſſu oritur lateque expanditur & interne œſophagi tunicæ continua eſt ac laryngis latera contingit, os vomeris oſſaque ſpongioſa & turbinata omneſque ſuperius nominatos ſinus duodecim obducit, eſt emunctorium principale ipſius muci, qui ſecernitur in naribus & ſinubus, ubi mora nonnumquam nimium lentorem contrahit. Non autem ubique eſt æqualis craſſitiei vel conformationis, nam quæ poſticæ utriuſque oſſis palati parti appenditur, ea craſſior eſt, & fere tota glanduloſa & muciferis inſtructa vaſis intertexta videtur. Illa autem membranæ pituitoſæ pars, quæ duodecim ſinus inveſtit, ſubalbida & ſpongioſa eſt, valde autem membranoſa & magis tenſa apparet illa, quæ oſſibus ſic dictis turbinatis inſternitur; de his autem oſſibus Caſſerius *de fabrica naſi Lib. 3. cap. 16.* ſcribit: *In profundo narium recondita ſunt officula ſpongioſa, quæ gradu ſcalæ videntur appellari, eo quod gradatim unum ſupra aliud poſitum ſit, turbinata hæc oſſa dicuntur.* Oriuntur ex parietibus narium oſſibus in quam cavitatem genarum interne ſapientibus, ubi initio tenui exorti ſtatim craſſeſcunt &

turbinis formam adſumunt, undique liberа & nuſquam niſi ſuo principio alligata, ita deorſum pendula dependent, ut intermediam quandam latebram inter os genæ conficiant. Et ſane jucundum ſpectaculum eſt, hęc officula ſeu lamellas oſſeas, quæ neutiquam cartilagineæ ſunt, in varios cylindros tubulos & ſemicirculos oſſeos convolvi, ut quaſi in diverſos ſpecus & labyrinthos, ubi alia in aliam tendit, dividi. Hæc ſingula ſpongioſa officula, ſingulæque eorum lamellæ & inde effictæ cavitates tunica etiam ſpongioſa, ſed magis nervea inveſtiuntur. Hinc etiam hęc ipſa magis prę aliis membranæ partibus ſenſu exquiſitiori gaudet; ſicuti enim tota membrana pituitaria per nares extenſa ſenſum ſuum ac motum maxime nanciſcitur non tam a primo, quam a ſecundo ramo quinto paris emiſſi, ita maxime hi nervi plurimas fibrillas per membranam, oſſa turbinata obducentem, ſpargunt atque diſtribuunt, hinc merito huic tunicæ & dictæ oſſium turbinatorum conformationi odoratus organi titulus tribuendus eſt, cum non peculiaris hujus tunicæ textura nervea tenſa alium uſum arguere videatur, quam ut tantum mucum ſeparet: quocirca Bartholinus in tractatu *de olfactu organo*, rectiſſime ſcribit: *quo major tunicæ narium eſt ſuperficies, eo plura nervoſæ extrema in eum terminari poſſunt, pluresque aeris particulæ in eandem impingere*. Hinc etiam laudatus auctor in venatico exquiſitiſſimi ſenſus cane inextricabilem & plane innumerabilem lamellarum in ſemicircularem figuram curvatarum progerminationem & circumvolutionem invenit, & animalia olfactu excellentia officula talia cucullum vel concham veneris figura referentia ſemper plura, longiora, magiſque contorta poſſidere ſcribit.

9 Sententia itaque noſtra eſt, tunicam hanc ſenſibilem oſſa turbinata cum illorum cavitatibus inveſtientem ſubjectum maxime eſſe odoratus, cujus organon in tunicæ narium multiplicata, dum ex anguſto in anguſtum ipſa tendit, & in concavitate officulorum aerem odoriferum non tantum remorante ſed & verberante conſiſtit. Et ſicuti in hac tunica particulæ odoriferæ fluido reſpirationis impulſæ percipiuntur, ita etiam nullum dubium eſt in eadem tunica varios pulveres vel ſpecies naribus ſuſceptas ibique appulſas percipi ſenſumque irritatorium ab iiſdem excitari, adeo, ut idem ſubjectum odoratus & ſternutationis ſit. Irritata autem illa tunica in conſenſum utique trahitur tota tunica narium pituitaria, propter eandem communionem nervorum, nec non continuitatem, ita, ut fibris ejus conſtrictis & compreſſis ſuccus ille, qui in eadem hæret, copioſe & ubertim excutiatur.

10 Deſcriptio jam ſufficienter ſternutationis organo & ſubjecto, illoque loco, e quo promanare craſſus ille mucus ſolet, qui ſternutatione ejicitur, reſtat jam ut etiam breviſſimis naturam ſternutationis ſive motus ipſius, thoracis convulſivi cum violenta expiratione & aeris exploſione vehemente juncti indolem perluſtremus, & maxime, quomodo thorax & diaphragma ab irritatione narium tunicæ in conſenſum rapiantur. Notum autem jam eſt ex anatomicorum obſervationibus, non tantum primum nervorum par, quod proceſſum mamillarium nomine venit, verum etiam ſecundum ramum quinti paris nervoſi intra cranium oriundi abire ad pituitariam membranam, maxime autem ad illam partem, quæ oſſa turbinata ſic dicta ſeu ſpongioſa inveſtit, ubi non modo ſenſus ſine perceptionis odoriferarum atomorum, ſed & omnis motus & contractionis hujus membranæ cauſſa exiſtit. Quoniam autem per nervorum intercoſtalium quoad maximam ſuam portionem nervis quintæ conjugationis debetur, hinc facillime ratio peti poteſt, quare irritatione facta moleſta in naribus, quam ſemper ſubſequi ſolet influxus celerior nervei fluidi, in conſenſionem ſimilemque actionem ſpiritus in nervis intercoſtalibus exiſtentes rapiantur. Optime hinc Vieuſſen *Lib. 3. cap. 5.* ſcribit: *In ſternutatione ſtatim ac nerveæ fibræ, quæ in membranam narium interiora occupantem deſinunt, a re quavis acri vellicatæ corrugantur, illico diaphragma propter altiorem inſpirationem a ſpiritu ani-*

animali per nervos intercoſtales devecto excitatur, deprimitur & ſubinde membranæ narium, ſpaſmo remittente, ſeptum tranſverſum ſuperiora vehementer retractum violentam exſpirationem excitat. Ex quibus dictis & adductis patet diaphragma potius & principaliter ſedem & ſubjectum ſternutationis eſſe dicendum, quam ipſum caput vel in eo contentum cerebrum, tametſi non negandum ſit, ex influxu concitatiori ſpirituum, qui occaſione vellicationis ac morſicationis tunicę narium nerveę contingit, violentum hunc thoracis motum dependere. Strepitus autem ille & aeris ſonora exploſio, in ſternutationis actu quæ contingit, unice proficiſcitur ab aere per exſpirationem celerrime ex trachea in anfractuoſos narium meatus & ibi contractione quaſi anguſtator, vi tranſeunte & irruente, ubi reverberatione, alliſione & fractione talem ſtrepitum & ſonitum edit, unde etiam ſæpius fit, quando ſic aer primum vehementer inſpiratus maxima vi in exſpiratione expellitur, ut etiam cibus & potus in ore & faucibus hærens ejiciatur, lapilli in interiori aure hærentes, uti nuperrimum hic exemplum docuit, expellantur, vel calculi ex renibus et uretheribus in veſicam deturbentur, aut etiam fœtus propulſio ex utero promoveatur.

11 Hiſce jam pertractatis ordo poſtulat, ut non tantum illa, quæ ſternutationem excitare apta ſunt, perſpiciamus, ſed maxime etiam, quod noſtræ eſt tractationis, ad ea dirigamus animum noſtrum atque inquiſitionem, quo illa ipſa, quæ ingrediuntur et conſtituunt famoſos illos pulveres errhinos et ptarmicos, cognoſcamus, et medice examinemus. Et cum jam noſter ſcopus ſaltim eo tendat, ut non tam illa, quę intrinſecus in corpore anſam præbere poſſunt huic adfectui, inquiramus, quam potius externas cauſas ſcrutemur. Hinc omiſſis illis, quę utique uberiorem tractationem merentur, ſaltim jam occupati erimus circa cauſas externas. Brevibus autem aſſerimus; omnia illa quæcunque membranam illam narium ſenſu exquiſito pollentem, vellicare, irritare et morſicare apta ſunt, illa etiam ſternutationem facili negotio movere poſſunt. Ita ſola titillatio cum penna vel cum papyro convoluta facta, ſternutamentum prompte ciet. Et compertum eſt, irritari etiam nares et ſternutationis motum produci per repentinum tranſitum e loco obſcuro in admodum illuſtratum. Unde etiam recte dixit Ariſtoteles: *ſternutat, qui ſub ſolem ſe committit.* Cl. Schneiderus tract. *de ſternutatione* refert, concionatorem quendam ſe cognoviſſe qui cum ſoli exponeretur, bis, ter vel etiam ſæpius ſternutare coactus fuerit, quod tamen tantummodo locum habet in ſubjectis ſenſibilioribus. Ratio autem hujus effectus hęc eſt: radii ſolares penetrantiſſima ſua actione ac motione aerem commovendo, ipſos etiam ſpiritus tunicæ narium inſidentes fortiter commovent; non ſecus ac videmus lucem ſolarem ob vehementiſſimam ſuam actionem oculis laborantibus non conferre, ita ut etiam ſolus adſpectus lucis in ophthalmia cauſari vel eandem ob cauſam dolorem augere poſſit; ſiquidem nulla ſenſatio nulla perceptio in machina noſtra microcoſmica ſine præcedente tactu vel tremula motione membranarum fit.

12 Ut autem proprius accedamus ad materiam et naturam illorum, quę vel tantum pituitam e naribus evacuant, vel cum aeris exploſione illam educunt, dicimus: omnia ea eſſe indolis ſalino-ſulphureę acris, quandoquidem non omnia ſalia, uti ſunt neutra, media, ſalia etiam acida tali facultate pollent, quippe quæ fixioris naturæ et ſpiculis craſſioribus dotata minorem ingreſſum habent in tenuiſſimos fibrillarum membranacearum poros, ſed requirantur paulo ſubtiliora, qualia ſunt ſulphurea et acria, quæ motu inteſtino ætheris ſtipata longe penetrantiora ſunt et intimioris admiſſionis, unde videmus ſalia volatilia naribus indita promte colliquare pituitam, imo ſternutationem excitare. Quinimo admodum veroſimile eſt, principium illud, quod in errhinis et ſternutatoriis operatur, ad alcalinam potius quam acidam naturam accedere, preſertim cum acida enervent et notabiliter infringant illam vim, teſte experientia et antiquiſſimo auctore Plinio

nio qui hiſtor. nat. *Lib. 23. ca. 1.* inquit : *ſternutamenta acetum olfactu cohibet*. Et cum omnia purgantia propter idem ſal acre irritans ſubtile volatile plus minus cauſticum, ſint ſimul validiora ſternutatoria & ipſorum vis purgans manifeſto enervetur atque eicuretur ſalibus acidis, dum nempe hæc ipſa ſal illud tenue volatile alcalinum figunt & motum iſtum ætheris igneum ſiſtunt, ita enim non inconvenienter argumentari licet eodem ſale gaudere ſternutatoria, quo ipſa purgantia. Accedit & illud, quod tabacus errhinorum & ſternutatorium princeps ſale volatili acri ſulphureo copioſiſſimo polleat, qui intra aſſumtus ventriculi, œſophagi & inteſtinorum membranulas fortiter vellicando & vomitum & ſedes violenter ciere ſolet, manifeſto documento: non alium modum agendi ſternutatoriorum emeticorum ac purgantium eſſe, quam qui in morficatione, inſultu & roſione tunicarum nerveo glanduloſarum verſatur. Deinceps elementum illud, quo agunt ptarmica & errhina, ſalinæ volatilis ſulphureę naturæ eſſe vel ex eo intelligi poteſt, quod pleręque herbę cephalicæ, quæ ſale ſubtili volatili oleoſo gaudent, cujus generis ſunt nominatim origanum, ruta, flores anthos, majorana, thymus, ſerpillum, baſilicum, ſemen naſturtii, ſinapi, coriandrum, cubebæ, vel recentes vel melius ſicco modo naribus inditæ promte ſternutatorium vel tantum errhinum effectum exhibeant.

13 Non autem occupati erimus totum catalogum omnium errhinorum & ſternutatoriorum proponere, ſive totam materiam errhinorum recenſere, ſed tantum animus eſt breviſſimis exponere, ex quibus uſitatiſſimi iſti pulveres, qui naribus inſpirantur & attrahuntur, evacuandi muci cauſa componantur, ſive quęnam illorum ingredientia, quis modus præparandi ſit, ut eo melius poſtea perſpicere queamus, quid damni vel emolumenti adferre queat illorum rectus uſus atque perverſus abuſus. Dixi autem ſuperius, pulverum horum ptarmicorum princeps ingrediens eſſe ipſum tabacum ſeu herbam nicotianam; poſtquam enim hujus herbę maxima utilitas generi humano innotuit, ſub variis formis interne & externe uſui humano illam adaptarunt, & cum nautæ ac milites, quibus initio frequentior fuit tabaci uſus, experimento didiciſſent, tabacum in pulverem redactum & naribus inſpiratum eſſe ptarmicum; & hoc ipſo exonerari caput utilitate optima, hic uſus poſtea ad multas gentes & nationes pervenit, & primum ad Italos, apud quos talium pulverum uſus eſt frequentiſſimus, poſtea ad Gallos & etiam ipſos Germanos ſeſe extendit, factum, ut tabacomania jam multi laborent, & ipſa conſuetudo talem pulverem fecerit pene cum aere neceſſarium, ita pleriſque inutilis & ſuperfluus imo noxius eſt. Multi recto ejus uſu primo, deinde facta conſuetudine ſunt verba Magneni de tabaco, poſtea contracto habitu tantam hujus pulveris copiam abſumunt, ut hominem noverim, qui die unico pulveris tabaci optimi uncias tres naſo ſuo perdiderit. Sed opus jam eſt, ut de præparatione horum pulverum quædam ediſſeramus, quibuſque in locis præparentur, notum autem eſt præparari maxima in copia Bononiæ, Trienti, Venetiis, Turini, unde etiam ad alias diſſitas regiones magno mercatorum lucro affertur. Modus autem præparationis hic eſt, ſumitur nempe pręſtantiſſimus tabacus de Levante & ejus ſtipites ac ceſpites aqua roſarum infunduntur, poſtea ficcantur & in minutiſſimum rediguntur pulverem, qui cum ſolutione tenui tragacanthę miſcetur, & in paſtam redigitur, quę poſtea ex tenuiſſimis tuniculis ferreis compoſitum eſt anguſtiſſima foramina relinquens, trajicitur, ita ſub ſpecie tenuiſſimorum pilorum appareat, qui dein ſingulari encheireſi vaſe concavo magno excipiuntur, & continua agitatione & ſuccuſſione in globulos minutiſſimos rediguntur, qui germanicis ſub nomine gefdrnter Dobad venit, qui poſtea oleo de cedro vel jaſmino, pergamotti ſuavi odore imbuitur & talis ex Italia ad nos adfertur. Turini flores aurantiorum exſiccatos item flores roriſmarini admiſcere ſolent. Alius autem eſt modus hunc pulverem in Hiſpania præparandi: hic enim loci in tenuiſſimum pellinem, qui in fumum facile abit, redigitur.

Nem-

Nempe ſumunt tabacum optimum de Braſilia, & in camera calefacta extreme illum ſiccant, ut inter manus teri poſſit, talem jam indunt duobus ſacculis ex linteo ſubtili confectis, poſtea in alio conclavi puro vir, qui bene nares, oculos, & os ſingulari adaptato inſtrumento munivit ac defendit, duos hos ſacculos vehementiſſime inter ſe concutit, ut tenuiſſimus pulvis ſub forma fumi per porulos ſacculi expellatur, qui deinde in conclavi excipitur, & ad uſum colligitur, & hic jam propter tenuitatem ſuam inſpiratione improvida facile ad ipſam laryngem aſperamque arteriam tranſit ibique irritatione facta tuſſim concitat. Præterea uſitatus hoc tempore adhuc eſt alius, qui ex Portugallia ad nos ſub forma pulveris non adeo ſubtilis coloris ex flavo virideſcentis & odorem ſicut panis groſſior Weſtphalicus vulgo Bonpournickel de ſe ſpargit, & ex foliis optimi nigri tabaci prius in aqua roſarum maceratis præparatur, ut nimia eorum acrimonia ſalino ſulphurea extrahatur; poſtea folia exſiccant & pulverem ex ipſis conficiunt, quem ſine ſuaveolentia urplurimum relinquunt.

14 Præter has præparationes ſimplices adhuc innumeræ reſtarent magis compoſitæ deſcribendæ, dum quivis ferme pharmacopola vel medicus gratioſus in quavis regione peculiarem excogitat compoſitionem, ut non tantum colore ſed & odore ac conſiſtentia pulveres hi admodum inter ſe differant, ubi tamen tabacus manet baſis, quod modo varias ſpecies cephalicas fragrantiſſimi odoris ad meliorem gratiam conciliandum admiſceant. Noſtri jam erit officii, ut præſtantiſſimas & valde expertas & quas nos magni facimus, tantummodo hoc loco adducamus, ut quivis habeat, quo caſu neceſſitatis pro morborum & humanæ temperiei uti queat. In anteceſſum autem hic moneo, duo præ cæteris elegantiſſima & præſtantiſſimę virtutis plane vel parum cognita me magni facere, quorum uſum etiam variis in adfectibus magno cum fructu & capitis robore adhuc expertus ſum, quorum primum eſt reſina ligni guajaci, non illa, quæ ſpiritu rectificato ex raſura hujus ligni extrahitur, ſed quæ mediante coctione cum aqua tantum ſimplici elicitur; dum nempe in ipſa aqua per ſufficiens tempus raſura coquitur; decoctum poſtea leni calore ad ſiccitatem uſque inſpiſſatur & ſic ptarmicum pulcherrimum emergit, quod ſuavi balſamico odore nares adficit & ſatis potenter pituitam colliquat. Alterum eſt benzoe in flores reſoluta, quando nempe hujus gummi optimi pulvis in aqua pluviali coquitur, quæ identidem inſpiſſatur, ita pulvis odoris ſuaviſſimi ex ſplendeſcentibus miculis & ſquamulis compoſitus conficitur, qui naribus attractus penetrantia ſua ad motum eximie ſuſcitat & denſatum ibi humorem extergit. Quod autem horum remediorum præparatio cum aqua inſtituatur, hæc ratio eſt; quoniam hæc ex reſinoſis iſtis corporibus præter ſulphureas, acutas, ſalinas ſcindentes & pungentes partes extrahit, quæ hic maxime deſiderantur.

15 Sed ut ad noſtras, quas laudamus & laudavimus formulas, redeamus, ſequentes cum benevolo lectore communicabimus. Recipe ſacchari optimi unciam ſemis, balſami apoplectici grana duodecim, florum benzoes, reſinæ ligni guajaci ana grana decem, miſce. Pulvis hic gratiſſimi eſt odoris & egregie nervoſas capitis partes ſolatur, nec non pituitam ſatis efficaciter educit. Hinc merito cunctis ferme errhinis eſt præferendus; præcipue autem ſingularem opem ſpondet in capitis ſeu actionum animalium torpore, vertigine, nimia ſomnolentia, decubitu humorum catarrhali ad dentes, ad aures, capitis gravativo dolore; egregie quoque conducit pituitoſis & qui caput imbecillum habent. Altera formula hæc eſt. Recipe pulveris tabaci, infuſione aquæ roſarum prius mitigati, unciam ſemis, florum aurantiorum exſiccatorum drachmas duas, olei florum aurantiorum optimi Italici guttas decem. Lenis operationis hic pulvis eſt, & ſuavem odorem ſpirat. Tertia hæc erit, recipe pulveris ligni aloes, ſuccini pulveriſati, tabaci ana drachmam unam, caſtorei grana decem, olei majoranæ guttas quatuor, pulvis hic in diſpoſitione ad apoplexiam, epilepſiam, paralyſin, vertiginem egregii uſus eſt. Parandi modus hic eſt quartus, ſume ſa-

lis

lis volatilis ammoniaci ſicci drachmam unam, olei majoranæ guttas decem miſce. Hoc penetrantiſſimum eſt errhinum, ſolo odore, vel melius pulvere ejus naribus attractum in deperdito odoratu ab humore craſſo, copioſo, ſpiſſo, frigido, quale quid accidit in coryza, nec non in naribus plane occluſis, item apoplectico, epileptico paroxyſmo, nec non in affectibus ſoporoſis efficaciſſimum. Quinta pulveris compoſitio hæc eſt recipe radicis iridis florentinæ drachmam unam, florum balauſtiorum, roſarum rubrarum ana ſcrupulos duos, florum anthos, lavendulæ drachmam ſemis, hellebori albi grana octo, moſchi in ſpiritu roſarum ſoluti grana duo, pulvis exinde fit varii & grati coloris, & talis ex Turcia adferri ſolet, nec uſu ſuo defraudandus; hoc ſaltim vitii habens, quod linteamina propter flores balauſtiorum rubro colore inficiat. Sexta eſt, recipe florum liliorum convallium, majoranæ, pulveris tabaci ana drachmam unam, hellebori albi grani duodecim, olei majoranæ, cubebarum ana guttas quatuor; pulvis hic ſi ſternutatio movenda eſt, & pituita craſſa educenda, nareſque muco obſtructæ, in pituitoſis & phlegmaticis egregie ſuum facit officium. VII. Recipe radicis valerianæ, ſeminis fœniculi, pulveris tabaci ana drachmam unam, florum benzoes grana duodecim, olei cubebarum, fœniculi, majoranæ guttas duas, ſpiritus roſarum guttas duodecim, miſce fiat pulvis, qui in adfectibus oculorum, viſus imbecillitate, nimiaque illorum ſerositate uſum habet non contemnendum. VIII Clariſſimus Lentilius in *miſcell. parte 2. p.* 564. hunc pulverem magnifacit in graviſsimis capitis adfectibus; recipe olei ſuccini ſcrupulum ſemis, lavendulæ, roriſmarini, ſalviæ, rutæ, ſpicæ ana guttas tres, balſami apoplectici grana octo, incorporentur cum ſaccharo canarienſi finiſsimo, ut fiat pulvis. Pulvis mochoacannæ albæ cum oleo fragranti eximium quoque errhinum conſtituit, id quod ex Inſula Malthæ adferri ſolet.

16 Recenſitis ſic optimis, quæ uſui inſervire poſſunt, errhinorum & ptarmicorum formulis, utile futurum judico, ſi de illorum uſu & abuſu etiam verba faciam, illumque rationibus & experientia munitus aperte oſtendam. In confeſſo autem eſt, omnino taliſmodi pulveres, ſi modus in hiſce ſit & prudenter applicentur, ſalubritate ac fructu non carere, quandoquidem in dubium vocari nequit, membranam illam narium, quæ in capite tam late ſe extendit, & tot anfructuoſos oſsium gyros ac ſinuoſas cavitates obducit, eo officio fungi, ut viſcoſam, mucidam ac ſeroſam ſuperfluam materiam ex ſanguine ſecernat, quo ipſe purior, agilior, & ad fluidi nervei ac cerebri elaſtici productionem aptior evadat, dum liberatus eſt ab ea materia, quæ ejus activitatem, expanſionem elaſticam impedire ac retundere poterat. Quinimo per ſolenne hoc narium emunctorium ſeparata ſic debite materia pituitoſa, præſertim in illis, qui ejus copia abundant, ſanguis in progreſſu & circulo ſuo per caput longe liberius ac minus impedite circumvolvitur, cum alias ſi obſtructis naribus refertus ac onuſtus taliſmodi lento humore ſit, deprehendamus, & gravitatem capitis cum dolore, auditus difficultatem, tinnitum aurium, vertiginem, torporem actionum animalium, ſomnolentiam, exinde oriri. Quemadmodum itaque legitimum exercitium actionum, quæ ſanitati præſunt, potiſſimum in debitis ſecretionibus & excretionibus fundatur: ita omnino medici opus atque intentio eſſe debet, ſi ſecretiones hæ labaſcant, ſi ſecretoria & emunctoria otientur vel obſtructa ſint, convenientibus remediis, omnes ſecretiones ſollicitare, procurare, obſtructaque diſſolvere ac reſerare, cui fini etiam ſerviunt purgantia, diaphoretica, diuretica, expectorantia, apophlegmatica, ſalivantia & hujus generis alia. Ex quo jam facile quivis intelligere poteſt, remedia, quæ nares incitant ad excretionem muci, magnæ eſſe efficaciæ & inſigni niti fundamento in re medica, adeo ut illorum uſus æſtimandus merito ſit.

16 Cum autem natura optima ſit morborum medicatrix & vias monſtret, per quas duci inutilis humor debeat opportuniſſime, & medicina imitatrix naturæ

ſem-

ſemper ſit, hinc quoniam obſervamus naturam ſæpius ipſam ſternutationem efficere & colluviem humorum ſeroſorum per nares educere inſigni cum corporis levamine, ſicuti videmus in coryza, ita etiam arte procurare nonnunquam licebit talem expurgationem ſeri effæti, inutilis, copioſi, præſertim ſi corpora fuerint pituitoſa, ſi humores circa caput ſtagnant, gravitatem & dolorem preſſorium inducunt, & nares humidæ obſervantur. Maxime omnium autem tale excretionis genus moliri licet, ſi homines certis anni temporibus aſſueti fuerint ipſius naturæ vigore taliſmodi excretioni ſive profluvio ſeri per nares, quale quid ſi a cauſis variis cohibetur, non poteſt non magnam noxam toti corpori imprimi autem capiti inferre. Deinceps quando odoratus deperditus eſt ob nimiam humiditatem, circa hæc loca confluentem, utiliter etiam applicantur pulveres errhini, qui non modo exſiccandi, ſed & tonum fibrillarum nervearum roborandi facultate pollent. Siquidem notum eſt, uti omnes reliquos ſenſus, ſic etiam odoratum perfici in ſenſoriis, quæ membranas habent nerveas, tenſas, ſpiritu animali turgidas, ut tremulum & undulatorium motum qui ad omnem perceptionem requiritur, externum objectum efficere atque imprimere poſſit. Quando itaque membranæ nimis ſunt relaxatæ & copioſo humido imbutæ, nulla odorum perceptio, ſicuti manifeſto patet in coryza, fieri poteſt, hanc autem humiditatem præter naturam congeſtam extergunt, abſumunt pulveres tabacini ſpeciebus & oleis cephalicis nervinis exaltati. Præterea per ipſas nares etiam oculi purgantur, dum ſeroſitates, ex oculorum glandulis plorantes, per punctum lacrymale in cantho oculi ſitum ſingularemque tubulum inter oſſeum, qui ad narium cavitatem tendit, ordinaria via deſcendunt, quemadmodum id apertiſſime videmus, dum lacrymas copioſas emittimus, quod magna humiditas ex oculis ad nares dilabatur. Quodſi itaque ſive in puerili ſive in ſenili ætate inque catarrhoſis ſubjectis tono glandularum ocularium nimis relaxato humiditates craſſæ, limoſæ, vel etiam ſalſæ, acres, copioſius in oculis influant, & non modo illorum ſerenitatem ſed & viſus aciem turbant, tunc pulverum, quos in ſuperioribus laudavimus, moderatus uſus ſumme erit proficuus. Præterea & ipſa experientia teſtatur, in viſu abolito principio guttæ ſerenæ tales pulveres errhinos cephalicos, minus autem violenter ſternutationem moventes, hiſce adfectibus opitulari efficaciſſime, in ſpecie vero, quando incipiunt maculæ vel imagines minutę inter cernendum ante oculos agitari, dicta remedia laudem merentur ampliſſimam. Confirmat hoc ſuo exemplo *Cl.* Bartholinus *in hiſt. anatom. cent. 5. obſervat. I. pag.* 50. Poſtquam enim aliquamdiu inter legendum potiſſimum aut ſcribendum maculis vexatus fuerat, tandem ptarmico frequenter naribus immiſſo liberatum ſe, Deo benedicente, refert. Remedium autem hoc eſt, recipe tabaci opt. unciam unam, majoranæ, uncias duas euphraſ. ſem. fœniculi ana drachmam unam, agarici trochiſcati ſcrupulum, aquę fęniculi quant. ſuff. fiat pulvis ſubtiliſſimus.

18 Commendamus etiam dictorum laudatiſſimorum pulverum uſum in aurium vitiis, quando nempe multæ ſeroſitates in capite collectæ ibi procumbunt & membranam tenuiſſimam nerveam, aurium labyrinthos obducentem, nimium humectant & relaxant. Tali in caſu ſerum vitiatum ibi hærens percommode mediantibus errhinis vel ſternutatoriis per ductus Euſtachianos, ex auribus ad palatum abeuntes, evacuatur. Quando coryza infeſtat homines & maximo natura molimine ibi ſordes pituitoſas deponere quærit, quibus ſarcinata eſt, non inutilis etiam erit horum remediorum uſus, opus tamen hic quadam circumſpectione, in principio enim quando ſerum eſt nimis fluxile, ſalſum & acre, & cum impetu fluit ad nares, abſtinendum ab hiſce eſt, major enim tunc adfluxus excitabitur, in declinatione autem, quando ſerum incipit fieri ſpiſſum & in craſſas lemas abire, quæ interiora ſinuum occupant, tunc noſtros pulveres adhibere ſumme proficuum erit. Addimus & hoc, quod errhina rite præparata & balſamicorum ac cephalicorum

addi-

additione roborata, naſum a fœtore, a polypo, aliiſque concretionibus ſqualidis, nec non a malignis exulcerationibus præſervare poſſint. Compertum enim in praxi medica eſt, qua ratione ſerum malignis cauſticis ſalibus in graviori ſcorbuto vel lue venerea infectum, ad has partes procumbat, illaſque propter teneritudinem ſuam corrodat penituſque exedat, & fœdum ac incurabile ulcus producat, quod hiſce remediis etiam poteſt averti, partim dum ejuſmodi ſeri maligni ulterior ſtaſis ac mora, qua ſemper majorem corroſivitatem induit, impeditur, partim etiam, quod balſamicis ſpeciebus putredo præcaveatur. Tandem etiam illud inſinuare hic licebit, ad memoriam & prudentiam hominis, quod quidem paradoxon videtur, conferre temperatum noſtrorum pulverum uſum. Quemadmodum enim cerebrum, nimia humiditate obſeſſum, plane ineptum eſt ad actiones ingenii & memoriæ exſequendas, dum idearum veſtigia difficili negotio in fibrillas ejus imprimi nec diutius detineri poſſunt &c. ita multo magis ſpiritus torpidi & ſegnes fiunt, quando ſanguis vehit ſerum exſuperans; unde exercitium judicii ac promtitudinis ad ratiocinandum, quod in ſpirituum debita agilitate conſiſtit, plane vacillat & imminuitur. Etenim non incongrue dictum a ſapientiſſimis veterum, cerebrum ſiccum eſſe ſapientiſſimum, & communi proverbio, prudentes emunctiores, ſive emunctæ naris homines ob eandem rationem ſalutantur. Ex quibus liquido conſtat, apud pituitoſos & illos, qui multum humidi generant, & cerebrum laxius ac mollius habent, ad actiones ingenii excitandas non minimam opem ferre & ſpondere pulverum talium exſiccantium & ſpiritus ſerenantium uſum. Et quamvis non immediate ex ipſo cerebro educatur ſuperflua ſeroſitas, e pituitaria tamen tunica, antequam ad ipſius cerebri interiora cum ſanguine adſcendit, illud ipſum contingit. Tandem curioſum eſt quoque quod Welſchius *in ſyllog. curat. obſ.* 12. ſcribat podagricum ex conſilio Ulrici Ducis Wurtembergici intra ſingula decennia ſemen majoranæ cum origano naribus indita magnam muci & pituitæ copiam extraxiſſe, nec unquam podagram amplius ſenſiſſe.

19 Verum diſſertationis noſtræ filum ad horum remediorum nos ducit abuſum, qui latiſſime patet, tantus enim ille hodierno tempore eſt, ut vix quenquam videas, qui etiam moratioribus & prudentioribus accerſeri geſtit, qui ne minimo quidem temporis intervallo carere poſſit, taliſmodi pulverum inſpiratione, & non refertam hiſce pyxidem ſemper pera ſua circumferat, quo breviſſimis intervallis ſemper nares replet & aliis etiam urbanitatis cauſa offert. De tali autem perverſa conſuetudine nihil boni exſpectari poſſe facile quivis agnoſcet. Damnum autem, quod tales pulveres inferunt, differt maxime, prout ingredientia varia ſunt. Si enim ex vehementibus ſternutationibus compoſiti fuerint, & ita creberrime uſurpantur, non poſſunt non graviſſima mala inde ſequi. Hujus rei *Theodor.* Kerckringius *obſ. anatom. cap.* 2. flebile memorat exemplum cujuſdam ruſtici, quem intervectores navis Harlemo Amſtelodamum vehebant, quique circumforanei cujuſdam perſuaſu ejuſmodi pulveris periculum faciebat, quo tam vehementer ſternutare primum, deinde & tantum emittere ſanguinis per naſum cœpit, ut tanquam mortuus humi procumberet, ac portatus Amſtelodamum aliquamdiu ibi remanere neceſſe habuerit. Ita etiam guttam ſerenam ſternutatoriorum intempeſtivo uſu excitatam fuiſſe, ex obſervatione *Guilielm.* Fabricii *Cent.* 1. *obſ.* 24. Plateri *Lib.* 1. *praxeos pag.* 239. cognitum habemus. Denique experientia teſtatur in capitis gravativo dolore, vel nimia gravedine ſternutatoria adhibita epilepſiam vel etiam apoplexiam excitaſſe. Videantur Rhodii *analecta ad* Septalii librum §. 17. *pag.* 129. item Nimannus *de Apoplexia cap.* 46.

20 Noſter autem ſcopus præcipuus hic eſt, ut qualem noxam afferre poſſint tabaciaci hi pulveres improvide & continuo inſpirati videamus. Primum autem dicimus odoratum illos ipſos abolere poſſe. Sicuti enim nimia humiditas odorum perceptioni officit, ita etiam nimia ſiccitas membranarum nervique odoratorii

odo-

odoratum tollere poteſt. Hinc Simon Pauli *Tract. de abuſu tabaci ac Thee, periculoſum* eſt, ſcribit, *adſueſcere minutatim contriti tabaci uſui, quoniam ſæpe patuit, eos, qui eodem abundanter uſi ſunt odoris privatos fuiſſe tono.* Membranæ enim narium nimio horum uſu, præſertim in ſiccioribus ſubjectis, calleſcunt & duriores evadunt, ut nulla vellicatio amplius ſenſum efficere poſſit. Præterea dum indeſinenter ſic & exceſſive nares pulveribus hiſce vexantur, & capſulę ſatis capaces de die evacuantur, continua ſic vellicatione facta, in ſubjectis pituitoſis & ſeroſis, præſertim ſi alvus non ſuum faciat officium, attrahuntur ad nares & copioſiſſimæ ſeroſitates, ut deinde conſuetam viam ibi facile affectent, & cerebri vaſa ac tunicas narium humores tali infarciant, unde & vocis claritas perit, dum narium meatus ſqualore turgidi anguſtiores facti fuerint, ut aer in voce, quod neceſſarium tamen eſt, ad gratam & claram loquelam libere non poſſit tranſire; hinc dicitur ſie reden durch die Naſe, deinde & tanta ſeri copioſi taliſmodo colluvies circa caput collecta ad ſomnolentiam, torporem & comatoſos adfectus feneſtram aperire poteſt. Memorabilia ſunt bina exempla quæ Joſephus Lanzarius in *Miſcellaneis Nat. Curioſ. Dec. 1. an. 2. obſ. 131.* adducit, primum ſcil. de cive Ferrarienſi, qui ex nimia quantitate pulveris nicotiani aſſumta coma ſomnolentum contraxit tam potens, ut neque ab acclamantibus domeſticis, neque ab alio remedio expergiſci potuerit, ſed in cubili ſedens ſtupidus omnino ac immotus manſerit, donec tandem ſeptima die extinctus ſit. Alterum de quodam ſatellite eſt, ob continuam tabaci pulveris aſſumtionem, ex phrenitide miſere interemto. Notatu digna hoc loco etiam eſt hiſtoria, quam communicat Wagnerus in *Miſcellaneis Nat. Curioſ. an. 2. obſ. 26.* nempe virum quendam litteratum ex abuſu pulveris ſternutatorii ex floribus liliorum convallium, majorana &c. confecti, aura inter aures abſcondita, ita commoviſſe membranam tympani, ut nimirum in aure dextra iſta dilatata aut diſrupta penitus auditum ex ea parte ſuſtulerit. Spectat huc egregius locus ex Mercuriali *de aurium affectibus cap. 4. de ſternutatoriis niſi caput inquiſite purgatum ſit, nunquam adhibenda eſſe; quia maxime continuuntur aures;* nam dum emunguntur nares, ſemper aures correſpondent: quaſi caput fuerit repletum, ex hac concuſſione trahitur nova materia ad aures, & ita malum augetur.

21 Multo minus autem illis utiles ſunt talium pulverum attractiones, qui narium hæmorrhagiæ aſſueti ſunt, utpote hiſce non tantum ſanguinis largior fit profuſio, ſed natura etiam crebriores taliſmodi hæmorrhagias intendit. Tandem & illud adjiciendum eſt, detracto ſic in nimia quantitate ſero, per hoc emunctorium in cholericis & ſiccioribus deficit ejus, ubi tamen neceſſaria eſt, excretio in glandulis palatinis & ſalivalibus. Cum autem ſaliva ſecundum noſtram ſententiam genuinum ſit alimentorum ſolvens, quo ipſorum nexus intime diſcerpitur, hinc facile patet, ex ſalivæ defectu digeſtionis vigorem labefactari & ad generationem cruditatum cauſam ſuppeditari poſſe ampliſſimam. Nocent autem illis maxime, qui ebrii ſunt & vino ad ebrietatem uſque ſe obruerunt, præſertim ſi ſternutatoria valida hiſce pulveribus admixta fuerint. Ita Thiermairius *Lib. 2 cap. 9. fol. 133.* ſe expertum, ait quendam potui valde deditum, crebris ſternutationibus valde commotis capitis humoribus, atque ipſo vehementer concuſſo cerebro, depreſſoque in apoplexiam incidiſſe. Poſtremo egregiam obſervationem de incommodis, quæ ſternutamentum ſecuta fuerunt, affert Hildanus *Cent. 4. obſ. 13. nempe an. 1611. Juvenem quendam Rutgerum Gummersbachium, robuſtum optimo corporis habitu præditum, Coloniæ cognovit familiariter. Ille cum catarrho ad dentes defluente vexaretur, empirici & circumforanei conſilium auxiliumque implorat. Numerata pecunia curationem adgreditur, & nullo prius exhibito medicamento purgante, naribus pulverem in radicibus, pipere, euphorbio, & ſimilibus calamo inſpirat, & bacillo ex utroque parte bifurcato inter dentes poſito, ſternutamenta provocat, & pituitam per os*

& nares extrahit & quidem copioſe. Sed quid ſit? eadem die ſubſequutus eſt tinnitus aurium moleſtus & doloroſus. Porro dolor iſte cum per ſe paulatim remiſiſſet & materia ad nares defluxiſſet, ichor emanare cœpit, atque per menſes aliquot inde effluxit. Tandem odoratus ita abolitus fuit, ut ab eo tempore ſive ſuaviſſimi, ſive ingratiſſimi odores fuerint, eos tamen percipere aut diſcernere potens non ſit.

22 Coronidis loco etiam adjiciendæ ſunt quædam regulæ, horum pulverum uſum varie determinantes. I. Plethorici, alvo adſtricta laborantes, hypochondriaci ab effrænato eorum uſu abſtineant, item ſicciores, ſenes, illis autem commode uti poterunt pituitoſi. II. Noxius etiam eorum eſt uſus ſtatim a cibo, hinc conſultius eſt, ſi homo jejunus illis utatur. III. Abſtinendum etiam ab hiſce pulveribus in oculorum defluxionibus calidis, ne major concitetur defluxio, item ubi nares hæmorrhagia tentantur, quia magis irritat: neque locus eſt illorum, ubi in naribus exiſtit ulcus. IV. Quibus hic pulvis inadſuetus & caput plurimo humore grave eſt, tunc facile ſternutationem concitat, & ſic motu humorum importuno ad caput gravem inducit deſtillationem. V. Si ſternutatio crebra & frequens oritur, loco auxilii poteſt eſſe firma compreſſio narium circa angulos oculorum, protinus enim hoc pacto impeditur ſternutatio & ratio eſt, non quod deſcenſus lymphæ lacrymalis ad nares inhibeatur, ſicuti nonnullis placet, ſed quod ramus nervi quintæ conjugationis, qui abit ad nares, per rimam orbitæ oculi prius egrediatur, & poſtea per os orbitæ interius, per ſinus ethmoideos & oſſa cribriformia demum redeat ad nares. Hic ſi comprimitur, influxus ſpirituum, qui expanſivum elaſticum hunc motum efficiunt, quodammodo impeditur. Sed hæc de uſu & abuſu horum pulverum jam ſufficiant.

DISSERTATIO XVI.

DE MIRABILI SULPHURIS ANTIMONII FIXATI EFFICACIA IN MEDICINA.

§. I.

POſtquam in rebus medicis & chymicis philoſophiæ ſeu mavis rationis ſtudium liberius & rectius hactenus agitari & excoli cœpit, atque illa ipſa, quę facti & experientiæ ſunt, ad ſolidiorum principiorum normam & rationem ponderata atque æſtimata fuerunt, ſplendidior ex tenebris quaſi ſurrexit medicinæ facies, dum in hac veritates, complures abſconditæ detectæ, innumeri errores monſtrati, via medendi brevior & concinnior inventa, & præſidia vincendis etiam graviſſimis morbis idonea excogitata fuerunt. Enim vero quodſi ad priſca tempora animum advertimus, quanta remediorum maximam partem languidorum diffuſorum perverſæque compoſitionis ſylva in illorum libris deprehenditur, quæ noſtro tempore, ubi ingenium morborum quaſi mutatum ipſorumque contumacia adaucta neutiquam ſufficientia obſervantur. Quam præſtantibus autem nec non concentratis & virtute valentiſſimis ex mineralium familia petitis claret & inſtructa jam eſt ars noſtra ſalutaris. Equidem in ea non ſum ſententia, medicamina ejuſmodi activiora ac chymica in domandis morbis tantum eſſe arceſcenda, ſed potius neceſſaria ad felicem ſanationem tam Galenica ſic dicta leniora eſſe quam exaltata, activiora & ad minimam molem redacta chymica, firmiter ſtatuo & urgeo, confirmante id uſu & experientia; qua edocemur utraque prout morbi ſit conditio, vel ægrotantis vires ac robur exigunt, eximium in medendo præſtare effectum, modo illa ipſa ſeligere prudenter, & morbis recte opponere noverit medicus. Attamen non inficiandum eſt, ſi medentis ratio & ars aliquid eximii in ſanandis morbis

bis præſertim refractariis efficit vel contribuit, neque medicatio tantum naturæ opus eſt, profecto illud ipſum medicamentis activioribus, magna vi & virtute motus inſtructis expedire poſſe & debere.

2 Eminentiora autem ea ſunt chymica, quæ ex familia mineralium ducuntur atque derivantur; hæc enim viva animata & ſpiritu minerali tenuiſſimo, puriſſimo, non deſtructibili fœta atque imbuta ſunt. Ex omnibus autem iis, ſi ullum efficacia & vi rebellibus etiam morbis reſiſtendi eſt armatum, certe eſt ipſum ſtibium, quod ex duplici activiſſima ſubſtantia, mercuriali & ſulphurea altera compoſitum eſt, & hinc merito chymicorum deliciæ & divinum minerale dicitur. Multa ex eo in chymicorum libris parata, nec non pharmacopolis præſtantiſſima & expertiſſimæ virtutis medicamina, quæ artem noſtram exercentibus ſunt notiſſima, proſtant. Cum autem experientia, qua indies docemur, & altius provenitur res medica, compertum ac confirmatum habeamus, quoddam remedii genus, ex ipſo hoc minerali peculiari artificio paratum minuſque notum, quod titulo ſulphuris antimonialis fixati gaudet, illudque non modo nobis, ſed ampliſſimis archiatris, & peritiſſimis medicis ac chymicis hactenus per aliquot annos repetitis vicibus mirabilem atque divinam in morborum ſanatione præſtitit opem atque auxilium, quod vix ac ne vix quidem ab aliis expectandum; ideo apud animum conſtitui, in præſenti ea, quæ circa efficaciam hujus remedii, naturam modumque operandi obſervavi & meditatus ſum, brevi, utiliſſimo tamen labore, communicare.

3 Ut autem eo melius naturam ac indolem agendique modum ac efficaciam hujus remedii expiſcemur, opus erit ante exponere, quænam principia & elementa antimonium, medicinæ noſtræ parens in ſe contineat ac complectatur. Ubi tamen primo loco tenendum, illud ex duplici ſubſtantia, altera ſulphurea phlogiſta, minerali, & altera mercuriali, metallica regulina eſſe compoſitum atque conflatum. Quod primum in eo continetur principium ſulphureum, hoc ipſum variis ſeſe modis ſiſtit atque ſenſibus noſtris exhibet. Quando enim antimonium crudum ſive ſolaribus radiis, ſive igne carbonum calcinatur, vapor quidam tenuis, ſulphur perfectum redolens in auras excutitur, qui quoque tenebricoſo loco, fortiori ignis gradu admoto, inflammatus viſitur. Dein ſulphur ex antimonio, ſalva ſua textura ac craſi mediante mercurio extrahi poteſt: hic enim cum ſalibus corroſivus factus, & cum antimonio crudo mixtus igniſque vehementia deſtillatus, corpus ſtabile rutilantis coloris, cui nomen cinnabaris competit, producit, dum ipſe mercurius ſulphur antimonii, relicta regulina ſubſtantia, ſeparat, inque amplexus ſuos amicos accipit & ſecum in altum evehit.

4 Ex cinnabari autem hoc ſulphur purum ſequenti encheireſi ſeparatur: una pars cinnabaris antimonii cum æquali portione limaturæ martis miſcetur, & ex vitrea retorta, igne ſubminiſtrato ſufficiente, mercurius deſtillatur. In ipſa retorta ſulphur antimonii cum limatura martis intimæ nexum remanet, quod ſi ſeparaveris, concretum hoc in ſpiritus vitrioli quantitatem ſufficientem injicitur; ita hic martem in vitriolum ſolvit, relicto antimoniali ſulphure intacto, in quod nullum jus habet acidum. Alii oleum vitrioli cum antimonio miſcendo & deſtillando, ſulphureum inflammabile crama proliciunt. Nonnulli ſpiritum ſalis fumantem antimonio adjiciunt, & ſic ab ipſo ſulphur inflammabile ſeparant. Vulgari methodo alcalia ſalia fixa cum antimonio fuſa promtiſſime ejus ſulphur imbibunt & ſeparant, ſeque ita arcte invicem jungunt, ut non niſi diverſæ naturæ liquido ex amplexu & tricis ſalium explicari & disjungi queat. Tam penetrantem ego poſſideo liquorem, qui ſimulac crudo pulveriſato antimonio adfunditur, protinus, nullo præcedente calore, in ipſum agit, & ſubſtantiam ſulphuream flaveſcentem, aurum rutilanti, argentum primum aureo, poſtea bruno colore inficientem ſeparat.

5 Mercurialis in antimonio contenta ſubſtantia in ejus regulis deprehenditur, ſive cum ſalibus varii generis alcalinis,

ſive cum carbonibus vel metallis ſulphur ſaturantibus fuerint præparati. Mercurialis hic regulus naturæ eſt: ſicuti enim mercurius metalla, ſi cum ipſis miſcetur, friabilia & fragilia reddit, auroque pallidum inducit colorem; ita ſimili ratione regulus metallis immixtus ipſa in partes frangibilia reddit, & ſplendorem auro aufert. Porro ſicuti mercurius vim habet ſalivam in copia ex corpore provocandi; ita etiam regulus, cum duabus nitri partibus converſus, in pulverem album, qui ceruſſæ nomine venit, ſæpiuſcule ſalivæ fluxum excitaſſe obſervatus fuit; præſertim ſi in inſigni quantitate & repetitis per aliquot ſeptimanas vicibus fuerit oblatus. Unde etiam ſtomachicum Poterii, materia perlata Krugneri virtutem ſuam medicamentoſam mutuantur. Taceemus, ipſum regulum, præcedente debita reſolutione & confermentatione cum ſalibus invicem pugnantibus, arduo licet labore, in mercurium currentem converti poſſe.

6 Poſtquam itaque elementa & ingredientia antimonii perluſtravimus; operæ jam erit pretium diſpicere, cujus indolis ac naturæ ſit illud ipſum ſulphur, quod in antimonio deliteſcit, utrum nimirum peculiare plane & diſtinctum ſit a ſulphure minerali communi, an potius ejuſdem cum ipſo naturæ. Non poſſumus autem non hoc loco generatim noſtram profiteri ſententiam, quæ hæc eſt: unum tantum ſulphur in regno minerali datur, uti unum ſal volatile in animali & unum ſpiritum phlogiſton in flegetabili deprehendimus; differentia autem in aliarum particularum etherogenearum admixtione conſiſtit, quæ ſi fuerint ſeparatæ, unius ejuſdemque naturæ ac indolis eſt ſulphur in regno minerali, & ſal volatile in animali, & ſpiritus inflammabilis in vegetabilibus. Quocirca in antimonio non aliud agnoſcimus ſulphur, quam vulgare: quod noſtrum adſertum inter alia ex eo evincimus, quoniam ſulphur commune anatica portione cum antimonii regulo per fuſionem antimonium ſpecie, colore, natura, effectu unum idemque regenerat. Ulterius ex eo quoque pateſcit, quia ex nitro fixo & ſulphure in antimonio exiſtente inflammabili, quando antimonium diaphoreticum conficitur, una producitur ſal amaricantis ſaporis, figuræ ſexangularis, arcano duplicato vel ſali polychreſto per omnia ſimile. Notum autem eſt, illud ipſum ex ſulphuris mineralis acido & ſale fixo nitroſo parari. Ut ſilentio jam prætermittamus, ſulphur antimonii cum mercurio commixtum in cinnabarim converti poſſe, non ſecus ac mercurius cum ſulphure vulgari decenter permixtus ſublimatione in cinnabarim pulcherrimi coloris tranſit.

7 Equidem non ſum neſcius, hic quaſdam obſtare difficultates atque dubia, quibus ſententia noſtra poſſit oppugnari, dum nempe ſulphur, quod ex lixivio antimonii præcipitatur, colore & virtute a ſulphure vulgari longiſſime ſit diſtinctum, cum hoc ſecuriſſimum uſu interno diaphoreticum & roborans ſit remedium, illud autem draſtica vi emeticum & purgans, rubroque colore ſplendeat. Addunt, quod ſulphur antimonii ſingulari polleat virtute aurum depurandi, ipſique rutilantem egregium conciliandi colorem. Verum enim vero, ad hæc paucis reſpondemus. Sulphur illud, quod ex antimonio, mediantibus ſalibus alcalicis, extrahitur, utique non purum, ſed regulinis atomis, a quibus vehemens illa vis aureuſque color proficiſcitur, adhuc imbutum eſt. Etenim ſalia lixivioſa non tantum in ſulphura, in mineralibus exiſtentia agunt, illaque ſeparant, ſed una cum ſulphureis mercuriales metallicas, arſenicales, ſulphuri ipſi intime innexas, particulas imbibunt atque adgrediuntur. Arctiſſima enim unio & firmiſſimum partium ſulphurearum cum minutiis mercurialibus metallicis eſt connubium, adeo ut a ſe invicem ægerrime disjungantur.

8 Ita videmus & notorium quoque eſt docimaſticis & minerarum excoctoribus, quomodo ſulphur in tractatione & calcinatione minerarum plumbeo-argenteārum vel mixturæ ex ſulphure & argento compoſitæ igne ſimul auferat, in altum arripiat & portionem ipſius ſaturni & argenti deprædet. Mirifice enim amat ſulphur mercurialem metalli ſubſtantiam, uti in cinnabaris compoſitione videmus,

ubi

ubi utraque firmiſſime ſibi juncta ſunt, nec facile a ſe invicem iterum diſiungi poſſunt. Ita curioſum eſt, nullo lixivio ſeparari poſſe ſulphur a cinnabari vel fortiſſima accedente coctione. Quando autem cinnabari antimonii regulus ejus admiſcetur & debito igne ſubminiſtrato ex retorta fiat ſublimatio, tunc reſuſcitatus mercurius vivus prodit, & ſulphur cinnabaris cum antimonii regulo intime junctum, antimonium regeneratum in retorta exhibet. Memorabile porro eſt, arſenicum cryſtallinum mixtum & fuſum cum partibus duabus ſulphuris communis tale efficere concretum, quod lixivio etiam penetrantiſſimo coctum difficillime, vel potius plane non ſolvitur; cum tamen ſulphur per ſe facili negotio, uti in præparatione lactis ſulphuris patet, a tali lixivio ſolvatur & imbibatur, non aliam ob cauſam, quam quod arſenicales particulæ intime cum ſulphureis coiverint, ut ex ambabus nova craſis & textura corporis fuerit enata.

9 Ex hactenus dictis facile poterit concludi, ſulphur antimonii purum difficillime acquiri, ſed ſemper infectum eſſe regulinæ ſubſtantiæ partibus, maxime ſi cum ſalibus alcalibus fiat extractio. Salia enim alcalia cum ſulphure communi mixta & fuſa in hepar ſulphuris abeunt, & poſtea, anatica portione mixta cum regulo antimonii igneque liquata, totaliter illum deſtruunt ipſumque vertunt in crocum, ablata nitida ac ſplendida metallica ſubſtantia, ut dein ſulphur ex lixivio tali præcipitatum non amplius albi coloris, uti magiſterium ſeu lac ſulphuris, non diaphoreticæ virtutis; ſed coloris rubicundi, ut ſulphur auratum & virtutis vehementer emeticæ exiſtat. Idem evenit, quando antimonium regeneratum ex ſulphure communi & regulo antimonii cum ſalibus lixivioſis colliquatur & poſtea præcipitatur. Longe itaque felicius ſulphur antimonii a regulina ſubſtantia mediante marte ſeparatur, qui tantum ſulphur aggreditur, in fundum regulina ſubſtantia ſecedente. Et exinde jam fluit ratio, quare in longe majori copia regulus acquiratur, ſi antimonium cum marte tractetur, ac ſi cum ſalibus lixivioſis præparetur, uti in confectione reguli antimonii vulgari patet, ubi ſalia alcalia una cum ſulphure ſimul partes regulinas abripiunt.

10 Alterum quod concernit dubium, ſulphur nimirum depurare ſingulari modo aurum, adeoque in eo differre a ſulphure minerali, ad hoc reſpondemus: neque ſulphur antimonii, neque vulgare aut ullum aliud ingreſſum habere in auri ſtrictiſſimum corpus, tantum quod ſuperficialiter, æque antimonii ſulphur ac vulgare, ſi cum tartaro atque ſale communi fiat auri coctio, illud rutilante tingat colore. Antimonium autem fuſum cum auro, quod cum argento vel aliis metallis mixtum colorem ſuum flammeum amiſit, priſtinum ipſi reſtituit colorem, non quod aliquid ſulphuris addat, ſed quod metalla heterogenea ſulphure hoc ab auro ſeparentur, inque ſcorias reducantur, & ſic aurum una cum regulinis partibus in fundum decidat. Huic quando additur ſufficiens quantitas nitri, regulum in calcem vertentis, aurum ſiſtitur ſplendidum finiſſimum. Similem obtinebis effectum, ſi antimonium artificiale, quod ſulphur commune ingreditur, ad talem auri depurandi modum adſumſeris.

11 Cum itaque in ſuperioribus ſufficienter deductum eſſe exiſtimem, in antimonio quidem ſulphur minerale latitare, vulgari quoad omnia analogum; at vero illud, quod mediantibus ſalibus alcalinis extractum & præcipitatum eſt, de mercuriali regulina ſubſtantia adhuc participare, & ratione hujus virtutem longe diverſiſſimam præ ſulphure communi poſſidere: operæ jam erit pretium, varias hujus ſulphuris antimonii extractione recenſere, ut dein eo melius appareat, quænam ſint optimæ & ad uſum medicum aptiſſimæ: ubi dein facile innoteſcet, quid de noſtro ſulphure ejuſque efficacia ſit ſtatuendum. Vulgatiſſima ſulphur ex antimonio extrahendi via eſt, quando ipſum cum æquali portione pulveris nigri vulgo ſchmarper flug, vel ſale tartari aut cineribus clavellatis permixtum in crucibulo fluat, quo ipſo in ſubſtantiam flavam ſalino-ſulphuream redigitur, quæ decoctione in aqua per ſo-

lutionem largitur lixivium, cui ſi inſpergitur acetum deſtillatum vel acidum quodvis vegetabile, in fundum tetro fœtore pulvis copioſus aurei coloris ſecedit, qui repetita affuſione aquæ pluvialis probe elotus illud præbet medicamentum, quod ſulphuris aurati nomine venit, quod vel ſolum vel melioris ſucceſſus ergo cum tartareis mixtum & vomitionem & ſeceſſum ſatis efficacitur movet.

12 Ejuſdem quoque efficaciæ prodit ſulphur, ſi cum ſolutione ſalis ammoniaci præcipitatio inſtituatur, dum nimirum lixivioſum cum hujus acido congreditur, & ſulphur in poris hærens inde dejicitur. Præcipitatum rubicundo colore magis exaltatum acquiritur, cum ſal volatile, quod in mixtura utriuſque ſalis exſurgit, colorem ſulphureum dum in minimas diſcerpit partes, egregie adauget; & quod notabile, pulvis hic præ communi ſulphure aurato magis adhuc eſt emeticus. Vehemens autem hæc virtus ab efferveſcentia & mutua reactione videtur proficiſci, quam ſal acidum cum alcali confuſum excitat, ſub qua æther vehementer motus non tantummodo particulas ſulphureas valde rarefacit, dividit & in talem vapo rem vertit, verum etiam ipſas regulinas, ſub contextu anfractuoſo ſulphuris latitantes extrahit & ſeparat, ut dein acidum cum hiſce junctum erſenicale, i. e. mercuriale volatile ſalinum quoddam crama producat. Attentionem enim meretur, lixivium ſcoriarum reguli antimonii vulgaris leni evaporatione incoctum ſal ſulphureum alcalinum præbere, quod virtutem diaphoreticam & aperitivam omnis vehementiæ expertem exſerit, quoniam nullo acido coctum eſt. Circa ejus tamen uſum cavendum, ne cum vehiculo vel corpori exhibeatur, cujus primæ viæ acido exſuperante ſcateant.

13 Quocirca optima ratione perſpicaciſſimi quidam chymicorum a longo retro tempore in eo magnam collocarunt operam atque ſtudium, ut ſine ullo prævio conflictu vel efferveſcentiæ actu, & præſertim ſine acidi acceſſu ſulphur a ſale ſuo lixivioſo liberetur, confiſi, tunc omnem draſticam virulentam vim eſſe exſpiraturam, & moderatum, ſecurum, diaphoreticum et reſolvens nobile inde emerſurum. Hunc in finem jam ipſe Glauberus, vir magnæ in chymicis peritiæ ac famæ, ſulphuris hujus præcipitationem cum ſolutione tartari, ceu minori acido adornat, & ſulphur inde obſcure rubicundum, quod titulo panaceæ in ſcriptis ſuis venditat, acquirit: cujus uſum non ſatis in ſanandis morbis rebellibus, chronicis, impuritate lymphæ ex veteri glandularum et emunctoriorum obſtructione pronata corrigenda, exulcerationibus conſolidandis, tumoribus partium diſſipandis, & quidem in exigua doſi repetitis vicibus propinando, non ſatis dilaudare poteſt. Videatur ejus *Pharmacia Spagyrica* Curioſum eſt, quod ceu magnum experimentum illud commendet ad variolas arcendas & corpus ab ipſis præſervandum: id quod experientia ſeptem infantum confirmat vid. l cit. pag 27.

14 Idem remedium in uſum traxit & celeberrimum, magnum et nobiliſſimum illud archiatrorum Conerdingiani nominis par, ut illud ſulphur in pharmacopoliis Brunſuicenſibus et tractus Weſtphelici ferme omnibus panaceæ Conerdingianæ nomine magno venditatur lucro. Hoc jam dictum remedium a peritiſſimis iſtis archiatris non modo in periculoſiſſimis acutis, verum etiam in refractariis diuturnis morbis uſitatum eſt; cujus utendi modus in eo conſidit: miſcent v. g. grani partem dimidiam hujus panaceę cum pulvere bezoardico Sennerti vel Anglicano, & in principio variolarum, morbillorum, purpuræ, febrium petechialium, dyſenteriæ illud repetitis vicibus propinant; ſuccedit exinde ſudor optatus, præcordiorum anxietates maxime remittunt, et peropportuna exanthematum ad corporis habitum fit propulſio. Interdum etiam non ſine damno ſalivæ fluxum irritat. In intermittentibus febribus inque morbis, qui a ſeri coagulo, copia et infarctu proficiſci ſolent, idem remedium paullo majori doſi datum et cum ſalibus fixis, nitroſis, vel etiam cinnabarinis, martialibus junctum, divinam præſtat opem. In lippitudine oculorum moleſtiſſima cum unguis et panni metu, in artuum doloribus ſcorbuticis demulcendis,

dis, idem ſulphur exiliſſima doſi reſolvendo & acrimoniam ſeri demulcendo, ſuppetias tulit optatiſſimas, teſte clariſſimo Schradero in diſſertatione *de medicamentorum Galenicorum & chymicorum neceſſitate*. Memini me quondam hic loci verbi divini miniſtrum hujus medicamenti efficacia & veronicæ infuſo reſtituiſſe, qui ſcabie maligna inſtar lepræ in artubus laboravit, quos ſimul duri gladularum tumores in cute inſtar globorum hærentes occupabant. Cum autem jam laudatum remedium non plane draſticæ virtutis expers ſit, ſed in majori doſi ad grana ſex vel octo adhibitum præſertim cum cremore tartari feliciſſime vomitū ſuſcitet, hinc caute cum illo mercandum eſſe in debiliatis, ubi vires fractæ ac concuſſæ ſunt.

15 Alii, inter quos acris judicii & eruditionis conſummatæ Ettmullerus referendus eſt, purius & nobilius ſulphur ex antimonio elicere hoc modo tentarunt. Lixivium nimirum illud, ex quo jam ſemel & bis mediante acido præcipitatum fuit, ſulphur denuo miſcuerunt cum acido penetrantiori, ſpiritu nempe vitrioli, & ita ſulphur, quamvis parciſſimum, purius tamen & nobilioris effectus obtinuerunt, quod ceu eximium diaphoreticum, ſpecificum in epilepſia præſertim infantili, adfectibus ſpaſmodicis, venereis, et quavis lymphæ ac ſanguinis pravitate mirifice extollunt laudibus. Neque res eſt plane de nihilo; hoc enim pacto ſulphur levius et ſubtilius obtinetur, craſſum vero, gravius et regulinum præcipitationibus in fundum dejicitur; levius autem ac ſubtilius interſtitiis liquidi adhuc innexum, ſpiritu vitrioli demum præcipitatur. Ubi notandum, quod hic ipſe magis facultatem habeat arſenicales mercuriales partes figendi, quam motu ſuo volatiliſandi, ſicuti ſpiritus ſalis et nitri efficitur: utpote ſpiritus vitrioli non agit in regulum, ipſumque ſolvit, quemadmodum aqua regis, vel ſpiritus nitri aut ſalis præſtat. Quoniam autem illud ipſum neque in magna quantitate parabile eſt, neque etiam plane deſtitutum arſenicali volatilitate, cum fuſione albicantes in aerem emittat vapores; merito nobilius deſiderandum.

16 Iam ad alias hujus ſulphuris extractiones progredimur. Sic quondam aqua fontana, nullo accedente alio liquore, ipſum ſulphur copioſiſſimum ex ſcoriis reguli antimonii ſimplicis ſeparavi, quod probe elutriatum et exſiccatum non amplius vomitum, ſed diaphoreſin egregie excitavit, miſcui hoc ipſum cum anatica portione auri fulminantis exactiſſimo tritu, quod arſenicalem virulentiam egregie in mineralibus cicurare conſueſcit, et hocce remedium efficaciſſimum in morbis chronicis vincendis judico, quod tamen ulteriori experientię relinquo. Hic autem non poſſumus ſilentio prętereire ſublimatum quoddam ex vitro antimonii, mediante ſale ammoniaco per debitum ignis gradum factum et edulcoratum, quod tinctura antimonii ſicca Grammanni vocatur, cujus meminit Hoffmannus *in Clav.* Schroeder. *p. 3. II.* quam graſſantibus febribus malignis in continuo auctor habuit uſu, nec non in mania, melancholia, quartana ceu arcanum adhibuit: doſis præſcribitur a granis duobus ad tria vel quatuor, ſed ultra ad ſcrupulum ſemis extendi poteſt, nec alvum movet, nec vomitum ciet, ſed ſaltim diaphoreticam vim obtinet. Tota autem encheireſis in ignis regimine, quod moderatum eſſe debet, et vaſis ſublimatorii humilitate conſiſtit, alias flores iſti fiunt purgantes. Aſcendit hac ratione tantum ſulphurea antimonii portio, relicta regulina virulenta, ceu graviori in fundo: ab arſenicali tamen contagio ſulphur hoc plane non immune eſſe exiſtimo. Cum igitur in noſtro remedio hoc ipſum ſit fixatum ceu ſecurius illud antefe. rendum eſſe adfirmo.

17 Nunc ad examen ſulphuris nobiliſſimi antimonialis devolvimur, cujus Vigani in *chymia p. 50.* mentionem injicit. Ex nitro nimirum, tartaro, ſale communi et antimonio conficitur regulus, ex cujus ſeparata ſcoria et diſſoluta in fortiſſimo lixivio calcis vivę, prącipitatione nobiliſſimum ſulphur antimonii acquiritur, odoris gratiſſimi et ſaporis, febres ardentes unica doſi profligans, ſudorem et urinam movendo, quod remedium etiam in doloribus gallicis ſumme proficuum lau-

laudat. De hoc ſulphure noſtrum hoc eſt judicium: ipſum eſſe præſtantiſſimum, modo non ſub præcipitatione tale quid confundatur, quod arſenicalem vim exaltet atque exſuſcitet. Ex noſtra præterea inventione non inelegans ſulphur antimonii martiale medicamentoſæ virtutis egregiæ ſequenti ratione: ſcilicet lixivium ſcoriarum reguli antimonii ſimplicis præcipitatur cum ſolutione vitrioli martis; ita in momento color exſurgit atramentoſus, & pulvis in fundum ejuſdem coloris ſecedit; utpote, coeuntibus acidi vitrioli partibus cum ſale lixivioſo hac ratione non tantum ex lixivio antimoniali particulæ ſulphureæ, ſed ex ſolutione vitrioli martiale ſulphureo terreæ præcipitantur, ut adeo pulvis hic martialis & antimonialis ſit proſapiæ, qui bene elotus & deſuper ſpiritu vini accenſo correctus, virtutem cuſtodit non contemnendam in expediendis graviſſimis obſtructionibus, & excretionibus ſudoris & urinæ promovendis; unde ejus uſus in cachexia, hydrope, hæmorrhagiis, intermittentibus &c. laudatur.

18 Accedimus jam ad medicamentum, quod ſulphur antimonii fixatum eſt, uſu ſecuriſſimum. Sumitur nempe antimonium crudum vel ejus minera Hungarica, aut regulas antimonii medicinalis, in quo ſulphur magis recluſum & extraverſum eſt, miſcetur cum liquido penetrantiſſimo, non tamen pure lixivioſo, & ita ſubſtantia ſulphurea diſſolvitur, quæ etiam ſingulari encheireſi, nullo alio interveniente liquore heterogeneo, multo minus acido, in fundum dejicitur, ubi pulvis coloris obſcure rubicundi apparet, qui aqua puriſſima elotus, & exſiccatus medicamentum noſtrum eſt deſideratum. Injectum hoc carbonibus ignitis, vel crucibulo nullum vaporem tetrum arſenicalem vel ſulphureum emittit, neque invicem coit aut in maſſam funditur, ſicuti hactenus omnia fere recenſita faciunt, ſed manet fixiſſimum ſine ulla ponderis imminutione, tantum quod color tantummodo evadat brunior. Tandem autem ſubminiſtrato extremo ignis gradu, ſive igne vitrificatorio, qualis eſt, qui ex ſolis radiis collectis in vitro prægrandi cauſtico naſcitur, inſtar croci martis vel hæmatitis in maſſam ferro fuſo ſimilem, in auram elevatis vaporibus colore albis, odore ſulphureis, colliquatur.

19 Quod vires hujus ſulphuris fixati attinet, non poſſum non hic propria & aliorum exercitatiſſimorum practicorum experientia confirmatus adfirmare, illud ipſum in chronicis rebellibus, in acutis periculoſis auxilium ferre maximum. Primum ejus uſum vidi & didici ex viri litteraturæ quidem experte, aſt in rebus & operationibus chymicis ac experimentis etiam practicis ad invidiam multorum verſatiſſimo, qui in febribus acutis petechialibus, variolis, nec non intermittentibus contumaciſſimis fauſtiſſimo eventu, ubi omnia alia, etiam generoſiſſima fuerunt adhibita, propinavit, & quidem ſub duorum vel trium granorum doſi effectum edidit diaphoreticum: quandoque etiam tantum per inſenſibilem evaporationem peccantem cauſam exterminavit. Et quod attentionem meretur, deprehendi in aliquot ſubjectis, imo in me ipſo ſum expertus, ſudorem ab adſumto hoc medicamento per triduum duraſſe, ita ut hora certa ac ſtata tempore matutino, ubi primum ipſe ſudor cœpit, magno cum naturæ levamine fuerit reverſus. Poſtea ego ipſe in artis exercitio multoties ejus uſum vidi mirabilem in profligandis malignis petechialibus febribus, in morbis arthriticis, contracturis artuum ſcorbuticis, lymphæ impuritatibus ſcabioſorum, ubi in contractura laborantibus notavi, quod prima vice ſudor ex partibus adfectis non profluxerit, ſed tantum ex ſanis, donec continuatum præſidium, recluſis viis obſtructis ſimilem effectum in morboſis etiam præſtiterit partibus.

20 In medicamento dicto duo præcipua veniunt notanda & expendenda: primum eſt ejus mirabilis fixitas, alterum cum fixitate perſiſtens efficacia ſumma medicamentoſa tam in corrigendis, quam in commovendis humoribus. Ut autem de fixitate ejus primo loco faciam verba, vero ſimillimum eſſe judico, illam ipſam mechanice fieri, & dependere a particularum varia ſtructura connexione & implicatione. Fixum dicitur corpus, quan-

quando ignis vi ejus particulæ minimæ non poſſunt ſeparari & in auras ejici. Notum autem eſt, omne ſulphur ex mineralibus, nec non omnem mercurialem & arſenicalem ſubſtantiam igni non adeo forti obſecundare & abire in fumum; quod autem in noſtro remedio illud non fiat, hujus inquirendæ cauſæ ſunt. Principalem autem credimus particularum mutuam implicationem atque implexum talem, quem ignis motu, etiamſi vehementi inteſtino divellere & diſſolvere neutiquam valet. Placet itaque proponere quędam exempla ex chymicis, ubi ex mutua mixtura partiũ, quę per ſe ignem non ferebant, ſubnata fuerit ſatis conſtans fixitas. Ita memorabile eſt, ſpiritum vitrioli ſumme ſulphureum volatilem ſale tartari ſaturatum cedere in ſal neutrum, quod in igne fixiſſimum eſt, ubi tamen, quando admiſcetur, vel ſpiritus ſalis vel vitrioli, ſtatim reſuſcitatur priſtinus ſulphureus odor. Eadem ratione, ſpiritus nitri fumoſus fugaciſſimus commixtus cum nitro fixo vel ſale tartari tranſit in verum nitrum inflammabile, quod validiſſimo igne fuſum in crucibulo non avolat, ſed perſiſtit, ſimul ac autem affunditur ipſi oleum vitrioli in momento prodit ſpiritus nitri volatiliſſimus, ſub vapore flammeo, & odore gravi, præſertim ſi accedit lenis calor. Ita quoque obſervatione digniſſimum eſt experimentum, quo ſalis in igne fixiſſimi natura oſtenditur: nimirum ex urina recenter evaporata & inſpiſſata paratur per cryſtalliſatio. nem ſal mediæ naturæ, quod igne commiſſum exhalat ſpiritum urinoſum, remanet autem ſal, neutro analogum, quod neque cum ſale acido, neque alcali efferveſcit, in igne autem vehementiſſimo & penetrantiſſimo, qualis eſt ſolaris per vitrum convexum duorum pedum diametri concentratus, manet fixiſſimum & pellucidum; cum e contrario omnia ſalia media, uti ſal commune, tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum, ſal ammoniacum promtiſſime avolent in auras, ne particula quidem relicta. Interim curioſum eſt, hoc ſal urinæ fixiſſimum, ex ſpiritu ſalis acido neceſſario compoſitum eſſe debere, quoniam, ſi iniicitur aquæ forti, vel ſpiritu nitri, efficit aquam regiam, compactum & denſiſſimum auri corpus ſolventem. Ex quibus patet, corpora volatilia ob mixturam & implicationem ad fixitatis ſummæ gradum perduci poſſe.

21 Quomodo autem ſulphur, quod naturæ eſt admodum in igne fugacis & diſſipabilis, fixum & ignis patiens detineri poſſit, ex ſequentibus illuceſcet experimentis Nimirum plumbum ſi æquali parte miſceatur cum ſulphure & hęc invicem mixta injiciantur in crucibulum bene lutatum, plumbum, quod alias facillimæ etiam ante ignotionem fuſionis eſt, ab admixto ſulphure vehementiſſimum ignis gradum ſuſtinet, antequam colliqueſcat. Quodſi autem addatur limatura martis, pulvis carbonum vel aliquid nitri, fuſio mox promovetur. Mercurius metallorum fluidum & volatiliſſimum ad magnum fixitatis gradum redigi poteſt, ſi nempe mixtura fiat ex mercurii triplo, ſulphuris parte una & ſalis armoniaci parte una, hæc invicem probe in mortario lapideo vel vitreo trituratа indantur phiolæ vitreæ & aliquot vicibus inſtituatur ſublimatio, ita tandem mercurius in fundo reſiduus, ponderoſus purpurei coloris inſtar adeo fixus evadit, ut diu ignis violentiam perpeti queat, & vitrum citius colliquetur, quam mercurius in altum evehatur.

22 Adduximus hactenus varia fixitatis exempla, eum in finem, ut appareat, ex mutuo nexu & implicatione corpuſculorum per ſe non fixorum inſignem firmitatem & in igne conſtantiam obtineri poſſe, unde etiam non tanta animum ſubire debet miratio, quando ſulphur noſtrum, quod per ſe ignis eſt impatientiſſimum propter ſubtilem ſalino ętheream ſubſtantiam, quæ illud ingreditur ad maximum fixitatis gradum perductum fuit. Non poſſumus enim non hoc loco confiteri, corpus illud, ex quo ſolvens noſtrum antimonii confectum fuit, ſi igne etiam validiſſimo ſolari tractetur, nullo labore ad fuſionem, colliquationem vel vitreſcentiam poſſe reduci, cum tamen asbeſti & talci ſpecies omneſq; vegetabilium cineres, ipſiq; lateres in vitreſci-

bilem maſſam hoc ipſo redigantur.

23 Unicum adhuc mihi excutiendum reſtat altioris indaginis, qua ratione corpus in igne fixiſſimum tam egregium effectum & operationem, quæ ſine activitate motus non poteſt concipi, in corpore noſtro producat, cum tamen notum ſit, corpora fixa ad motum præſertim inteſtinum intendendum propter defectum mobilium partium valde eſſe inepta. At vero experientia optima rerum magiſtra teſtatur, etiam fixa corpora, & quæ valentiſſimum ignis gradum ſuſtinere poſſunt, virtute mendicamentoſa mirabili adhuc ſplendere. Notiſſimum enim in foro medico eſt, quod pulvis hæmatitis, quem certus medicus pro panacea ſolari per multos annos maximo cum lucro venditavit, quid limatura martis, mercurius fixatus cum auro, corallia uſta, aurum fulminans cicuratum & ejus generis plura præſtent in medicina. Non enim videtur dubium, corpus, tametſi ſit ad ignem fixum, ſolvi tamen & diſcerpi quadantenus poſſe, præſertim a liquore ſolvente congruo. Cum autem liquor ſalivalis microcoſmicus, utut inſipidus efficaciſſimum menſtruum ſit, pro intime extrahendis non tantum animalium & vegetabilium partibus, verum etiam ex mineralibus diſſolvat quaſdam minutias, uti id patet in aſſumtione vitri antimonii, mercurii diaphoretici vel dulcis; rationi itaque non inconveniens & abſonum eſt, ſulphur noſtrum minerale fixatum ab eodem liquore quadantenus extrahi, diſſolvi, & particulas illas ſulphureas activiſſimas poſtea per totam corporis ſphæram diſpenſari atque deduci. Videtur etiam hujus aſſerti ratio exinde probabilis, quoniam noſtrum remedium in ore ad tempus detentum, metallicum & leviter conſtringentem ſaporem relinquit, luculento indicio, quaſdam partes ab ipſo mediante ſaliva diſſolvi.

24. Operandi hujus remedii ratio, potiſſimum mihi videtur conſiſtere non tam principaliter & primario in materiæ morbificæ correctione & alteratione, ſed potius in motuum vitalium ſanguinis, & ſecretoriorum, qui depurationi humorum inſerviunt, promotione, & quidem tonum fibrarum nervearum ac muſculoſarum roborando agunt, leviterque conſtringendo. Unde tono partium relaxatarum adaucto contenti humores ad circulationem promtionem non tantum invitantur, ſed & per arctiores vias dum tranſprimuntur, majorem fluxilitatem ſubtilitatemque nanciſcuntur. Accedit, quod intenſiori facto circulo ſanguinis excretio etiam partium heterogenearum ac impuritatum longe liberior atque liberalior evadat, & per conſequens major puritas ac benignitas ſanguini concilietur. Cum autem cutis univerſale & optimum ſit evacuatorium, quo particulæ agiliſſimæ, ſalino-ſulphureæ vaporoſæ ad corruptionem proniſſimæ ſequeſtrantur ac ſeparantur, unde diaphoretica & quidem talia quæ ſalva ſua textura neque immutata efficacia, quod exſpectandum a mineralibus, jure meritoque optima ſecuriſſima, & magnis morbis ſanandis aptiſſima ſunt remedia.

25 Poſtremo loco adjiciendum etiam aliquid eſt circa ſingularem illum effectum, quem ſulphur noſtrum in nonnullis ſubjectis exſerit, dum per aliquot dies ſtata hora ſudorem continuat. Adſcribendum hoc eſſe exiſtimo operationi medicamenti, quod effectum ſuum id eſt ſanguinis ac humorum commotionem per longum tempus continuat, quoniam ex regno minerali deſumtum propter ſoliditatem & plane non deſtructibilem vel alterabilem partium ſuarum naturam, non facile in effectu ſuo ſuſpendi & impediri poteſt. Quod autem ſtata hora ſudor profluxerit, hæc dici poteſt cauſa, quoniam de die corpus non ſufficienter tegitur, deinde etiam onere alimentorum humores preſſi non tam promte circumvolvi, neque ſecretio nec excretio excrementorum libere peragi poteſt; circa tempus autem matutinum, concoctione peracta & humoribus redditis fluxilioribus, medicamentoſæ particulæ adhuc in corpore reſtiles vi, quæ movens eſt, fibras partium ſolidarum motrices, ceu ordinarium organon ad motus armant, & humores fluxiliores reddendo ad cutis evacuatorium pro excrementitii

titii humoris ſecretione liberaliter deducunt.

26 Circa noſtri remedii uſum & applicandi modum, pauciſſima adhuc veniunt monenda; primum efficacia ejus deprehenditur longe major, in corporibus complexionis cholerico-ſanguineæ, nec non tenerioris & ſenſibilioris texturæ, quoniam ad mobilitatem & fluxibilitatem magis ſunt diſpoſita, hinc tali in caſu energiam præſentiorem exhibere poteſt. Hoc ipſo tamen non negamus, ejus efficaciam in illis morbis, ubi humorum tenacitas ſegnis ac tardus motus eſt, tunc enim majori & reiterata doſi opus eſt. In genere autem obſervandum, omnia illa, quæ quantitatem nimiam humorum ad convenientem proportionem deducunt, & fluxilitatem humoribus adferunt, non negligenda ſimul eſſe; impoſſibile enim eſt, ut unum remedium omnibus & diverſiſſimis indicationibus ſolum ſatisfaciat, & ex æquo ubique reſpondeat. Hæc itaque pro tempore de efficacia hujus remedii præſtantiſſimi dixiſſe ſufficiant.

DISSERTATIO XVII.

DE SPECIFICIS ANTISPASMODICIS.

§. I.

PErelegans dictum eſt ipſius Hippocratis *Lib. de Art.* §. 13. *quorum inſtrumentorum, ſive naturæ, ſive artium facultatem obtinemus, per ea, ſane opifices eſſe poſſumus, per alia vero minime licet; quum igitur homo a morbo afficitur, qui vehementior eſt, quam medicinæ inſtrumenta, ne ſperare quidem oportet, ut a medicina exſuperetur.* Ingenioſe divus vir medicamenta adpellat inſtrumenta. Nam ſicut artifex ſine inſtrumentis nihil valet agere, ita medicus ſine præſtantibus remediis, nihil ſolidi præſtare poterit in medendo. Indigitat quoque porro hoc dicto, proportionem eſſe debere inter morbi cauſam, & inter medicinæ inſtrumenta, ideo, ut ſi morbus valentior ſit ipſis inſtrumentis, quæ debiliora neque ſufficientia tollendæ cauſæ, morbus non ſanetur. Quapropter utique opus eſt, ut medicus, non ſecus ac artifex, poſſideat inſtrumenta præſtantiſſima, eaque bene præparata, quorum virtutem, facultatem probe perſpectam cognitamque habeat, eorum applicationem ac adminiſtrationem calleat, hiſce ſi deſtitutus eſt, omni ſuo fine ab ſcopo fruſtrabitur. Notum vero eſt, ad tres maxime claſſes omnis generis remedia referri poſſe, ad evacuantia nempe, alterantia & ſpecifica, nam quoniam tota medicina eſt mechanica, h. e. innititur principiis phyſico mechanicis, quæ ſunt materia & motus, & quia nulla cauſa morbifica ex alio fonte, quam materiæ & motus vitio, poteſt derivari; hinc liquido fluit, omnem virtutem remediorum, quæcunq; etiam ſint, vel materiam, vel motum, reſpicere debere. Res clara eſt de alterantibus, quæ materiæ qualitatem varie modificant, temperant, diſponunt, mixtionem, texturam, craſin immutant aliamque reddunt, ut ex maligna & inimica fiat blanda ac benigna, ex immobili mobilis, ex craſſa fluxilis, ad circulationem, nec non ſecretionem, vel evacuationem, idonea. Clara quoque & omnis dubitationis expers res eſt de evacuantibus. Cum enim evacuatio conſiſtat in motu, hinc quæ movent, ſive motus vehementes in partibus ſolidis fluidiſque concitant, ſimul evacuatorium effectum præſtant. De ſpecificis vero non adeo res liquet, quo ſenſu hæc accipi debeant, quamque virtutem agendi vel operandi habeant, in eo vero maxime conveniunt, quod per ſpecifica intelligantur ejuſmodi remedia, quæ nec alterando, nec evacuando, præſtant magnos effectus in certis morborum ſpeciebus, eos vel tollendo in totum, vel mitigando. De horum virtute modoque agendi communis quidem eſt ſententia, quod lateat, quod occulta ſit, nec explicari poſsit; nobis autem jam animus eſt evincere, quod motus nimios effrænes in morbis ſiſtant, ſe-

ſedent, componant, ſive quod ſedativa & antiſpaſmodica virtute gaudeant.

2 Quoniam ſcopus noſter eſt, ea, quæ ſpecificorum titulo ſuperbiunt, perſpicue explicare: quod eorum energia tantummodo verſetur in certorum motuum, qui ſunt in partibus ſolidis, morboſorum placatione, cohibitione, ſine vi antiſpamodica, primo omnium nobis opus erit, ex naturæ regnis famoſiſſima ſpecifica recenſere, i. e. talia remedia, quæ magnum, certum & exquiſitiſſimum effectuum in certa morbi ſpecie præſtans. Fundamentum cui noſtram aſſertionem ſuperſtruimus, eſt ipſa experientia, non imaginaria, non furtuita, vel cœca, ſed certa, conſtans & fida. Et ut initium faciamus a vegetabilibus, certe ibi reperiuntur magnæ virtutis remedia, quæ ſpecifice & peculiariter in certis morbis proſunt, quod ab aliis expectari non poteſt, ita v. g. mentha & ex ea paratum puriſſimum, ſine additione & adulteratione, oleum, eſt deſideratiſſima medicina externe in dolore colico, tumore & dolore mammarum, a lacte coagulato, ſola inunctione adminiſtratum, interne vero, hoc oleum vel in eſſentiam redactum, vel aqua ejus in ſingultu, vomitu, diarrhœa, in omnibus hæmorrhagiis certiſſimæ efficaciæ medicina eſt; unde ejus uſum frequentiſſimum ac vires mirifice in praxi commendo; imo novi exempla, ubi aliquot guttulæ olei, cum pulvere abſorbente datæ, tuſſim convulſivam ſtomachalem, & aſthma ejuſdem naturæ, brevi cum admiratione ſuſtulerunt. Temporibus oleum ejus adplicatum ſomnum inducit, cephalalgiam tollendo, diarrhœam externe ventri inunctum certiſſime ſedat. Porro ex vegetabilium familia ſplendet inter ſpecifica & peculiaris efficaciæ medicamina chamomilla vulgaris, & ex ea paratum oleum ſapphirini coloris, quale debet eſſe non adulteratum, quod in doloribus colicis & poſt partum, in cardialgia quoque eſt præſentiſſimum. Herba baſilici ejuſque oleum purum, in hemicrania, epilepſia, inque omnibus ferme capitis affectibus, qui ex ſpaſmis & contractionibus nervoſi generis proveniunt, ſingulariter ſe exhibent. Oleum lavendulæ, vel ſpicæ, ſalviæque, in paralyſi, quæ fit a ſpaſmis, rheumatiſmis, ſive dolore artuum lancinatorio, tremore, vertigine, exterius ſpecifice ſeſe exſerunt. Origani oleum in dolore dentium prædicatur, ſed de oleo ſalviæ, menthæ & baſilici ſimiliter reſpondet experientia.

3 Si ullum in claſſem hyſtericorum reponi meretur quod ſpaſmos inteſtinorum & nervoſarum partium placat, ſedat ac ſiſtit, dolores colicos mulcet, certe eſt horminum, ejuſque aqua vel decoctum, interius ſumtum, aut per clyſteres applicatum. Aqua ranunculi eſculenti, ſive tragoni, eſt in aſthmate ſicco & convulſivo metalico certiſſimæ efficaciæ remedium. Hyſſopi oleum & aqua quid præſtet in pectoralibus, in vulgus notum eſt. Radix valerianæ ſylveſtris, a Fabio columna tantopere celebratur, ut eam ſemel aut bis exhibitam, ab epilepſia liberare affirmet, refertque, ſe hanc multis amicis dono dediſſe, qui deinde, divino prius numine & favore glorificato, pulvere hujus radicis ſibi reſtitutam ſanitatem affirmarunt. Doſis autem eſt cochleare ſemis cum vino, aqua, lacte, aut quovis liquore appropriato. Pueris vero in minori doſi dum lacte datur, vid. Riverius *in prax. med. p.* 30. Radix cynosbati in morſu lupi rabidi & canis ſummam præſtitit efficaciam, & ſequens pulvis magnopere commendatur: Recipe pulvis radicis cynosbati odorati unciam unam, ungular. lync. unciam ſemis M. F. pulvis detur ad drachmam ſemis anno 1630 in Eiſeldenſi pago Ruhmſprung, die 24. Mart. a lupo rabido ultra triginta homines læſi fuerunt, ex quibus 10. ad minimum mortui, reliqui per hunc pulverem evaſerunt, ſicuti ex communicatione ibi Practici D. Richteri habeo.

4 Roſæ, earum aqua, ſpiritus et oleum, in capitis dolore et delirio compeſcendo, egregiam poſſident virtutem. Fœniculum ejuſque oleum purum in tuſſi catarrhali, tam inveterata quam ſtomachali vel pectorali, idiopathica,

vel

vel conſenſuali, prævalet oleo aniſi et præſentaneos reddit effectus. Flores ſambuci & ex iis parata aqua, in affectibus exanthematicis, eryſipelate omnique interno graviori dolore, inflammatione, magna præſtant, quod etiam in doloribus et tractionibus podagricis vagis egregie ſe gerit, ſimulque alvum blande ſubducit, niſi fuerit ſpirituoſa. Cortici et florum ſambuci efficacia, quam præſtat externe in eryſipelate diſcutienda, in vulgus notum eſt. Croci virtus in infarctibus pectoris reſolvendis, in lenienda tuſſi et torminibus infantum ſolandis, obſcura eſſe nequit.

5 Papaveracea, ſive flores, ſive ſemen, ſive reſinam conſideremus, tam intus, quam extus inſtar incantamentis dolores ſopire, ſomnum accerſere, excretiones nimias ſiſtere, expeditiſſimum eſt. Flores illæ, primulæ veris, liliorum alborum, convallium, jaſmini, aurantiorum, in omnibus affectibus capitis, convulſionibus, epilepſia, et quibuſcunque ſpaſmodicis internis motitationibus, non ſine fructus ſeſe gerunt. Tota pœonia, tam quoad ſemen, quam radices et folia, in epilepticis inſultious compeſcendis egregia eſt; in cujus rei teſtimonium ad pulverem Marchionis provocamus et ſpecificum Michaelis, cujus virtus, maxime ſimplici huic et cinnabari eſt adſcribenda. Nam calces et magiſteria, quæ ingrediuntur, plane effœta ſunt, et nullius efficaciæ. Hyoſciami ſemen, nec non cynogloſſa, quæ in hoc morbo ſunt inſtar omnium. Lycopodii ſemen in urinæ ſuppreſſione, quæ fit ex dolore et ſpaſmo, in epilepſia, dyſenteria magnifice æſtimatum fuit a D. Michaelis aliiſque, qua de re legi meretur, B. Hoffmannus *in Clav. Pharmaceut. Schronderiam.* Anthera liliorum alborum in partu difficili, quem remorantur ſpaſmi potentes et vagabundi abdominis, non ſine ratione commendatur. Baccas paridis, herbam meliſſæ; artemiſiæ, in ſubſtantia novimus in affectu maniaco, ceu arcanum cum magno ſucceſſu fuiſſe exhibita. Nos unum adjiciemus, quod in illuſtri quadam familia Monſpelienſi, pro ſecreto gentilitio et hæreditario habetur, illiuſque deſcriptio talis eſt: recipe foliorum meliſſæ manipulum unum, incidantur minutim et infundantur in ſpiritus vini uncias quatuor; deinde adde margaritarum præparatarum drachmam ſemis. M. doſis eſt cochlear. 2. River. *pag.* 56. Nuciſta largitur oleum duplex, unum æthereum per deſtillationem, et alterum expreſſum, paulo craſſius, utrumque in dolorum ac fluxuum ferocia ſiſtenda placidoque ſomno conciliando, infallibilem exſerit virtutem.

6 Recenſitis jam plurimis ex vegetabilium regno, præſidiis, quæ ſpecificorum titulum merentur, progredimur nunc ad animalia et iis quoque depromere, quæ ſpecifice certis morbis ſubveniunt, apud animum conſtituimus. In univerſum autem hic notari velim, quod omnes partes animantium duriores, ver. gratia, ungulæ, cornua, oſſa, in ſubſtantia et pulvere ſumtæ, virtutem habeant antepilepticam et antiſpaſmodicam, in cujus rei confirmationem ac teſtimonium advocamus experimentiam et auctoritates v. g. Alcis ungula, quod ſpecifica virtute celebretur adverſus epilepſiam, noto notius eſt, neque hic attendendum eſt, ad ungulam maris, nec adultam ætatem, vel tempus, quo in venerem hæc animalia feruntur, nec ad ungulam dexteram poſteriorem, quamvis non negandum ſit, quod animalium partes tunc temporis, quo vegetiora ſunt, quo majori continuo motu fluidorum et ſpirituaſcentia gaudent et ſulphur copioſius et activius poſſident, eo efficaciores eſſe ad medicum uſum. Verum enim vero, hic antepilepticus effectus non tantum valet de ungulis alcis, ſed et de cornubus aliiſque. Ungulam aſini, alcis in epilepſia eſſe vicaria, ſcribit Schroederus *pag.* 146. De bovis et equi ungula idem ſperandus effectus.

7 Cornu bovis ad epilepſiam idem Schroederus commendat et ſcribit, quod viderit ſcobem ejus exhibitam fuiſſe contra epilepſiam cum effectu, et *pag.* 272. hæc habet: *cornua & ungulæ bubulæ*

medentur ſpaſmo : de eboris dente idem perhibet *pag.* 387. quod tollat epilepſiam, arceat melancholiam et reſiſtat venenis. De cranio humano et oſſe triquetro temporum, quod peculiare in epilepſia ſpecificum ſit, vulgo perhibetur. Rhinocerotis cornu, lapis manati, dens hippopotami, ad dyſenteriam, ad ſpaſmum, de quo ſubminiſtramus locum ex Theodori Tabernæmontani Maſſerſchat *pag.* 121. mirifice commendantur. Ego puto, quod non tantum horum animalium duræ allegatæ partes hac virtute antepileptica celebrentur, ſed quod in univerſum omnes dentes, cornua & ungulæ, raſuræ, in ſubtiliſſimum pollinem redactæ, antiſpaſmodicam et antepilepticam virtutem habeant, inque iis morbis, ubi ſpaſmi tragœdiam ludunt, vel cauſam morbi ſubminiſtrant, virtute donata ſint eximia; ex hoc ipſum non modo verum exiſtimat de duris et oſſeis partibus, ſed etiam de eorum ſanguine, viſceribus, corde, hepate, inteſtinis, carne exſiccatis, adeo ut non magno ſelectu hic opus ſit, ſed ferme promiſcue et indiſtincte, ſiccata quædam pars ex animalibus deſumta, egregie & ſpecifice opituletur epilepticis, convulſivis & ſpaſmodicis pathematibus, & magnos effectus in medendo exſerat.

8 Nihilominus quædam ex autoribus probatis, qui collegerunt ſpecificorum claſſem ex animantibus deſumtam tradere neceſſum eſt. ut aſſerti noſtri veritas confirmari & res explicari poſſit. Aper dentem largitur, qui in ſubſtantia & philoſophice præparatus, aut melius in decocto, in pleuritide & cynanche mirifice a practicis æſtimatur. In ſanguine aſinino, ſingulare latitat arcanum contra maniam, de quo ſcribit B. Hoffmann. *in clave* : hoc ſolo B. Michaelis in aula Altenburgenſis maniacum reſtituit, eumque non ſemel maniacis applicavi ſumma cum euphoria. Secatur ſcilicet vena ad aures, intinguntur lintea & exſiccuntur, deinde extrahitur cruor cum aqua florum hyperici & propinatur, egregie movet ſudorem. Axungia ex animantibus, v.g. muris alpini, apri, ex ungulis bovis, urſi, cervi, taxi, humana; caſtorei; in leniendis omnibus doloribus, in luxationibus articulorum, dolore pleuritico, colico, ſtranguria, teneſmo, contracturis, arriduris, externa illinitione, virtutem mirabilem exſerunt; dum cicatricum duritiem leniunt, caloſitates reſolvunt, & foveas poſt variolas relictas delent. Sanguis ex nonnullis animalibus v.g. bovinus, hircinus, cervinus, humanus, leporinus exſiccatus in dyſenteria, dolore pleuritico, epilepſia; in dolore ex calculo egregiam efficaciam exhibet.

9 Fel catelli lactantis ab Unzero hiſce verbis prædicavit : *ſume catellum parvum, nigrum, adhuc ſugentem, (pro fœmella vero epileptica ſume catellam) eumque ſtrangula & interfice. Ex interfecti & per ſectionem aperti corpore extrahe totam cyſtim felleam, vix 3. vel 4. guttat ſinceræ bilis in ſe habentem. Illum bilioſum ſuccum omnem puerulo, in paroxyſmo epileptico cum pauxillo aquæ florum tiliæ propina, & miraculi inſtar videbis illum ab hoc morbo e veſtigio ſanari ac curari*, Vid. Riner. *prax. med. p.* 33. In Finnlandia ubi datur urſorum copia, vulgarum ruſticorum eſt, fel exſiccatum inſtar panaceæ exhibere, udoreque ſuperveniente, morbis quam plurimos ſolutos audivi. vid. Schroederus pag. 312. Cæterum, hanc ferme peculiarem habent virtutem fellis ſpecies v. g. anguillæ, leporis, viperarum, carpionis, ranarum, ſuilli, quod, vel in ſubſtantia, vel etiam ſoluta in ſpiritu vini, in aurium & oculorum adfectibus, tinnitu, ſurditate, ulceribus non ſine fructu uſurpentur. Pulvis teſtium equi ad ſecundinas pellendas, fœtumque mortuum expellendum, ceu magnificæ famæ remedium commendatur, unde Henricus ab Heer *L.* 1. *obſerv.* cuidam fœminæ difficultate partus laboranti, pulverem teſtium equi cum croco propinavit, & dimidio quadrante citius : puerum enixa eſt. Decoctum raſuræ cornu cervi, dentis hyppopotami, unicornu marini, priapi cervini, in dyſentericorum ſpaſmis et torminibus ſopiendiſque non ſine magno fructu propinatur.

10 De-

10 Deinceps, celebris eſt pulvis ſecundinę humanæ ad epilepſiam, ad expellendum fœtum mortuum. In moſcho præſentiſſima virtus antepileptica latet, & ab eo quoque mutuatur efficaciam ſuam pulvis de Gutetta in Gallia famigeratiſſimus, quem deſcribit Riverius *p.* 52. & hic eſt: recipe radicis pœoniæ, ſeminis ejuſdem, dictamni albi, viſci querniana unciam ſemis, ſeminis atriplicis, drachmas duas, cranii humani drachmas tres, coralliorum rubrorum præparatorum, hyacinthorum præparatorum, ana drachmam unam ſemis, ungulæ alcis pręparatę unciam ſemis, moſchi ſcrupulum unum, foliorum auri drachmam unam. Miſce fiat pulvis. Sanguis porcellorum, cum cancris deſtillatus, in tabe & atrophia curanda remedium eximiæ virtutis & efficaciæ exſiſtit. Zibethum in torminibus colicis, ventris dolore infantum, etiam in uteri ſtrangulatu, vulvæ applicatum, inque virili impotentia membro inunctum præſtantis virtutis remedium eſt.

11 Quanta ſit utilitas, præſertim ad paſſionem hyſtericam tollendam, item ad ſtrangulatum & ſpaſmos horrendos ex utero ſiſtendos, caſtorei, & ex eo paratorum medicaminum, mulierculis non eſt ignotum, adeo, ut uſum ejus remedii mox graviſſima ſpaſmodica pathemata, in quocunque etiam morbo pręſentia, remittere ſoleant. Axungia ejus peculiariter quoque convenit nervoſo generi ac utero, ideo morbo comitiali, membris reſolutis convulſivis, apoplexiæ prodeſt. Pulmones ovis, vituli recentis, vel etiam viva columba vel gallina diſſectæ, capiti impoſitæ, in cephalalgia, phrenitide & melancholia egregiam virtutem produnt. Aqua ex pica & hirundinibus deſtillata cum vino, non ſine ſingulari fructu maniacis & epilepticis propinatur. Anguillæ fel ad partum facilitandum commendatur a pluribus. Cinis cancrorum adverſus morſum canis rabidi vulgo extollitur, item in abortu arcendo. *Nos in concepto fœtu retinendo*, inquit Poterius, *ejus uſum pluries experti ſumus. Mulier cujuſdam phrygii, ſepties abortum paſſa, hocce pulvere ad duos menſes accepto, partum ad finem feliciter tulit. Quos vivos, ut ranas, in olla vitreata, poſt panis extractionem, ſiccamus. De pulvere ad libitum ſumitur in cibis, ſero & mane.* Funambulus quidam pro ſingulari arcano habuit pulverem ſciuri in vertigine, quem pretio & precibus vix ab eo extorquere potuit D. D. Michaelis vid. Frider. Hoffmann. *p* 280. Pellis cygni colicos juvat & ſtomachi vitio laborantes. Stercus pavonis in epilepſia & vertigine exhibetur, a novilunio uſque ad plenilunium, cum ſaccharo mixtum. De quo legi poteſt Borellus *Cent. III. p.* 119.

12 Lumbrici terreſtres in ſubſtantia ſpecifice proſunt in arthritide ſcorbutica, quam vagam appellant, adhiberi poſſunt intus & extus. Intus exhibentur vel toti conquaſſati, recenterque, cum vino trajecti per linteum, vel ficcati & pulveriſati: extus applicantur vivi & mortui, vivi impoſiti, donec moriantur, mortui in cataplaſmatis forma adhibentur, podagricos dolores lenit pulvis cum farina calide impoſitus. Viperarum & ſerpentum carnem, hepar, cor, in pulvere, item illorum axungiam contra viperarum & ſerpentum morſum ſpecificam antitodum eſſe & incomparabilem præſtare efficaciam certiſſimæ experientiæ eſt. Eodem modo pulvis ſcorpionum & ejus oleum, interne & externe, contra morſum ſuæ ſpeciei, & pars ex cane rabido ſumta & exſiccata, interne & externe, contra morſum ſimilis canis, ſi tempeſtive uſurpetur, quod infallibilem virtutem producit, indubitata confirmat experientia. Cęterum viperarum caro, earum fel, ſpina, hepar, in dyſenteria maligna, in arthritide vaga, in maligna & leproſa ſcabie, peculiarem quoque energiam oſtendunt. Ulterius pulvis lapidis manati, ad ſanguinis ad eructationem ſpectantis cohibitionem, ut hęmoptyicum fluxum, utiliſſime adhibetur. Dentę hippopotami ad omnes hęmorrhagias eodem ſcopo B. Michaelis in *Not. ad ideam Med. Pract.* Ionſtonii commendat, & notat Wormius *in Muſeo* & *Pater* Boehm, quod Goę dens valde efficax, qualis fuit hippopotami, aſſervetur in noſocomio regio, cujus vim ſi monſtrare cuipiam velis,

vellis venæ ſectæ undem admovent, quo ipſo illa ſtatim fluere deſinat.

13 Cornu rhinocerotis in omnibus affectibus ſpaſmodicis dolore pleuritico, hæmorrhagiis, in ſubſtantia non ſine effectu datur, & ſimilem ferme cum dente hyppopotami, unicornu marino, & lapide manati exhibet virtutem. Pulvis inteſtinorum lupi ad compeſcendos dolores colicos datur non ſine fructu. Leporis oculi exſiccati valent ad partum difficilem, ad ſecundinas & molam propellendam, leporis cor quartanæ peculiariter medetur ſecundum Horſtium, ſecatur in tres partes, & præmiſſis univerſalibus, initio trium paroxyſmorum, tertia pars ſingulis vicibus propinatur. vid. Schroederus *pag.* 300. Pellis leporina in affectu iſchiadico & arthritico egregie celebratur. Officulum tale commendatur ad colicam partuſque difficultatem, fel eſt otalgicum & opthalmicum, renes teſticulis & calculoſis proſunt, & mictionem involuntariam corrigunt. Humor cryſtallinus cervorum exſiccatus ſolvitur inſtar tragacanthæ in aqua roſarum, hæc in omnibus oculorum vitiis, fluxionibus, inflammationibus, quæ a ſero acri, vel dolore proveniunt, pluribus opem tulit præſentiſſimam. De decocto raſuræ cornu cervi hoc loco non prætermittendum eſt, quod ejus uſus maxime congruus ſit omnibus infantum morbis, ubi ſpaſmus, dolor & calor præternaturalis ſeſe exſerit, id quod experientia certa ac conſtanti infirmo.

14 Allegavimus hic ingentem ſpecificorum numerum, quorum virtus certe non eſt de nihilo. Nam profecto experientiam vulgi, tot hominum et per tot tempora ratione certi remedii non temere rejicere debet medicus, ut ut ignorato operandi modo. Commendamus itaque dicta attentiori obſervantiæ & experientiæ, nobis vero in præſentiarum opus eſt demonſtrare, quod illa effectum exſerant dictis in morbis tollendo ſpaſmos, circa quod neceſſarium duco exponere quid ſit ſpaſmus, & quid per illum intelligatur. Cœlius Aurelianus *l. 3. cap. 6.* ita definit ſpaſmum: *Spaſmus eſt involuntaria tenſio atque contractio partis cum vehementia & dolore acuto, ob ſtructuræ violentiam cum dura diſtenſione.* Et certiſſimum quoque, quod in omni ſpaſmo fibræ muſculoſæ cum ipſis membranis non diſtendantur & elongentur, ſed conſtringantur, comprimantur, & arctiores evadant. Spaſmi nempe ſubjectum ſunt præcipue fibres muſculares & membranæ quoque nerveæ, & verſatur maxime circa motum ejuſque incrementum: notum enim eſt, regulariter ſecundum naturam fibras muſculoſas filamentaque nervea eſſe inſtrumentum omnis motus atque impulſus, nec non omnis ſenſus in corpore noſtro, unde nulla actio fit in œconomia animali, quæ non mediantibus hiſce partibus abſolvatur. Et quandocunque hujus inſtrumenti, nempe fibrarum ac nervorum motus, actio, vel ſecundum aliquos, tonus recte ſeſe habet, i. e. debita in eis fit ſtrictio & dilatatio, tunc circulatio ſanguinis & tota œconomia motuum, nec non ſecretionis & excretionis negotium, item animæ operationes rite munere ſuo funguntur, & ſecundum regulam fiunt, & ſic præſens adeſt ſanitas: ex adverſo, quando fibrarum et nervorum actio, motus et tonus vitiatus eſt, quod vitium conſiſtit, vel in nimia earum diſtenſione, vel relaxatione, vel in nimia conſtrictione, ſive ſpaſmo, tunc morbus vel diſpoſitio ad eum in procinctus eſt. Nam omnes fere interni morbi, ſublato hujus motus æquilibrio, cauſam ſuam agnoſcunt & pro diverſitate partium, in quibus hi motus fiunt, varii effectus morboſi naſcuntur, variumque accipiunt nomen: principaliter vero cauſam conſtituit illorum motus actus, nimirum activus qui vocari ſolet ſpaſmus. A qua ille motus celebretur cauſa, et an hæc ſit ſubſtantia immaterialis notitia et ratione prædita, et an hæc propter certum finem et ex morali conſideratione ad avertendum gravius malum, tales motus ſuſcipiat, ſive an ſit materialis indolis ſubſtantia, et tantum virtute motus alioque phyſico actu ſuam operationem efficiat, et quomodo id in fibrarum ſtructura præſtet, ſtudio hæc indaganda prætermittimus, ceu obſcura,

in-

incognita, determinatione et inquiſitione difficilia, nullius uſus et ad medendi ſcopum directe non pertinentia; ſed potius cuivis hac in re ſuas ſpeculationes et delectationes in ipſis relinquimus. Hoc autem non poterit negari, neque diſſenſio reperitur, fieri tales ſpaſmodicos contractorios motus in fibris corporis noſtri a cauſa externa duplici, vel immateriali, del materiali; Quod primum attinet, evincunt id animi affectus. Nam nulla gravior animi paſſio eſt, quæ non ſeſe exſerat in corpore per ſpaſmos, et inde dependentes irregulares motus variaque ſymptomata: vel proficiſcitur a cauſa materiali. Hæc rurſus duplici ratione, vel in quantitate conſideranda, ſive mole, vel in qualitate verſatur; unde obſervatio practica et medica docet, vehementes et morboſas generis nervoſi et fibroſi contractiones, non tantum fieri a ſanguinis ſtagnantis in certis partibus copia, infarctu, earumque diſtenſione, ſed et ab acrimonia velicante, ſcindente et cauſtico materiæ morbificæ elemento eos ſuſcitari, uti ad oculum venenorum effectus, animantium morſus et multorum medicaminum, v. grat. evacuantium effectus, teſtantur. Præterea, aliæ cauſæ externæ fibras nerveas muſculoſaſque vellicantes, uti ſunt calculi, feſtucæ, globuli, lumbricorum morificationes, cauſam præbent hiſce motibus contractoriis dolorificis.

15 Conſiderata jam in genere eſſentia ſpaſmi, videbimus jam, in quibuſnam morbis maxime ludat ſuam tragœdiam, ut deinde melius pateat aſſerti noſtri veritas, quod ſuperius allegata in morbis, qui ex ſpaſmo proveniunt, efficaciam ſuam exſerant. Primo, univerſalis medicorum eſt conſenſio, epilepſiam eſſe ſpaſmum totius corporis univerſalem, ubi non modo ſyſtema nervoſum, ſed et fibroſum fortiter contrahitur. Teſtantur id contractiones digitorum et pollicis, agitationes, jactationes et circumgyrationes corporis intenſæ, oculorum contorſiones, anxietates præcordiorum conſtrictoriæ cum cordis palpitationes vehementes, compreſſio faucium et aſperæ arteriæ, unde ſpuma, contractio inteſtinorum, unde borborygmi, flatulentiæ alvi conſtrictio contumax, naſcuntur. Porro, ad ſpaſmos referimus omnes graviores dolores, quales ſunt in paſſione iliaca, colica, calculoſa, ſive calculus ſit in uretheribus, ſive in veſica, ſive in ductu choledocho, cephalalgia, otalgia, odontalgia, et podagra. Confirmant id ſymptomata, quæ hos dolores ſequuntur, violentæ tractiones partium dolore affectarum, et ſubſequentes, maxime in artubus, incurvationes, cum ſtupore; evincunt id ſtaſes et repreſſiones, vel etiam expreſſiones ſanguinis, unde dolor horripilationem et frigus, vel etiam calorem partibus inducit, ob liberum circulum, propter ſpaſmum fibrarum et compreſſionem vaſorum, ſuppreſſum. Deinceps, ad ſpaſmodicos & convulſivos motus referri quoque debent, v. g. incubus, tuſſis convulſiva, aſthma convulſivum, ſingultus, palpitatio cordis, vomitus, tormina in dyſenteria, alvi contumaciſſima adſtrictio, urinæ & ſudoris ſuppreſſio, tetanus, ſpaſmus cynicus, priapiſmus, qui ex violenta tractione & motus intenſione fibrarum proveniunt.

16 Spaſmis quoq; accenſendæ ſunt hæmorrhagiæ: nulla enim magna hæmorrhagia interna naſcitur, niſi præcedant ſpaſmi, præſertim in primis viis, meſenterio et abdomine. Spaſmi enim, ſunt cauſa inæqualitatis ſanguinis circuli: dum enim præcluduntur et conſtringuntur viæ ac tubuli, et impeditur is motus, ſanguis cum impetu fertur ad alias partes, ubi facta diſtenſione, vaſa diſrumpit; ideo, qui hæmorrhagias, curare vult ſpaſmos prius tollat neceſſe eſt, hinc antiſpaſmodica optima adverſus hæmorrhagias ſunt præſidia. Denique pathemata, quæ in hyſtericis, hypochondriacis, & ubi hæmorrhoides ſuppreſſæ, concurrunt, non niſi ſpaſmis adſcribi ſolent; item abortus, non niſi in uteri ſpaſmis, & partus difficilis cauſa, in ſpaſmorum vehementia quærenda eſt. In intermittentium paroxyſmis, præſertim ſub frigore & horrore, ſpaſmodicæ contractiones manifeſtiſſime viſuntur: ſtrictura enim pororum cutis, horripilatio, rigor, frigus, dolor contuſivus pedum, inflatio abdominis

cum

cum alvi adſtrictione, nauſea cum diſpoſitione vomitum ad lumborum dolor, præcordiorum anxietas, nil niſi mere ſpaſmi effecta ſunt. Venenati animantium morſus & ictus, ipſaque cauſtica ex regno minerali depromta, non alia ratione infenſiſſima corpori ſunt, quam ſpaſmorum, quos producunt, violentia & copia ideoque ſubito interficiunt.

17 Diximus ſpecifica eſſe antiſpaſmodica, jam ex præcedentibus facillime colligitur, quare ea, quæ recenſuimus tam ex vegetabili, quam animali regno, in morbis ubi ſpaſmi omne ferunt punctum, præſentiſſimum ſolamen afferant, & eam ob cauſam nominatim in dolore arthritico, colica, epilepſia, diarrhœa, dyſenteria, mania, paſſione hyſterica, hæmorrhagiis, partu difficili, abortu præcavendo, convulſiva tuſſi, contracturis, morſibus animantium venenatis conveniant. Jam res ipſa & ordo poſtulat, ut quo principio agendi inſtructa ſunt, & operationem ſuam exſequantur dicta ſpecifica, videamus. Dicimus vero medicamentorum virtutes dependere principaliter ex duplici activo principio; ſale nempe & ſulphure. Sal eſt ſubſtantia, ex particulis figura acuta & ſcindente coagmentata, unde ſaporem in lingua efficit, inque nervoſis partibus vellicatione ac roſione ſua ſenſum doloris excitat, in glandulis vero evacuationes, excretiones cauſatur. Non enim dubitari poteſt, omnis generis evacuantia, uti ſunt purgantia, vomitoria, ſudorifera, diuretica, ſalivantia, apophlegmatizantia, aperientia, principaliter ex ſalino principio operari. Longe vero a ſale diſtat ſulphuris textura ac craſis. Quemadmodum enim ſalis particulæ figuratæ ſunt & facillime diſſolvuntur, diſcerpuntur, ita ſulphur compoſitum eſt ex partibus magis inter ſe implicatis, intricatis, arctius unitis, acrimoniæ expertibus, propter quam intricatam & implicatam texturam, oleoſa & ſulphurea aciem ſalium excipiendo & quaſi in vagina recondendo, illa temperant, quo minus nocere poſſint. Et hæc quoque eſt ratio, quare acidiſſimi concentrati ſpiritus, nitri, vel vitrioli, affuſi oleis deſtillatis, acrimoniam ſuam ferme diſponant, ita etiam ſulphur, reguli antimonii & argenti vivi vim virulentam, penitus, admixtione facta, caſtrat; & quemadmodum in ſale magna eſt vis ſolidas partes irritans & rodens; ita in ſulphure eſt principium vim iſtam ſiſtens, fugans, temperans.

18 Equidem objici poteſt contra hanc ſententiam, quod ſulphura intenſum calorem in corpore accendant & materiam motum inteſtini calidi igneique in ipſo præbeant; uti videmus omnia olea deſtillata calidiſſima eſſe: ſed reſpondemus, verum id eſſe de oleis, quæ ſale volatili ſubtili pollent, uti olea deſtillata ex vegetabilibus, item ex animalibus ſumta, quæ manifeſta propter ſal admixtum intimeque conjunctum habent penetrantiam ac volatilem, unde utique talis ſubſtantia ſalina volatilis, cum partibus ſulphureis irretita, diutius manet in corpore, nec tam cito avolat per poros, & ſic calorem tam inteſtinum quam progreſſivum irritatione ſua accendit eamque ob cauſam plus calefacit, olei guttula deſtillati, quam decem grana puri ſalis volatilis ab oleo liberati. Hoc ipſum vero non valet de ſulphure ſibi relicto; uti patet ex omni pinguedine, oleo expreſſo, axungia ignem non paſſa, quorum aſſumta etiam magna quantitas minime calorem augent in corpore, ſed potius leniendo, demulcendo ſpicula ſalina, ſiſtit motum caloris, eundemque deprimit. Latet itaque in ſulphure vis motus ſedans, ſiſtens adeoque antiſpaſmodica, cum omnis dolor et ſpaſmus ex motus incremento fiant; in ſale vero reconditur principium movens, ſive motus excitans, unde omne ſal calefacit, evacuat. Jam vero ſi conſideremus ſupra recenſita ſpecifica, tam ex regno vegetabili, quam animali deſumta, & inquiramus in illorum agendi principium materiale, mox ſeſe ſiſtit ac manifeſtat ſulphurea ſubſtantia. Nam vegetabilibus plerumque olea, v. g. menthæ,

thæ, lavendulæ, ſpiculæ, ſalviæ, baſilici, chamomillæ, origani, aniſi, fœniculi, hyſſopi, hormini, tantum exſerunt ſuam efficaciam dictis in morbis propter ſulphur vaporoſum, quo pollent, et caput et nervos replent. In radice valerianæ, opio, croco, ſemine hyoſcyami, camphora, ſubſtantia ſulphurea vaporoſa ipſo odore teſte præſens eſt. Semen lycopodii, anthera liliorum alborum pure ſulphureæ indolis ſunt, et flatu immiſſæ in flammam, ventum cum ſtrepitu igneum exhibent flores vegetabilium, pœoniæ, roſarum, papaveris, liliorum alborum, convallium, primulæ veris, ſambuci, virtutem ſuam anodynam et ſpecificam exhalantibus ſubtilioribus ſulphureis partibus unice debent. In animali regno principii ſulphurei, benigni, lenis, acrimoniæ expertis, major datur copia. Nam ſine deſtillatione prævia ſanguis & omnium animalium partes, oſſa, dentes omni ſalina acrimonia carent; porro quanta pinguedo et oleoſitas inexiſtat animantibus, notiſſimum; obſervamus enim totos panniculos adipoſos; viſcera in pinguedine latitant, et nulla pars reperitur, etiam duriſſima, uti os exſiſtit, in cujus poris non copioſa pinguis ſubſtantia deliteſcat. Poſſet quidem hic opponi ex animali regno ſalia volatilia maxima in copia præparari poſſe, quibus reſpondemus, quod ſalia volatilia formaliter non exiſtant, ſed mediante igne, non ex pinguedine, ſed ex ſubſtantia terrea, motu igneo, producantur, unde ratio patet, quare ex oſſibus, terreis corporibus, major quantitas illorum, quam ex aliis confici poſſit; item quod non formaliter inexiſtant, ex eo judicare licet, non ex animantibus præparentur, niſi prævia combuſtione, et non in initio deſtillationis, ſed demum in fine prodeant, aperto indicio: minime his formalem aſſignari poſſe exiſtentiam; nam ſal tale eſt volatiſſimum, et ſub leniſſimo calore evaporat.

19 Porro ſalis manifeſti expers eſt regnum animale, et inter excrementa potius, quæ ſalina ſunt, ſal referri debet, nam proxime non ingreditur partium, ſive ſolidarum, compoſitionem. Ex dictis jam facile apparebit, cur animalia tantam ſpecificorum largiantur copiam, i. e. remediorum, motus impetuoſos convulſivos, ſpaſmodicos, dolores, nimiaſque evacuationes ſiſtentium; quoniam nempe ſulphure vaporoſo gaudent, ratione cujus hos effectus præſtant. Jam vero ſulphur cuſtodire talem virtutem ex ſupradictis in regno vegetabili conſtat, quæ omnia ob ſulphur evaporabile agunt. Sulphur enim vaporoſum eſt, i. e. multas exhalationes, vapores et effluvia, vigores motus inteſtini, qui in ipſo latitat, emittit; teſtante id gravi, vel etiam ſuavi odore. Nam ex ſententia omnium chymicorum et phyſicorum affirmatur, quod ſal ſit principium ſaporis, ſulphur vero odoris. Odor itaque provenit ex copia effluviorum, ſive exhalationum. Atque etiam abundantiſſime deprehenduntur in animalibus eorumque partibus exſiccatis, quæ graveolentem et fortem odorem ſpirant, ut pulvis lumbricorum terreſtrium, viperarum, raſura ungulæ alcis, fel ex animalibus, ſanguis eorum exſiccatus et viſcera exſiccata id docent. Hæ blandæ exhalationes nervis ſeſe inſinuant, et per poros in ſanguinem tranſeuntes, rarefactione ſua nimium dilatando fibras muſculoſas et in meningibus arterias, iſtum motum ſyſtalticum arteriarum et fibrarum impediunt, a qua ſyſtole et motus progreſſivus et ſpaſmus pendet. Quod vero opiata agant rarefactione et nimia arteriarum expanſione, latius jam deduxi in *diſſertatione* de *opiatorum mechanica operandi ratione*.

20 Nunc ſelectiora eaque compoſita remedia contra hos morbos ſpaſmodicos annectere placet, v. gr. in epilepſia habituali ſequens pulvis valde eſt proficuus: recipe raſuræ unguæ alcis, dentis hippopotami, unicornu marini, cranii humani, pulveris lumbricorum terreſtrium ana drachmas duas, moſchi drachmam ſemis, eſſentiæ caſtorei inſpiſſatæ ſcrupulum unum. M. F. P. qui vel cum cinnabari mixtus, vel ſolus uſurpari poteſt. Ad fœtum mortum et ſecundinam pellendam: recipe pulveris teſticulorum equi, ungulæ alcis, ſecundinæ

humanæ præparatæ ana drachmam, fellis anguillæ, antheræ liliorum albo-rum, croci ana grana XII. olei cinamomi guttas quatuor. In morſu viperarum ana drachmam, pinguedinis viperinæ drachmam ſemis. M. In dolore pleuritico: recipe raſuræ dentis apri, mandibularum lucii piſcis, unicornu marini, oculorum cancri, dentis hippopotami, cinnabaris antimonii ana ſcrupulum unum, nitri grana XII. In contracturis externe, recipe axungiæ humanæ, caſtorei, urſi, taxi ana unciam ſemis, olei majoranæ, ſalviæ, lavendulæ ana drachmam. In colico dolore poterit addi zibethum. Contra maniam ſanguis aſininus egregius eſt. Contra morſum canis rabidi: recipe raſuræ ungulæ lyncis, pulveris viperarum ana drachmas duas, caſtorei grana XII. In hæmorrhagii: recipe dentis hippopotami, lapidis manati ana drachmam, nitri drachmam ſemis. M. In phrenitide, cephalalgia, externe, gallina viva diſſecta egregia eſt. In arthritide pulvis viperarum lumbricorum terreſtrium cum cinnabari antimonii & nitro egregium effectum præſtat.

21 Quod attinet ad convenientem uſum et applicationem ſpecificorum, maxime eorum, quæ ex regno animali petita ſunt, ſequentia monita notari merentur. I. Ex animantibus tutiora ſunt et præferenda iis, quæ in regno vegetabili proſtant. Ratio in proclivi eſt; nam naturæ noſtræ convenientiora ſunt, facilius inveniunt ingreſſum in ſanguinem & poris lubentius ſeſe accommodant ideoque magis amica. Aliter vero res habet cum iis, quæ ex aliis regnis profluunt. Hæc enim non tam propinqua ſunt noſtræ naturæ, ſed et heterogenea quædam principia ſimul cuſtodiunt, qua non bene correſpondent mixtioni partium fluidarum, vel ſpiritibus, ſive principio movendi corporis noſtri inimica ſunt; unde v. gr. opium ob ſuum ſulphur vaporoſum anodynam quidem vim habet, nihilominus hoc ſpiritibus non quadrat, ſpaſmodica pathemata non tam pronte ſiſtuntur, quam a caſtoreo aliis remediis adpropriatis. II. Notandum eſt, quod hæc dicta ſpecifica ex animantibus, ſi pollere eximio uſu debent, non nimis eſſe debeant inveterata, adeoque non diu in pulvere ſervanda, neque ex inveteratis effœtiſque oſſibus ſumenda ſint; ratio in procinctu eſt, quoniam per fluidum æreum jacturam partis volatilis, qua agunt, ferunt; unde omnia, quæ recentia ſunt, quæ cadaveroſum et volatilem ſpirant odorem, præſtantiſſima. III. Deinde obſervamus, quod illa ex animantibus, quæ principio pollent vaporoſo copioſiſque exhalationibus, longe celerius et citius, ſed etiam magis tranſitorie operationes ſuas exſequantur, præ iis, quæ ſulphure et oleo magis fixo ſcatent, hanc ob cauſam caſtoreum, zibethum, moſchus, ceu odoratiſſima expeditioris ſunt virtutis, præ raſura ungularum, oſſium, dentium, cornuum, quanquam horum virtus ſit conſtantior, in agendo tamen tardior. Medio modo ſic habent ea, quæ ex viſceribus exſiccatis harum animantium, parentur. IV. Hæc ſpecifica virtutem ſuam ammittunt, quando fuerit uſta, deſtruitur ſic tota craſis, conſequenter etiam virtus remedii. Exſtat hanc in rem egregius locus apud Angelum Salam, *Sect. 1. Res, quæ in igne tractantur, omnes alterationes ſubeant, & de naturali ſui temperamenti ſtatu quodammodo dejiciantur neceſſe eſt, ac magis, ſi vel vehementiſſimum eum, vel diutius ſuſtinere coguntur, minus ſi remiſſior fuerit moraque in eo brevior. Nihil quicquam itaque certi de operatione remedii colligere licet e ſubſtantiis, vi ignis extortis; imo ſæpenumero contingit, ut herbæ, quæ vulgo refrigerantes putantur, ut cichoreum, lactuca &c. oleum calidum & ſal volatile alcalicum fundant, quod calidit annumeratur.* Deinde indubium eſt ac innumera experimenta evictum, chinam chinæ præſtantiſſimum eſſe febrifugum, quod ſi tamen deſtilletur; ſpiritum acidulum cum oleo pauco empyreumatico præbet, exiſtente capite mortuo nigro: hæc vero febricitantibus exhibeantur, ſive ſola, ſive invicem

mix-

mixta, omni virtute plane ſunt caſſa ac inefficacia. V. Parum hæc ſpecifica faciunt in epilepſia et aliis morbis, qui fiunt per conſenſum, ſed debet tolli primum cauſa, v. g. in epilepſia, quæ fit ex dentitione difficili, variolis; longe vero majorem efficaciam exſerunt in affectibus idiopathicis, v. g. epilepſia inveterata valde convulſiva, maxime omnium vero efficaciter ſe habent in affectibus & ſpaſmi conſuetudine quaſi introductis, quæ nihil aliud eſt, quam ſumma facilitas & proclivitas ſpaſmodicorum motuum per multiplex exercitium repetitum, v. g. in epilepſia aſthmate habituali, & hæmoptyſi. VI. Ratione uſus porro monendum eſt, ne iis tantum inhæreamus, ſed ad cauſam morbi reſpiciamus, hinc v. g. ſi ſanguis ſtagnat ex menſium vel hæmorrhoidum ſuppreſſione, item ſi circulus maſſæ ſanguineæ impeditus, in hyſtericis, hypochondriacis cauſam præbet variorum ſpaſmodicorum motuum v. g. arthriticorum, ſola non conveniunt, ſed tunc ſimul evacuantia, ſanguinem detrahentia ſubjungenda ſunt: præmiſſis enim evacuantibus, alterantibus, nullum dubium eſt, quin tunc ſuppoſita ſpecifica egregie hiſce affectibus ſubvenire poſſint. VII. Perpendendum & hoc, quod non tam juvent, quando tantum ex cauſa materiali et ejus quantitate, quam potius ex motu, conſuetudine, affectu animi & ſubtiliſſima materia motum provocante, provenit morbus, e. g. ex morſu canis rabidi, viperarum, dyſenteriæ miaſmate, motibus ſpaſmodicis in partu, epilepſia ab ira, terrore, verum etiam, conſenſuali malo medentur v. g. calculi doloribus, ſi non conſtanter perſeverat affectus, niſi principalis cauſa ſublata ſit. IIX. Et ultimo monitum hoc inculcari debet junioribus practicis, ne hiſce ſpecificis abutantur, quoniam nonnulla ex iis potenter fluxum ſanguinis cohibere & ſupprimere ſolent; ideo cavendum eſt, ne iis, qui criticas tales evacuationes ſolennes cum fructu ſentiunt, v. g. menſes, hæmorroides, narium hæmorrhagias, præſertim ſi naturales ad tales diu fuerit adſueta, frequentius et repetita doſi propinent. Facile enim evenire poteſt, ut in totum tali fluxus ſupprimi poſſit; unde præſertim, ſi homines fuerint adultiores, ad ſpaſmodicos affectus, vel etiam ad hæcticam, cacheſiam, hydropem via panditur apertiſſima.

DISSERTATIO XVIII.

DE STUDIIS PER REGULAS DIÆTETICAS FACILITANDIS, ET PROLONGANDA LITTERATORUM VITA.

CAP. I.

QUicunque viam aſperam arduamque & longam ingreditur, quæ ad excelſum ſapientiæ, *a* et muſarum templum aſſiduo labore *b* perducit: inter alios hujus viæ ac itineris duces fidoſque comites, aliaque neceſſaria adminicula *c* etiam Medico peritiſſimo *d* in-

M 2

a Sapientia eſt divinarum humanarumque rerum ſcientia. Divinam definit Sac Scriptura quod ſit vapor potentiæ divinæ, emanatio ſincera omnipotentis gloriæ et ſplendor ſempiterni luminis. Hæc unica veritas eſt et vera ſapientia, quæ non ſolet fallere. *Origenes contra Celſum p.* 154. Humana comprehenditur Philoſophia morali, diſciplinis mathematicis, et exquiſita rerum naturalium ſcientia.

b δύσκολα πὰ καλὰ ardua quæ pulchra. Arboris ſcientiæ radix amara, fructus vero dulciſſimi. *Philoſophus.*

c Videlicet optimam indolem, locum ad ſtudia aptum, inſtitutionem fidelem, Præceptorem probatiſſimum. *Plutarcho in libro de liberis educandis* hic protiſſimus eſt, qui ſimul et dicere et facere ſolet. Hinc Divus *Gregorius*: aut non doce, aut

a indigere videtur . Miſertus ſæpius ſum ſortem laborioſiſſimam illorum , qui ſacris Minervæ operantur , & difficili aſſiduoque labore , magnaque intemperie ſtudia tractant , ſalutaribus autem Medici præceptis deſtituti graviſſimam labem corpori ingenioque afferunt , ac in irreparabile damnum eorum vires præcipitant . Peccari hic ſolet ferme toto die , dum litterati diætæ ſive prudentis vivendi rationis negligentes et expertes, maximo fervore muſæis ac libris affixi ſtudia urgens , debitumque robur corpori ingenioque , conſumtis ſpiritibus , ſuffurantur , ſicque in ſæviſſimos et ſatis diuturnos morbos *b* incidunt ; vel præmatura morte fatalem diem ſibi accerſunt . Felicius ille procedit , qui rationem ſanitatis et animi habendo *c* in ſtudiis , vires quæ non paucæ requiruntur ad animæ functiones , et hoc modo vitam longam et ſanam , quæ ad mentis ſanitatem , (qua ſola ſapientia comprehenditur) *d* neceſſaria eſt , conſequitur . Quapropter ut eruditus et litterarum amore flagrans non modo ſalvis ſtudiis ſanum corpus in eoque ſanam conſervet mentem; *e* verum etiam majores in ſtudiis ſentiat profectus , non inutile vel vanum fuerit , brevi

---

aut vita ac reipſa doce , ne una quidem trahas , altera vero manu retrahas . *Quintilianus* illum probatiſſimum arbitratur , qui ſuorum diſcipulorum proventum proprium æſtimat , quem laboris ſtudium non fatigat , qui interroganti diſcipulo non tædioſe reſpondet , bonos laudare non ceſſat , medios leviter increpat, et duros a ſtudendi propoſito non deterret .

a Hunc peritiſſimum dicimus , qui accedente fortuna , nihil ſine ratione , nihil ſine conſilio circa ſuos ægros agit . *Homerus* talem cæteris anteferendum arbitratur *libr. Iliados* , item *Celſus* , qui vitam non cædem molitur . *Tyrius* autem *Platonicus* hunc commendat , qui et per philoſophiæ præcepta animi pathemata feliciter ſanat , & corporis male habentis affectus herbulis quibuſdam ratione obſervata tollit . *Pindarus* cum expoſuiſſet , *Æſculapium* Chironi in diſciplinam eſſe traditum , ut ab eo medendi ſcientiam diſceret atque ad Æſculapium poſtea convenire et concurrere ſolitos , qui aut morbi affecti , aut ulceroſi aut ſaucii eſſent , ſubjungit ad extremum , eam fuiſſe in Æſculapio artis præſtantiam , ut quotquot ad ſe venirent ægri aut debiles aut vulnerati omnes malis ac laboribus levatos abs ſe dimitteret , alios carminibus curans , alios potionibus , alios pharmacis & medicamentis forinſecus admotis , alios adhibita ſectione .

b Familiariſſimus eruditis affectus eſt ex vita ſedentaria et nimia mentis agitatione hypochondriacus , quem omnium malorum compendium dixeris .

c *Thales* ut refert *Laertius* cum interrogaretur , quis eſſet felix dicendus ? reſpondit : Qui corpore ſanus eſt , animo autem eruditus .

d Ad artem ſcientiamque perfectam non tam vel docilitas ingenii , vel memoriæ firmitas , quam prudentis judicii alacritas nos perducit . Judicium vero propter ambiguitatem ex conjecturarum diverſitate conceptum adeo difficile eſt , ut experimento ſit neceſſario confirmandum . Experimentum quoque fallax , tum propter judicii ipſius difficultatem , tum ob fugacem opportuni in experimento captando temporis brevitatem . Quibus ſane de cauſis artem eſſe longam , una cum *Hippocrate* recte concludimus ; nec poſſe nos eam niſi vitæ longitudine conſequi . Vitam vero longam præter fata medica etiam diligentia præſtat . *vid. Marſ. Ficinus* , lib. 2. de Vit. long. cap. 1.

e *Horatius* : Optandum ut ſit mens ſana in corpore ſano . *Seneca* Epiſt. 29. Roga bonam mentem , bonam valetudinem animi , deinde corporis .

brevi labore compendioque præcepta litteratis potiſſimum commendare, quibus ſanitatem ac vitam tueri, atque corporis animique vigori proſpicere queant. Agite itaque florentiſſimi Juvenes et omnes quos ardentius Minervæ ſtudium nimium enervat, legite hæc ſolertius, atque curate valetudinem diligentiſſime. Sublata enim ſanitate, ſublimes Muſarum fores, niſi Deus omnipotens mira quadam virtute patefaciat, aut non tanguntur a nobis unquam, aut certe Fruſtra pulſantur. Amicabilis autem ſanitatis cum eruditione mixtura atque conjunctio eſt. Diligenti experimento atque obſervatione conſtat, Medicorum cura non ſolum eruditos natura validos, ſed etiam valetudinarios vitam longam aliquando conſecutos. Herodicum quendam litterarum ſtudioſum omnium ſui temporis infirmiſſimum Medici providentia annum centeſimum impleviſſe Plato & Ariſtoteles prodiderunt. Plutarchus narrat multos corpore alioquin parum firmo vitam ſola diligentia longam conſecutos. Mitto in præſentia multa quæ nobis nota ſunt exempla. Inſtituta vero hæc ad vitam longam ducentia non inertibus ignaviſque ſcribimus. Cur enim cupiamus iſtos diu vivere, nec hominibus, perdita voluptatum libidine diſſolutis, qui brevem quotidie voluptatem longæ ſtulti præponunt, nec improbis iniquiſque patefacimus, quorum vita mors eſt bonorum; Sed duntaxat tradimus hæc prudentibus, atque temperatis ſolertis ingenii viribus, humano generi vel privatim vel publice profuturis.

CAP. II.

PRimum quemadmodum curſores crurum, athlethæ brachiorum, muſici vocis exquiſitam curam gerere atque habere ſolent: pari ratione qui ex litteris ſapere vult, cerebri [a] quod principale animæ habitaculum et ſapientiæ ſedes eſt, rationem habere debet exquiſitiſſime. * Solers quilibet artifex inſtrumenta ſua perquam diligenter curat, peniculos pictor, malleos incudeſque faber, miles equos et arma, venator canes, et ſua quiſque ſimiliter. Soli vero muſarum ſacerdotes, ſoli ſummi boni veritatiſque indagatores tam negligenter proh dolor! inſtrumentum illud quo mundum et univerſas ſcientias quodammodo metiri et capere poſſunt, colunt, atque percurant. Inſtrumentum illud tenuiſſimum machinæ fluidum cerebrique ac nervorum incolens eſt, quod animalis ſpiritus nomine a Medicis donatur, vapor ſanguinis ſubtilis, puriſſimus, luminoſus, quo anima tanquam inſtrumento idoneo ad ſuas functiones, motus et ſenſationes in corpore exercendas aſſidue utitur. Etenim qualis hic ſpiritus, tales et ſenſus, ingeniique vires, talis et ratio eſſe ſolet. [b] Mirifice enim ex animæ corporiſq; unione commercii oritur neceſſitas et utriuſque vitia invicem facile communicantur,

* vid. Marſilius Ficin. de valetud. Studioſ.

[a] Cerebri, quod motum et ſenſum homini conciliat, præſtantiam tantam Platonici crediderunt, ut veriti non ſint, cerebrum noſtræ animæ habitaculum principale nominare, et propter memoriam ſapientiæ ſedem. Ex quo tandem colligitur de *Pallade* ſapientiæ et armorum Dea, ſumma ratione veteres dixiſſe, eam ex Jovis cerebro enatam eſſe.

[b] Stupendum eſt commercium animæ atque corporis, adeo ut etiam unius in alterum vis ac impetus mutuaque communicatio perſpectiſſima ſit. Quo purior ſanguinis vitalis tinctura eſt, quo mixtura elementorum ejus magis congrua, eo major ingenii promptitudo enitet, et vice verſa, quo lentior ad motum ſanguis eſt, et fixiores ſpiritus, et tardius ingenium appa-

& in ſe tranſeunt. Segneſcit protinus animæ virtus ubi corpus vacillat & ſuccumbit, & corpus quoque detrimentum accipit, quando animus in præceps rapitur ab affectibus. Adeo mutua neceſſitudo animæ ac corporis exæquo diſpenſat commoda & incommoda ſua. Quo circa qui nobile & ad ſublimitates rerum capiendas aptum ſibi conciliare inſtituit ingenium, inprimis curet ut ſpiritum ingeneret ſanguini ac corpori benignum, purum atque temperatum, diligentiſſime obſervet ea quæ natura ſua talem procreare apta ſunt. Ex hiſce principatum obtinet purus liquidus & imperturbatus lucis aer. Hic enim præcipuum & ſuperius ſpiritus, qui præeſt corpori noſtro, elementum ac pabulum eſt, & qualis aer talis quoque ſpiritus eſſe ſolet. *a* Græci aerem appellanrunt ſpiritum vitalem *b* per cuncta rerum meabilem totoque conſertum. Quam ob cauſam loca quæ inhabitamus *c* quo puriore, ſereniore *d* ac temperatiore aere gaudent foventurque & a gravi nubiloque cœlo magis remota ſunt, hoc ſalubriora judicantur. Aer ingeniis favet *e* maxime temperatus, & hic quoque ſtudiis apprime utilis. Nimis calidus ſpiritus diſſolvit, denſus caliginoſus *f* itemque gelidus corpus premit & humores coarctat, ac ſpiritus minus ſerenos ingignit. Quocirca improbamus pro Studioſis muſæa nimis calefacta, vel etiam nimis frigida, itidem quæ denſo & humido aere ac peregrino vapo-

---

apparet. Pituitoſos ignavum ac iners poſſidere notiſſima res eſt. Ebriorum inordinatas actiones, calido in venas abeunti vino deberi, indubium eſt. Quantum detrimenti corpus capiat, ſi a ſævis affectibus animus in præceps rapitur, haud ignotum eſſe exiſtimo.

a *Hippocrates lib. de morb. ſacro* inquit, cap. 8. tit. 12. Ὁ ἀὴρ τὴν φρόνησιν καὶ τὴν κίνησιν τοῖσι μέλεσι παρέχει. Aer ſenſum & motum exhibet membris. Per aerem intelligit ſpiritum animalem, quia naturæ ſubtilis & aer eſt facta in cerebro majori alkoholiſatione.

b *Hippocrates paſſim v. 9. lib. de morbo ſacro* t. 24. c. 6. πνεῦμα vocat ſpiritum animalem, quo nomine etiam aerem donat, quod *Proſper Martianus comment. in hunc librum* latius confirmat.

c Ubi ædes hominum aeri ſereno, claro, puro & malignis omnibus exhalationibus carenti expoſitæ fuerunt: ibi vita hominum diu conſervatur. vid. *Quercetan, diætet. p.* 145. *Celſus*. Habitare in ædificio lucido perflatum æſtivum, hybernum ſolem habente; cavere ſolem meridianum, matutinum & veſpertinum frigus: auræ ſtagnorum ac fluminum, minimeque nubilo ſe committere cœlo, & dormire in loco non humido, ſed temperato & perflabili, optimum eſt.

d Solebant veteres maxime Senes in ſole etiam nudi ambulare, ex quo ſpirituale nutrimentum ſibi attraherent. vid. *Plato in Phædone*. Hinc *Plinius* lib. 3. ep. 10. de avunculo: poſt cibum æſtate ſiquid otii jacebat in ſole. Gravioris ætatis hæc recreatio erat nativo calore, jam ſenſim decreſcente. Hinc *Horatius* ſenile corpus, aut ſenili ſimile ſolibus aptum dixit. *ep.* 20. *v.* 24.

e Aer ſubtilis procreat ſpiritus corporis ſubtiles & temperatos, ad mentis regimen accommodatiſſimos. Tenue Athenis cœlum acutiores Atticos effeciſſe, craſſum autem Thebis pingues Thebanos & valentes memoriæ prodidit. *Cic. lib. de fato*.

f Thraces ob craſſum regionis quam incolunt aerem craſſum itidem habent cerebrum. Oblivioſi enim plane ſunt deſides & torpeſcentes. *Guido Bituric. ex Herodot.* Boeoti ob aeris impuritatem craſſis ingeniis præditi fuerunt: unde *Horatius*: *Boeotum craſſo juraris in aere natum.*

vapore *a* ſtipata ſunt . Ante omnia hyeme cavendum eſt , ne infenſum frigus in cerebrum *b* ac nervos penetret , quod ingenio mirum nocet . Actio & operatio judicii ingeniique optimo gaudet ſucceſſu , quando ſuſcipitur ſub cœli aeriſque temperie . Temperatus calor temperaturam addit ſanguini & humoribus , ſpiritus animales in æquilibrio motus ſervat , & ſingularem inducit partibus alacritatem , & ob id , ſi verum facere judicium volumus , vernale tempus literatis ac ſtudiis accommodatiſſimum , quoniam temperatum . Quando arbores foliis ſe induunt , brachiaque floribus ornant fragrantibus , ingenia etiam vires ac robur acquirunt & fructus proferunt exoptatiſſimos , & ſicuti tunc temporis omnia vigent ac florent : ita quoque ingenii vigor ſummus . Et cum maxima pars Eruditionis conſiſtat in meditatione , inque hanc non pauci impendantur ſpiritus : ideo vernum tempus ceu optimum ſubtiliori ſpeculationi , & altioribus ingenii actionibus commodiſſimum cenſemus . Æſtivum ad experimenta facienda , & ad illa , quæ didicimus applicanda ; hyemale autem ad ratiocinia in ordinem redigenda haud inconſulto commendamus . Quantum incommodi aer intemperatus , vel peregrino vapore refertus , ingenio afferat , dici vix poteſt . Multiplici compertum eſt experientia , certo anni vel etiam diei tempore mentis actiones longe alacriores eſſe , ſpeculationes longe floridiores concinnari quam alio , cujus cauſam haud injuria rejicimus præcipue , niſi alio notior ſubſit , in aeris diſpoſitionem . Quando ſol non amplius illuſtrat horizontem, nec amplius radiis ſuis implet illum atque flagellat , ſed craſſus , denſus , gravis & frigidus eſt , pigrum corpus & animum ad ſpeculandum idoneus redditur . Proinde nihil magis ingeniis nocet , quam tempore nocturno ſtudiis invigilare & contemplationes longas & difficiles inchoare , utpote ſpiritus in corpore tunc pauci retrahuntur etiam ad caput , ut ſic diſtracti , neque ſtomacho ſatis neque capiti faciant . Merito ergo , qui nocte contra naturam pro die , atque contra die rurſus pro nocte utuntur , vel inviti noctuas imitantur , ut quemadmodum ſub ſolis lumine caligant oculi : ita & in illis mentis acies ſub veritatis ſplendore caliget . Accedit , quod fatigatione diuturna ſpiritus iique ſubtiliſſimi reſolvantur , nocte autem pauci craſſique ſuperſint , cogitationibus ac rerum ideis diſponendis ineptiſſimi . Qua de cauſa matutinum tempus *c* quando aer calore temperatus eſt nec tam fortiter movetur vel agitatur , ſtudiis gratiſſimum pronunciamus ; aurora quippe Muſis amica . *d* Etenim aer ſubtilis extenuatus ad ſimilem naturam ſanguinem &

a Cavendum maxime tempore hyemali ne aer in hypocauſto fumis candelarum nimium inquinatus intro ſubeat pulmones , & ſpiritus atque humores inficiat . Peropportune tali in caſu præſtat tubo e laminis ferreis confecto per feneſtram noxium vaporem educere .

b Imago *Hippocratis* pileata ab antiquis celebratur , ut inde admonerentur homines eam partem maxime cuſtodiendam eſſe , in qua tanquam in domicilio princeps animus reſideret , totaque intelligendi vis collocata eſſet . Caput , ſtomachus ac pedes ante omnia defendendi a frigore ſunt .

c Oriente ſole movetur aer tenuaturque & claret ; occidente vero contra . Sanguis autem & ſpiritus motum qualitatemque aeris circumfuſi naturaque ſimilis ſequi neceſſario debet .

d In aurora movetur ſanguis motuque tenuatur maxime poſt mediam noctem hora ſecunda & tertia (quare veteres tunc temporis ſtudebant et

ſpiritus compellit . Adde quod ſol radiis ſuis hemiſphærium noſtrum incedens meatus corporis aperiat , atque a centro ad circumferentiam humores ſpirituſque moveat , quod ad vigiliam actioneſque multum excitat & conducit . Præterea matutino tempore poſt ſomnum ſpiritibus recreatis membriſque corroboratis multi tenueſque ſpiritus adſunt , qui cerebro ſerviant , atque expeditius obſequi poſſint in membris fovendis regendiſque parum admodum occupati . Quamobrem ſcite *Ariſtoteles in œconomicis* monet : ante lucem ſurgere *a* aſſeritque id ad corporis ſanitatem & ad philoſophiæ ſtudia , addimus & preces fundendas *b* prodeſſe quam plurimum . Ruriculæ præliis ſanitate firmiore gaudent , quippe qui in aurora ſurgentes claram & fragrantem auroram hauriunt. Conſentit & ipſe rerum ordo , dies enim vigiliæ , nox ſomno tributa eſt *c* .

CAP. III.

PRæterea quicunque ſpiritum animalem purum ſubtilem , ingenii functionibus aptum , ingenerare corpori cupit , ante omnia & benignum laudabilem & temperatum ſanguinem ſibi comparet neceſſe eſt . Ad hujus autem generationem maximum momentum affert diæta , & uſus rerum , quæ a Medicis appellantur non naturales , quæ ſanguinem vario modo afficiunt & alterant qui quo purior & temperatior , eo ſubtilior ſpiritus ingenii ſublimis fœtura exſurgit . Sapientiſſime hanc in rem ſcribit *Hippocrates lib. de Flatibus*, Ex iis quæ corpori inſunt , nihil magis ad prudentiam confert , quam ſanguis . Hic ergo cum conſiſtenti habitu perſiſtit , prudentia etiam conſtat , ſanguine vero permutato concidit ſimul prudentia . Nemo itaque ibit inficias , in temperamentum redacta exceſſiva ſanguinis qualitate , ſive per medicinam ſive diætam *d* menti ſic ſapientiam reddi . Pulchra ſunt quæ hanc in rem ſcribit Carteſius , diſſ. d. methodo ſ. 6. §. 2. dum inquit , Animus adeo a temperamento & organorum corporis diſpoſitione pendet ut ſi ratio aliqua poſſit inveniri quæ homines ſapientiores & ingenioſiores reddat quam hactenus fuerunt , credo in Medicina illam quæri debere . Ut autem ad rem propius accedamus : in medium conferre ea volumus , quæ natura ſua apta procreare laudabilem ſanguinem . Primum eruditi quoniam ſpirituum copia & ſubtilitate egent ad legitime exercendas functiones mentis , cibis paulo tenerioribus *e* potumque meliorem opus habent quam plebeji qui minus cerebro labo-

---

ſtudiis invigilabant) ſpiritus vero ſanguinem ſequi imitarique ſolet . Verum accedente nocte , melancholia craſſior & frigidior atque pituita dominatur , quæ ſpiritus ad ſpeculandum ineptiſſimos reddit . *vid. Marſii. Ficin. de Stud. valid. c.7. Eraſmus* Muſis auroram ſacram dixit .

a Sed hoc ita recipiendum eſt ut cita & modica cœna matutinam cruditatem diligentiſſime devitemus .

b Sacer ille vates *David* nunquam dicit veſpere ſed mane ſemper atque diluculo in Deum ſuum canendum ſe cithara pſalmiſque , ſurgere . Quidem mente ea hora omnino debemus , mox etiam corpore , ſi modo commode id fieri poſſit .

c Et ita ſentit *Hippocr.* 2. Prognoſt. c. 11. quando inquit : ſomnus naturalis non effugiat noctem & non impediat diem .

d Rectiſſime *lib de diæta ſect.* 32. *Hippocr.* concludit ; Et ſane hoc faciens , i. e. tali diæta & medicamentis utens ſanior et ſapientior anima fuit , & *ibid. ſect.* 33. §. 33. Poteſt ex dieta & melior & deterior anima fieri .

e Pro diverſitate alimentorum diverſus generatur ſanguis . Craſſus provenit ex cibis viſco-

laborant ; quandoquidem labores animi ac meditationes ſpiritus exhauriunt et ideo illi non contenti eſſe poſſunt victu atque potu plebejorum , qui labore ac motu talem corrigunt : litterati autem propter ſedentariam vitam *a* cui plurimum indulgent non ſatis ſubigere et digerere talia poſſunt. Quapropter doctis et tranquillitatem ſectantibus non facile durata , ſalita atque viſcoſa concedenda ſunt , ut quibus excoquendis tenerum molliculumque fermentum ſufficere non poſſit , niſi ubi conſuetudo *b* aliud imperet . Namque et in hiſce reperies , qui generoſum ventriculi menſtruum nacti duriora etiam et diſcepta admittant . Ex cibis autem , qui caliginem menti obfundunt ſtudiiſque nocent , craſſum proferendo ſanguinem et ſpiritus , *c* atro carbone notandi ſunt craſſæ , compactæque ſubſtantiæ , piſces complures , omnia leguminoſa uti piſa , fabæ *d* militum , ſimiliter olera , carnes vetuſtiores non probe coctæ . Perutile quoque eſt

---

viſcoſis tenacibus ſale fixo ſcatentibus . Subtilior , mobilior ex cibis tenerioribus, ſubtilioribus . Belgæ cum utantur cibis ſale conditis , aut fumo induratis , piſcibus ſalitis , leguminibus, lacticiniis , caſeo , craſſum fovent ſanguinem , a cujus craſſitie tardior motus , & illorum morbi chronici proveniunt . Ex adverſo Galli veſcuntur cibis tenujoribus , pullis , caponibus , avibus , columbis , juſculis delicatis carnibus vervicinis quæ in Languedocia & Delphinatu optimi ſunt ſaporis , quoniam oves dictis in regionibus herbis aromaticis , lavendula , roſmarino , thymo , majorana ſponte provenientibus veſcuntur . Quapropter ſanguinem mobiliorem habent , & morbos patiuntur ex ejus reſolutione tenuitate concitatioreque motu potiſſimum naſcentes . Quinimo Galli corporis & membrorum agilitate mentiſque calliditate frigidiorum regionum incolas magnis paraſangis exſuperant . Pulcre docet *Philoſophus lib.* 1. *polit.* 3. Victus alimentique diverſitatem diverſas ac diſpares hominum vitas efficere . Curioſum eſt lectu in hiſtoriis , ſarcophagos longe magis delectari carne Gallorum , Italorum, quam Danorum , Belgarum ceu craſſiore & crudiore .

a Motus calorem partibus intimis quaſi ſopitum et torpeſcentem excitat , diffundit foras , in ventriculum evocat , unde concoctionem , alimenti diſtributionem , excrementorum omnium ſupervacaneorum expulſionem juvat . Victus craſſus tutus eſt illis perſonis , quæ imbecilles ſunt , quiete ac otio nec laboribus aſſuetæ . Sapienter *Hippocr. in lib. de Med. priſc. Sect.* 1. *p.* 3. ſcribit : Valentiora alimenta hoc habent , quod a natura ſuperentur nutriant egregie , ſi non dolores et morbos frigidos producunt . Et *Celſus pag.* 106. valentiora minus facile concoqui , ſed ſi concocta ſint , plus alere . Labore itaque et motu hic opus eſt.

b Semper aliquid concedendum conſuetudini in ſanitatis conſervatione , ut monet *Hippocr.* ſect. 1. aphor 17.

c Craſſos ſpiritus et humores ſimiliſque naturæ excrementa proferunt cibi atque potus craſſæ compactæque ſubſtantiæ , ut panis acymus , bubula caro , majorumque animantium et piſcium eſus , vinum craſſum ac rubrum ; tenues vero gignunt alimenta et medicamenta extenuantia , potuſque tenuis et liberalior . *Fernel. lib.* 1. *c.* 20.

d Pythagorei a fabis abſtinebant . Teſtatur hoc *Tullius lib.* 11. *de divinatione* hunc in modum ſcribens : Jubet igitur Plato ſic ad ſomnum proficiſci corporibus affectis , ut nihil ſit , quod errorem animis perturbationem afferat . Ex quo etiam Pithagoræis interdictum putatur ne faba veſcerentur , quæ res habet inflationem magnam , tranquillitati mentis quærentis vera contrariam Idem teſtatur *Plutarchus in Problematibus* , cauſamque addit : quod omnia legumina ventum et humorem impurum afferant corporibus , atque hanc ob cauſam ad venerem incitent.

eſt glutinoſa, pultes ex farina tritici confectos *a* dulcia *b* & quæ facile putreſcere ſolent, item nimium uſum caſei, acidorum allii, ceparum devitare. Laudamus magis victum tenuem, vel medium, cibos ſimplices *c* faciliſque digeſtionis *d* boni ſucci & conditos cinnomomo nuce moſchata, *e* cardamomo, croco, majorana, item juſcula ex bonis carnibus parata, tempore æſtivo lac, ova illorum vitellos cremorem lactis, modicam carnem animalium Juniorum, & quæ ſunt ejuſdem generis alia. Ex potulentis nocent cereviſiæ craſſæ nimium lupulatæ, quæ ingeniis nocent, dum vaporibus replent caput. Magis probantur pro ſtudioſorum ſanitate tuenda temperatæ bene coctæ, ex levi & ſubtiliori aqua *f* confectæ, & quæ tam palato, quam ventriculo gratæ acceptæque ſunt, & urinam promovendi virtute pollent eximia.

CAP. IV.

NOn inutilis quæſtio oritur, an potus aquæ apprime litteratis conveniens ſit? Cui reſpondemus; proſtrare exempla, ubi viri eruditi ab ordinario aquæ potu nullum ſanitatis aut ingenii damnum deportarunt, quinimo ad longiſſimam vitam *g* pervenerunt. Nihilo ſecius non promiſcue omnibus individuis

---

a *Galenus lib. de Alimentorum facultat.* hiſtoriam notabilem refert de noxa pultis ex farina tritici ubi ſemper gravitatem & dolorem ventris induxit.

b Saccharata & dulcia uti omnibus nocentiſſima ſunt, ſic & Litteratis. Sanguinem reddunt viſcoſum & craſſum, & acidum primarum viarum magis exacuunt, & tonum ventriculi & inteſtinorum deſtruunt, ad flatulentias præſertim hypochondriacas diſponunt. Adde quod intemperies ſanguinis a dulcibus introducta, difficulter a remediis corrigatur.

Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachoque tumultum
Lenta feret pituita --- ---

Horat. Satyr. 2. l. 2.

c Cibus ſimplex homini eſt utiliſſimus. *Seneca l. 1. ep. 90.* Multos morbus multa fercula fecerunt, & ſimplex ex ſimplici cauſa valetudo. Innumerabiles eſſe morbos miraris? coquos numera inquit *idem loco citato Ariſtoteles probl.* Cibus varius morboſus, turbulentus enim eſt, neque etiam omnibus una concoctio. Et Confer. *Horat. Satyr. 2. l. 2.*

d *Plinius* de avunculo ſuo ſcribit, ipſum ſumſiſſe cibum interdum levem & facilem more veterum. Cœna ante omnia parca ſit. Platonica cœna laudatur quia non ſolum in præſenti ſed & poſtero die jucunda fuit. *Tull. Tuſc. 5. it. Athæn. l. 10.*

e Hæc blando ſubtili oleo pollent, ſpiritibus valde amico. Commode quoque Eruditi ad actiones mentis facilitandas, digeſtionem juvandam & ad ſpiritus recreandos inter cibos uti poſſunt ſale volatili oleoſo cinnamomiſato, vel cum oleo cardamomi eſſentificato & maritato cum eſſentia ambræ: hoc balſamica vi a plurimis morbis præſervat.

f Aquæ bonæ characteres ſunt, ſi omni ſapore ac odore caret, pellucida, levis eſt, poſt evaporationem parum craſſamenti relinquit, ſitim ſedat, promte incaleſcit, hyeme calida eſt, æſtate gelida, & qua legumina facile & cito percoquuntur. Corrigitur aqua ſi bis vel ter per arenam coletur aut coquatur, vel paucæ guttulæ ſpiritus aromatici inſtillentur, aut vino miſceatur.

g Primævi homines ante diluvium præter aquam nihil aliud biberunt, & ad extremam ſenectutem ſani robuſtique degerunt. Petebant illam ex fluviis & eo nomine fontes quærere ſolebant uti conſtat ex *Gen. c. 26.* Priſcis aquæ potum, ac primævis uſitatum indicat *Tibullus l. 2. eleg. 3.* ita canens.

Glaga

duis quadrant maxime in regionibus noſtris quæ propter frigiditatem aquas bonas ac tenues non admittunt . Quarum ſignum eſt ſi cito deſcendunt ex hypochondriis , pinguedinem in animalibus albam hepata rubra efficiunt & renes abſque lapillis præſervant . Cholerici qui ingenio ac ſpiritibus exſuperant & humores acres ac bilioſos in venis alunt, aquam bene ferre poſſunt . Læduntur autem ab ipſa pituitoſi , & qui viſcoſum habent minus perſpirabilem tardioriſque motus ſanguinem . Cæterum potus aquæ calidus, qui etiam Priſcis in deliciis fuit *a* a multis graviſſimis morbis præſervat, maxime ſi correctus fuit virtute herbarum balſamica *b* vel etiam vini mixtura , *c* convenientiſſimus eſt uti omnibus individuis , ſic quoque Eruditis dum ſanitatem conſervat : *d* Quandoquidem ipſe tenuitatem ſanguini & humoribus fœnerat , illorumque perſpirationem , circulationem , nec non depurationem egregie promovet, ut ſic ſpiritus , & ſubtiliores & copioſiores procreentur , ad vigilias & mentis functiones conducentes , quo nomine inter eruditos celebratiſſimus eſt potus thee . Quod vini uſum attinet, circumcidendus ille eſt , maxime juvenibus : Equidem paulo largiori copia mentem & vitam vegetiorem & alacriorem *e*

ſed

Glans alat & priſco more bibantur aquæ .

Claudius Deodatus in Panth. Hygiaſtic. l. 2. c. 12. potum aquæ ſalubrem pronunciat , eaque Patriarchas uſque ad Noæ tempora poſt diluvium, uſos fuiſſe oſtendit . Brachmanni longævi erant, quia abſtinebant ab eſu carnium & vino, dum nullum ferme animal , quod carne veſcitur , longævum eſt , ſed ipſi utebantur cibo ſimplici , vegetabili & aqua . Nec nocet aquæ potio ingeniis . *Demoſthenem* abſtemium fuiſſe prodiderunt . Cujus exemplo & argumento eas acrioribus ingeniis homines pronunciant qui aqua , vino autem non utuntur *vid. Cælius Rhodig. l. 28. c. 36.*

a Et Græci & Romani uſi fuerunt potu calido . vid. *Athenæus Deipnoſoph. l. 3. c. 34.* Innuere hoc quoque videtur *Horat. l. 3. od. 19.* quærens .

-- -- quis aquam temperet ignibus .

Et cum ipſo *Juvenalis* : *Quando vocatus adeſt calidæ gelidæque miniſter ?*

b *Olaus Borrichius de uſu plantar. indigenar.* harum infuſa calide bibita mirifice laudat, ut ſpiritibus earundem longe præferat dum illa vim faciunt corpori noſtro , hæc autem moderate agunt .

e Veteres Romani & Græci calidam aquam cum vino miſcebant , quorum exempla imitati fuerunt *Anton. Perſius & Galli* , quorum meminit *Bruyerinus*

f loco citato .

Dum humores pravos ſalſos diluit , & e corporis ſphæra per ſudoris & urinæ vias educit, graves & difficiles morbos continuato & frequenti uſu perſanat . In podagra uſum aquæ ſimplicis loco vini magnificum ac pene divinum præſidium vocat *Bruyerinus de re cibaria l. 16. c. 13.* Confirmat hoc *l. 12. c. 2* medici veneti exemplo, qui ad ſenium uſque correptus podagra vinum dum biberat, liber dein & dolorum expers ad ultimum ſenium fuit, aquam dum biberet. Confer exempla eorum , qui ad extremam pauperiem redacti & in carceres conjecti , aquam pro vino bibere cogebantur apud . *Schenk. lib. 1. obſ.* Præſertim contra catarrhos præſidium eſt utiliſſimum vid. *Barthol. Paſquet. lib. 2. deſtill. cap. 4.*

g Vinum optimum medicamentum mentis dixit *Oribaſius* , *& Plato in Phædone* . Vinum animum cum corpore calefacit . Hanc ob cauſam ingenioſi & poetæ omni tempore vini uſum maximi fecere , unde etiam caballus Poetarum appellatur . Qua de re eleganter *Taubmannus in Melodæſia* . Hujus ſententiæ favorem addit *Horat. ep.*

Nullæ

ſed tamen hanc breviorem efficit. Concedendum id ipſum ſi bonæ notæ ſit, provectioris ætatis hominibus & qui laborant ventriculo debili; *a* qui flatus, ructus, dolores ventris tenſivos, & ſomnum inquietum accerſit. Vinum autem ſtomachum languentem confortat, vitia ejus corrigit, placidum conciliat ſomnum, & ſpiritus progenerat ad actiones ſubeundas ſatis ſubtiles. Ubi tamen generatim tenendum eſt, non deteriorem ingeniorum eſſe peſtem *b* ipſa ebrietate ſive ex vino ſive ex cereviſia. Potus omnes inebriantes, intemperantius, maxime circa tempus nocturnum *c* hauſti vaporibus peſſimis implent cerebrum & ſuſcitato calore ſanguinis texturam laxant, arteriolarum poros aperiunt, ut impuræ & craſſiores ſanguinis partes promtius cerebri ſubeant tubulos anguſtiſſimos, unde gravitas & dolor capitis, torpor, laſſitudo corporis oboritur, ingenii vigor minuitur, catarrhis via panditur, & filum vitæ præſcinditur, quod triſtiſſimo ſpectaculo *d* experiuntur præcipue juvenes, qui antequam corpus ſatis firmum ac ſtabile nacti ſint mero ſe obruunt. Spectat huc quoque abuſus nicotianæ, cujus fumum interponunt compotationibus ſæpius per noctem, quod peſſimum, utpote narcotica ſua vi ſpiritus figit, concoctionem turbat & mentis actionem pervertit, cum alias uſus moderatus & circumſpectus pituitoſis & in aere craſſo degentibus bonum medicamentum ſit. At vero nec hic diſſimulare poſſumus, rurſum peccari frequentius a litteratis in defectu potus *e* dum non ſufficiens aſſumunt liquidum. Eget enim copioſo humido, ſanguis, quo fluidus conſervatur, circulatur & ad ſequeſtrationem heterogenearum partium unionem aptus redditur, dum ex adverſo defectus humidi excretiones ſordium retardet alvum exſiccet, ſerum ſanguinis reddat ſalſius, ſpiſſiuſque, unde hypochondriorum & alvi obſtructiones, morbi ſalini, ſcabies, ſcorbutus, calculus propullulant. Quivis itaq; & hic explorare debet ingenium corporis ſui & humorum, ut juſtam menſuram potus *f* invenire atque obſervare poſſit. Non facile enim pro quovis individuo certa menſura liquidi exacte determinari poteſt.

CAP. V.

ALterum quod ſtomacho, ſanguini, ſpiritus & ex conſequenti ingenio mirum nocet, eſt nimia vo-

---

Nulla placere diu nec vivere carmina poſſunt
Quæ ſcribuntur aquæ potoribus.

Ingenioſiores populi ſunt, qui vino utuntur, præ illis, qui cereviſiam bibunt.

a Etiam ipſo *Paulo* teſte vinum ſtomachum languentem confortat.

b Habet vinum æquale cum igne robur, qui hominem ſubierit, conturbat eum ceu Lybicum mare aquilo vel auſter; unde quoque prodit ea quæ latent in receſſu mentis, & virorum animum in univerſam concutit. vid. *Strabo l. 13. Hor. Serm. l. 2. Satyr. 2. corpus onuſtum heſternis vitiis animum quoque prægravat una atque affigit humo divinæ particulæ auræ. Poculà vel mentem rapiunt prudentibus omnem.*

c *Ovid. in metamorph. lib. 15. Nocte nocent potus, ſine noxa luce bibuntur.*

d Apparent rari nantes in gurgite vaſto. *Tull. in Catone*: Libinoſa intemperanſque adoleſcentia effœtum corpus tradit ſenectuti.

e Quantitas potus ſufficiens concedenda eſt neceſſario omnibus, alioquin cibus copioſus, præprimis in cœna deſtitutus ſufficienti potu, pertinacem cauſatur obſtructionem, hypochondria infarcit, ſalſos procreat humores, unde ſcabies, ſtranguria, qui affectus opificibus & juvenibus vitæ ſedentariæ valde ſunt familiares. *Gal. ad 4. aph. 83.* Potus multus dandus eſt his, qui habent alvum ſiccam, contra, qui humidam-

f De *Bartholo* ICtorum principe dicitur, quod ad menſuram certam & pondus bibeberit, ut ingenium omni tempore æqualiter diſpoſitum, nec unquam alteratum haberet, quod mirifice commendatum ſibi habeant Juvenes litterati. Quamvis & in hoc medice vivere, non raro peſſime ſit.

voracitas *a* vel ciborum ſatietas præſertim in cœna. *b* Quandoquidem cibus nimius ſpiritus & omnem quaſi naturæ vim e mentis & animæ functionibus revocat, occupatque in concoctione, quo fit ut capiti ſimul ſpeculationique intendere nequeant. Deinde cibus exſuperans gravis ventriculo eſt, vires premit, in rudem faceſſit chylum crudum & craſſum ſanguinem procreat; hinc intemperies, hinc obſtructio, hinc plethora, quæ vitia graviſſimorum morborum cauſæ antecedentes continenteſque fiunt: & quamvis etiam ſatis cibus coquatur, aciem tamen mentis obtundit, & ut Galenus ait, animus ſanguine & adipe ſuffocatus cœleſte aliquid *c* per videre non poteſt. Unde etiam peſſimum eſt, proximis horis poſt cibum meditationi difficiliori ſedulo indulgere. Meliores progreſſus in ſtudiis experiuntur, qui temperanter & ſobrie vivunt *d* modice paſti ſunt, & quando ſatis temporis a paſtu effluxit, demum in ſtudia incumbunt; Poſtea non poſſumus non & hic quoque improbare illorum modum, qui longius jejunando abſtinent, vel ab omni cœna, vel etiam cibis vix ſatiati corpus defraudant viribus. Utut itaq; temperantia ad vitam ſanam & longam conferat, & ad profectus in ſtudiis apprime utilis ſit, non temere tamen cibo & potui aliquid demendum eſt, ſed ipſo ſatiandũ corpus, quamvis non onerandum *e* ut ſpiritus ad ſtudia neceſſarii reficiantur, & apte illud reſarciatur ac reſtauretur quod tum caloris vi, tum aeris circumfuſi neceſſitate diſſipatum e corpore fuit. Quod attinet ſomnum & vigilias litteratorum, moderatior hic maxime commendandus eſt. Immoderatior *f* calorem ob-

---

a *Hippocrat.* ubi cibus præter naturam copioſus ingeſtus eſt, hic morbum facit, proinde uti a multo oleo lucernæ flamma, ſic a cibo copioſo ſuffocatur calor nativus. Non minus acute quam facete, quidam intemperantiam medicorum nutricem appellant. Pernicioſa ſentina eſt abdomen inſaturabile, omnium tum corporis tum animi vitiorum fons atque origo.

b Nam, *Ex magna cœna ſtomacho ſit maxima pœna*
Ut ſis nocte levis, ſit tibi cœna brevis Schola Salernitana. In cœna liquidiora & facile reſolubilia commodius aſſumuntur, quoniam nutritio noctu melior, reſolutio autem ciborum difficilior eſt.

c *Hieronymus*: Plenus venter non gignit ſpiritum tenuem. Quid quod nec mente quidem recte uti poſſumus multo cibo & potione repleti. *Tullius Tuſcul. l.* 5. Eodem pertinet quod ſcripſit *Theophraſtus lib.* 5. *Phil.* Multum edere & carnibus veſci, rationis & conſilii uſum adimit, animoſque efficit tardiores & eos immani quadam dementia ac ſtultitia complet.

d Una temperantia totius eſt jucundæ ſalubriſque vitæ moderatrix. Et nulla calamitate vel ærumna premetur, qui vitæ fundamentum jecerit temperantiam. Tempore iſto cum temperata omnia erant, Macrobios i. e. longævos ætas tulit. *Plinius*: quando voluptas vivere cœpit, vita ipſa deſiit. Gigantes & pugiles fortiſſimi viri ſobrii erant. vid. *Olaus Magnus in Tr. de gentibus Septentrional. lib.* 5. *c.* 3.

e Quantum decedit cibo & potui, tantùm decedit ſpiritus & viribus, quantum ſpiritibus, tantum ſtudiis. vid. *VVedelius* de diæta litterat. Tantum cibi & potionis adhibendum ut reficiantur vires non opprimantur: *Cato Major de Senectute*.

f *Plato* dicebat ſomnum immodicum & corpori & animo obeſſe *lib.* 30. *cap.* 9. Ipſe prima nocte ſurgebat & non plus dormire ſolebat, quam quod ſatis eſſet ad vitandam ex nimia vigilia malam habitudinem. *Homer. Iliad.* 20. *Turpe duci totam ſomno conſumere noctem.*

obtundit, pituitam & omnis generis ſupervacanea adauget, ſpiritus obfundit & obſcurat, omneſque ſenſuum & mentis vires torpore & ignavia quadam debilitat. Somnus ille ſemper optimus eſt, qui durat ad concoctionem abſolutam. *a* Imbecillitate corporis & ventriculi laborantes longiorem deſiderant. Quo major enim quantitas alimenti & quo major cruditas hoc longior debet eſſe ſomnus. At vero multum & hic ſolent litterati peccare, qui vigilatas noctes exordine ducunt, & neceſſariam ad vires reparandas ſibi demunt quietem. Somnus eſt requies animi *b* & pars humanæ melior vitæ, & quantum demitur ſomno, tantum viribus & ſpiritibus, & iſtæ non pauci requiruntur ad ſtudia, ſecus ac vulgus putat: ſufficienter itaque dormire debet, qui feliciter in ſtudiis vult progredi, ut concoctio abſolvatur, & ſpiritus de die diſſipati, ad meditandum autem neceſſarii, reſtituantur. Nimiæ autem vigiliæ *c* ſpiritus exhauriunt, corpus debilitant & cruditates ingenerant maximas. Denique diſpiciendum eſt, quænam poſitura corporis in ſtudendo litteratis maxime conveniat, & quæ circa motum & quietem notanda veniant. Nonnulli mirum amant ſeſſionem. Fatemur illam non plane rejiciendam eſſe, ſed magis ipſa offendi illos, qui minus huic aſſueti ſunt et quibus vita otioſa et ſedentaria eſt. Alias quando quis ſedendo ſolus et ſibi relictus a motu immunitatem nactus eſt, uberior et excitatior animis vis exſurgit. Quippe ſpiritus, qui alias ad muſculos convertuntur, ſic retracti in animę miniſterium ſe impendunt, et egregiarum rerum ideis in cerebro diſponendis unice ſerviunt. Alii mala illa quæ ex ſeſſione *d* fluunt, corrigere omni modo contendunt ſtatione quam corpori non ita nocere exiſtimant. Verum enim vero etiam admodum falluntur. Statio enim non modo ipſa ſeſſione pejor, ſed et perniciosior corpori eſſe ſolet; utpote in ejus figura perpendiculari ſanguinis et humorum deſcenſus promovetur quidem, aſcenſus autem retardatur, niſi membrorum actione et ambulatione ſanguini in pedibus lentius progredienti ſuccurratur. Porro ſtatio muſculorum æquilibris tenſio eſt, cui tota corporis moles ad perpendiculum in-

---

a *Celſus lib. 1. cap. 2.* Qui bene concoxit mane tuto ſurget: qui parum quieſcere debet, & ſi mane ſurgendi neceſſitas fuerit, redormire: Qui non concoxit, ex tuto quieſcere, ac neque labori ſe, neque exercitationi, neque negotio credere. Qui vires imbecillos habent, nihil ſomno detrahere debent.

b Somnus ab antiquis Poetis appellatur pax & tranquillitas omnium rerum, nec non quies ſpirituum: Sic canit *Ovidius*:

Somne quies rerum placidiſſime ſomne Deorum.
Pax animi quem cura fugit & pectora duris
Feſſa miniſteriis mulces reparaſque labori.

Et *Seneca in Traggdia*:

Tuque o domitor ſomne malorum
Requies animi pars humanæ melior vitæ.

c Immoderatæ ſi fuerint, temperamentum hominis mutatur: facies palleſcere incipit, corpus macie contabeſcit, oculi in capite concavi cum auſtero & triſti vultu fiunt, concoctio vitiatur, vires depauperantur, ſanguis ſiccatur, exardeſcit. Optimum remedium ad vigilias diuturnas eſt balneum ex herbis paregoricis paratum tempore veſpertino.

d Quies diuturnior & exercitationis intermiſſio; qualem habet deſidioſa vita, inertem calorem, ſpiritus ignavos ad omnes ſenſus & mentis naturæque functiones ſegniores facit. vid. *Fernel. lib. 1. de morborum cauſat cap. 16. Plato in Theæteto*. Corporum habitus otio & torpore corrumpitur, exercitiis autem & motu plurimum conſervatur. Seſsio nimia diſponit maxime ad affectum hypochondriacum. Optimum remedium eſt ambulatio, unde illud apud *Plautum*: Ambula, hoc lienoſis prodeſt.

incumbit, quantum autem hoc laſſet dici vix poteſt. Poſtremo ſpiritus etiam impenduntur, ſic dupliciter et menti vacant et muſculis in tono ſervandis. Prudentius itaque in totum eſt, aliquantum ſe movere, ambulare *a* quando indulgemus meditationibus, quo in muſculorum actione ſervetur æquilibrium. Deinde quoque ex motu, plurima bona in corpus profluunt. Muſculi enim dum ſic æqualiter moventur, fluidi circuitus ex æquo reſpondet, a quo cum viſcera et corporis membra firmitatem, robur atque calorem accipiant, utique etiam partium actiones, in illa ſanguinis per motum diviſione mirifice confirmari, credibile eſt. Præterea motus digeſtionem & concoctionem egregie procurat, & ſiquid a coctione ſupereſt lenti humoris, commode & feliciter diſſipat atque attenuat. Motus enim ad vitam & ſanitatem maxime utilis eſt. Quo plus alimenti & craſſius aſſumitur; eo validior & diuturnior debet eſſe motus *b* & vice verſa.

CAP. VI.

ULtimo loco litterarum ſtudio flagranti primum omnium commendanda eſt vera animi tranquillitas, quæ ge-

---

a Mirum eſt inquit *Plinius lib. 1. ep. 7.* quod animus agitatione motuque corporis excitetur. Idem *Plinius* non minus animum quam corpus exercebat; animum eruditione, corpus venatione; mille paſſus mane ambulabat: movebatur quoque pila vehementer, nam hoc exercitationis genere pugnabat cum ſenectute, unde illi poſt ſeptimum & ſeptuageſimum annum aurium oculorumque vigor integer, inde agile & vividum corpus. *vid. Plin. lib. 3. epiſt. 1. Seneca lib. 1. epiſt. 90. p. 786.* corpora opere ac vero labore durabant; *Socrates* ſanitatis cauſa artem ſaltatoriam magnifaciebat, & ipſam quoque addidicit *vid. Athenæus lib. 1. cap. 16.* unde exercitia moderatiora, ſaltatio, equitatio maxime ante cibum juvenibus concedenda ſunt. *Socrates* dum ſolebat quotidie fere uſque ad veſperam contentius ambulare, a quodam interrogatus cur hoc faceret? reſpondit, quo melius cœnem. Quibus verbis oſtendit Vir ſapientiſſimus, ambulationis uſum, tum ad ciborum appetitum, tum ad cruditates abſumendas non parum conferre. *vid. Cic. lib. 4. Tuſc. quæſt.* Notum eſt illud *Hippocratis*: Ὁ πόνος σίτῳ ἡγείσθω Labor cibum antecedat. Et *Cyrus* apud *Xenophontem l. 2.* coram adhibebat ne unquam ſui ad prandium aut cœnam ἀϊδρῶτοι ſine ſudore accederent. Mollibus autem viris & qui contemplationi ſe dederunt conſulo, ut repentinam exercitationem & quæ laborioſa eſt ac fatigat, omittant: commoda deambulatio in aere ſereno maxime ante cibum & tempore matutino amiciſſima ſtudioſis eſt.

b Gigantes & fortiſſimi viri, athletæ fumido ac rancido uſi cibo fuerunt, ne virtutis nervos externarum deliciarum contagione remitterent. Unde fortium crudus cibus eſt virorum. vid. *Olaus Magnus hiſt. ſeptentrional. gentium lib. 5. c. 3.* Victus craſſus & multum nutriens minus tutus eſt illis perſonis, quæ imbecilles ſunt, quiete ac otio fruuntur nec laboribus adſuetæ; Motus enim eſt, qui intimiore attritione & vi ſua elaſtica craſſas alimenti particulas reſolvit, ſubigit, digerit & in ſubſtantiam corporis noſtri convertit. Quies autem nutritionem ſufflaminat, obſtructiones morborum genetrices atque ingenium tardum & fluxile parit. Olim athletæ, qui robuſtiſſima membra & nimio ſanguine atque adipibus quaſi luto involutas animas habebant, panem goſſiorem, quem dicebant coliphium ἀπὸ τῦ κωλῦ membrum & ἴφι robur, quaſi robur membrorum, dumtaxat edebant in prandio, in cœna vero carnem ſuillam non elixam ſed igne paululum aſſatam, & aquam calidam bibebant, ut alimentorum duritie ac craſſitie non modo uberius nutrirentur ſed etiam diutius ſaturi permanerent. vid. *Petr. Faber. Agoniſtices lib. 3. cap. 3. p. 231.*

genuinum animi pabulum eſt, quo nutritur & ſuſtentatur. Hoc ſi animus perfuſus eſt, non tantum corporis functiones, ſed & ingenii vires vegetiores exurgunt. Fieri non poteſt inquit Plato, ut animus bene affectus non corpus quoque vi ſua optimum reddat. Et deinde quamdiu mens noſtra in ſe quieta eſt, nec affectuum cupiditatumque fluctibus jactatur: non tantum veritatem (quæ ipſi propria eſt & ad quam quærendam non aliter creata mens eſt, quam oculus ad lumen ſolis perſpiciendum) clarius aſſequi & ſecundum divinam animæ partem mores & actiones ſuas inſtituere poterit vel etiam corpori & vitæ, ſanitatique melius præeſſe. Conſiſtit enim tam animæ quam corporis ſanitas in placido æquabili & temperato ſpirituum animalium & humorum motu. Nihil autem magis illud æquilibrium tollere ſolet, & ſpiritus in motu ſuo turbare, quam animi pathema: unde etiam ejus perturbatio vocatur. Omnis itaque qui vitam ſanam & longam ex optat, qui in ſtudiis multum proficere vult ille ſanam tranquillam & ab omnibus affectibus liberam ac vacuam mentem habeat, neceſſe eſt. Maximum autem ad animi tranquillitatem & vitam longam momentum ponit ſanior philoſophia *a* & praxis Chriſtianiſmi. *b* Hiſce enim cupiditates animi, ingenio, vitæ ac ſanitati nocentiſſimas, feliciter reprimere poſſumus. Neque profecto præter triſtitiam, animi mœrorem curam quæ ſpiritus turbant & conſumunt, venus ullo modo ſalubris eſt, utpote quæ ingenii memoriæque peſtis *c* exiſtit, maxime ſi vires exceſſerit & ipſam corporis languor vel dolor ſubſequatur. Subito namque exhaurit ſubtiliores ſpiritus, caput debilitat, mentem ac ſenſus infirmat atque convellit, *d* & ſtomachum labefactat atque enervat. Tandem unicum remanet litterarum ſtudioſis tenendum, ut in labore & ſtudiis commendatam ſibi habeant moderationem ac temperiem. Peccari contra hoc ſolet indies, dum litterati per dies ac noctes libris ac muſæis affixi ſtudia vehementiſſime urgent, quaſi vi poſſit naſci eruditus, cum tamen revera poſtponant magis profectus. Continua enim & non interrupta meditatio *e* neceſſarias corpori ſubfuratur vires, motumque, ſpiritus conſumit & evocato e ventriculo ad laborantis cerebri ſubſidium igne cruditates accumulat, quæ obſtructiones in hypochondriis, quæ omnium malorum fons

---

a *Lucianus lib. macrob. p. m.* 827. Longævos annumerat Philoſophos, & omnes qui ingenio & eruditione præſtantes fuerunt, aliqua ſui cura habita ad extremam ſenectutem pervenerunt, & eodem loco recitat multa exempla Philoſophorum longævorum. Speculatio novæ rei & magnæ aut pulchræ ſuaviter ſpiritus oblectat: Unde videmus *Democritum*, *Parmenidem* & alios naturæ admiratores ad longam perveniſſe vitam, inquit *Voſſius in lib. de Idololatria* Gentilium p. 910.

b Quicunque per veras ſpirituales virtutes ac preces Spiritum S. jungit animæ ſuæ, incredibile gaudium, tranquillitatem, pacem, amorem poſſidet, qui affectus ſunt ad vitam ſanam ac longam multum facientes, ut ſic revera Chriſtianiſmus ad vitam ſanam & longam cæteris paribus potiſſimum contribuat.

c Muſas atque Minervas virgines eſſe voluerunt Veteres. Huc *Platonicum* illud ſpectat: Cum Venus Muſis minitaretur, niſi ſacra venerea colerent ſe contra illas ſuum filium armaturam: Reſponderunt Muſæ: Marti o Venus talia minitare. Tuus enim inter nos Cupido non volat. Tacit. d. mors Germ. Rara juvenum venus eoque inexhauſta pubertas.

d *Hippocrates* coitum comitiali morbo ſimilem judicavit, quia menteſn quæ ſacra eſt percellit.

e Anxia & moroſa ſtudia obſunt valetudini, quia ſpiritus conſumunt vid. *Voſſius Idololatria Gentilium p.* 910. Vide elegantem tractationem de ſtudiorum intemperie *H. Wedelii*.

fons ſunt, producit. Sic revera corpus torpidum redditur, ingenium hebetatur. Quo magis enim illa vi urgentur: eo minores ſubſequuntur profectus. Tempore namque egent litteræ, quo fructus deſideratos ferant. Succeſſiva temporis mora & moderato humido & calido, non vi provocantur flores, cæteroquin nullos ferent fructus. Eadem res eſt ſtudiorum, quorum intempeſtiva tractatio non promovet profectus, ſed poſtponit potius. Sapientius illi faciunt, qui moderate in ſtudia incumbunt, & ſecundum virium proportionem dirigunt meditationes, ac honeſto otio animique remiſſione quandoque fruuntur. Moderata enim durant, & agri quiete egent quo meliores fructus ferant. Qui medio gradu ſic incedunt, longe ſubtiliores *a* poſtmodum conficiunt ſpeculationes & ſublimiora ingenii opera concinnant, & talia invenire ſolent *b* otioſi, quæ illis, qui continuo ſtudio ſe macerant nunquam in mentem inciderunt. Ultimo loco quoniam litterarum cupidis atque eruditis non nunquam accidit, ut pituita copioſior ex nimiis meditationibus, vita ſedentaria, prava ciborum digeſtione non tantum corpus ſed & caput occupet & gravet, atque hebetes & oblivioſos efficiat, unde ſæpius ſine remediis exonerari non poteſt: *c* commendamus itaque tali in caſu inediam; ex remediis ſunt pillulæ cephalicæ ſalia volatilia oleoſa, ambrata, ſuccinata & ejuſdem generis, quæ cerebro mirum conferunt, item medicamenta quæ blande & citra tumultum humores craſſos & viſcidos per alvum evacuant, & ſimul facultate, nervos ac caput roborante, pollent. Extrinſecus vaporoſa ſuaveolentia præſertim in tenerioribus & in copia maxime evitanda ſunt, dum facile dolorem in capite cauſantur, & vertiginem producunt. Tandem memento, optimam ſemper eſſe temperiem aeris, alimentorum, motus, ſomni, vigiliarum, ſtudiorum ac laborum, animique: & omnia temperata cuſtodienda eſſe, quæ ferme omne punctum ad vitam longam & ſanam perveniendam abſolvunt. *d* Hiſce diſcuſſis concludo cum Marſilio Fi-

Hoff. Opuſc. varii argum.

N

---

a Vegeta & ſtrenua ingenia quo plus receſſus ſumunt, hoc meliores impetus edunt. *Valerius Maximus* lib. 3. c. 6. Danda eſt remiſſio animis: meliores acrioreſque requieti ſurgent. Ut fertilitas agris non eſt imperanda, cito enim exhauriet illos nunquam intermiſſa fœcunditas; ita animorum impetus aſſiduus labor frangit. *Senec. de Tranquillitat. animi*. Indulgendum eſt animo, dandumque ſubinde otium, quod alimenti ac virium loco ſit: & in ambulationibus apertis vagandum, ut cœlo libero & multo ſpiritu augeat attollatque ſe animus; Aliquando vectatio iterque & mutata regio, vigorem dabunt, convictuſque & liberalior potio. Adde & illud Xenophontis: fortium virorum voces & geſtus etiam in vino & luſu dignum ſtudio & memoratu quiddam proferre. Corpori vaco, cujus fulcris animus ſuſtinetur, inquit *Plin.* lib. 2. ep. 9.

b ipſum illud ſilentium quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta ſunt. Experieris non Dianam magis montibus quam minervam inerrare. *vid. Plin.* lib. 1. ep. 6 Ingenium ſeceſſus maxime appetit ubi magna reeluduntur. *Idem* l. 6. 31. Frequenter comœdiis cœna diſtinguitur, ut voluptates quoque ſtudiis condiantur. *Plin.* l. 3. ep. 1.

c Exercitatio cum inedia a multis præſervat morbis, dum craſſum ſanguinem movet & attenuat atque ejus copiam imminuit. *Hippocrates*: non repleri cibis & impigrum eſſe ad laborem, ſanum efficit corpus.

d Parvitate victus, ſomno ſufficiente, exercitatione modica, animique lætitia tota vita humana ac ſanitas conſtat. Cætera ſunt quædam additamenta, & parum efficiunt, vid. *Cardanus de Sanit. tuend. p.* 349.

Ficino exquiſitiſſimo Philoſopho Platonico & Theologo. *a* Si homines veritatis cupidi tanta Medicorum diligentia corporeum ſpiritum curare debent, ne forte omnino neglectus vel impedimento ſit, vel inepte ſerviat quærentibus veritatem, multum procul dubio diligentius in corporeum ſpiritum, id eſt, intellectum ipſum diſciplinæ moralis inſtitutis colere decet, quo ſola veritas ipſa cum ſit incorporea capitur. Nefas enim eſt, ſolum animæ ſervum, id eſt, corpus colere, animumque verum corporis dominum regemque negligere, præſertim cum magorum & Platonis ſententia ſit corpus totum ab animo ita pendere, ut niſi animus, bene valere non poſſit. Quapropter Medicinæ auctor Apollo non Hippocratem quamvis ex ſua ſtirpe genitum, ſed Socratem ſapientiſſimum judicavit. Quippe cum quantum Hippocrates corpori, tantum Socrates animo ſanando ſtuduerit, quanquam quod tentaverant illi, ſolus Chriſtus effecit. Proinde ſi mentem noſtram optimis colere moribus a Socrate idcirco jubemur, ut lucem veritatemque naturæ inſtinctu quæſita ſerena mente facilius aſſequamur, quanto magis veritatem ipſam divinam inprimis religione ſancta fas eſt venerari. Ad quam quærendam capiendamque non aliter creata mens eſt, quam oculus ad lumen ſolis perſpiciendum. Atque ut Plato noſter inquit: Quemadmodum viſus nihil uſque viſibile perſpicit, niſi in ipſo ſummi ipſius viſibilis, id eſt, ſolis ipſius ſplendore: ita neque intellectus humanus intelligibile quicquam apprehendit, niſi in ipſi intelligibilis ſummi. h. e. DEI lumine nobis ſemper & ubique præſente. In lumine inquam quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In lumine de quo canit David: In lumine tuo videbimus lumen. Profecto quemadmodum purgatis oculis, inque lumen aſpicientibus ſubito ſplendor ejus infunditur coloribus figuriſque rerum abunde refulgens: Ita cum primum ab omnibus corporis perturbationibus per moralem diſciplinam purgata mens eſt, atque in divinam veritatem id eſt DEUM ipſum religioſa quodam flagrantiſſimoque amore directa, ſubito ut divinus inquit Plato, divina menti veritas influit, rationeſque rerum veras, quæ in ipſa continentur, quibuſve omnia conſtant, feliciter explicat, quantaque mentem circumfundit lumine tanto, ſimul & voluntatem gaudio perfundit.

---

a Vid. ejus tract. d. tuenda ſtudioſ. valet. in fine.

EXER-

EXERCITATIO MEDICO-CHYMICA

DE

CINNABARI ANTIMONII,

Ejuſque eximiis Viribus, Uſu tam ſecretiori quam vulgari tam in Morbis huc uſque cognitis quam incognitis.

Adjecta ſunt Ratiocinia varia ſat curioſa.

AD

LECTOREM.

SCite ait *Seneca*: *Natura per naturam explicanda, non vero per rationes evertenda*. Peccant in hoc *Galenici*, qui quaſi omni chymica experientia ejurata ſolis rationibus per ſe admodum frivolis ac languidis quaſi per faſcinum naturæ phænomena metiri ac explicare conantur. *Empirici* dum vitarunt hoc vitium, in contrarium inciderunt, deſpondentes quippe omnem rationis uſum in ruditer ſaltim obſervata experientia acquieverunt ſine ullo habito reſpectu cauſarum ac circumſtantiarum. Feliciſſimum contra noſtrum eſt ſeculum, ſplendidiſſima medicinæ hodiernæ facies, cum ſola Philoſophia Experimentali ſeu Chymia rationali auſpicato Naturæ arenam intraverimus. Experientia quippe & Ratio amice conjurare debent; altera alterius poſcit opem. *Illa enim Ratio, quæ ſecundum Illuſtrem Baconem de Verulamio in novo organo ſcientiarum eſt optima, quæ debitis modis elicitur ex rebus, & vocatur naturæ interpretatio, quæ verior efficitur per inſtantias & naturæ experimenta idonea & oppoſita.* Philoſophia autem hæc Experimentalis per axiomata, quæ condita & confirmata ſunt phœnomenis variis chymico igne erutis optime traditur: horum enim qui copiam & rationem habet, næ is de quibusvis obſcuris pronunciare valebit. Per univerſalia enim, quæ particulares experientiæ rationi ſubminiſtrant, quivis naturæ ſcrutator ex notis ſuas illationes in ignotiſſima promovere poteſt. Quivis ex hiſce facile (niſi fungum habeat pro cerebro) videt, quantam lucem rerum naturalium explicationi, ipſique arti Medicæ ſuffundat ocularis Chimia: Hæc enim ut affabre loquitur *Helmont. in Tr. Pharmacop. & Diſpenſator. moderno. §. 32. principia habet non logiſmis parta, ſed quæ per naturam ſunt cognita & per ignem conſpicua, præparatque intellectum ad penetranda naturæ occulta, ponitque inveſtigationem in natura ulteriorem quam aliæ ſcientiæ omnes.* Adeoque ſecundum eundem *Helmontium non ſufficit libros legere, ſed inſuper oportet vaſa atque carbones emere, vigillatas ex ordine noctes impendere*, quo particulares experientiæ emergant, quæ poſtmodum divino rationis radio excoctæ axiomata conſtituere poſſint. Hac via qui procedit, naturæ cathedram mox poſſidebit. Methodica hac ratione ego ſuccinctus præſentem conſcripſi *Exercitationem Medico-Chymicam de Proceſſu Cinnabaris Antimonii*, quæ ſi non in omnibus cujus vis delicato

ſenſui reſpondeat, veniam facile impetrabo ab eo, qui materiæ conſiderat gravitatem. Hanc præprimis ad manus ſumere penitius excutiendam mihi placuit, cum proceſſum hunc Cinnabaris Antimonii in tota Chimia non ſolum difficillimum, verum etiam optimum ac fructuoſiſſimum deprehendam. Ingredientia ſunt ſaluberrima illa aſtra & quaſi Chimiæ occultioris & totius Medicinæ fulcra Antimonium & Mercurius, quæ hic mutuo amore conjunguntur & conſœderantur jucundiſſimam ac virtuoſiſſimam datura prolem: Tot hic occurrunt artificioſæ encheireſes, tot perveſtigandæ naturæ rerum, tot explicanda phænomena, colores, tot exurgunt nobiliſsima Medicamina, quæ Divinas Medentibus porrigunt manus. Omnia itaque experimenta, phœnomena occurrentia ſollicitus ad rationis trutinam perpendam, encheireſes fructuoſas, experientiam manualem inſinuabo, naturas ingredientium examinabo, medicamenta ſelectiora ac compoſitiones rariores recitabo, ſimul vires & modum agendi ſubjungens.

CAPUT I.

DE

Nomine, Autore, Differentiis Cinnabaris.

CUm curioſior nominum ventilatio ac enodatio (a qua exordia vulgo ducere ſolemne) ad criticam potius quam Medico-Chymicam ſpectet cathedram, hinc circa corticem, & ipſius nominis enodationem nolumus eſſe longiores ad ipſarum rerum tractandarum curioſam inveſtigationem potius digreſſum facturi in anteceſſum paucis ſaltim leviter delibatis.

Cinnabaris Antimonii Germanico idiomate exprimitur Cinnaber des Spieftglaſes. Dicitur a *F. P. Fabro curat. p. 736.* Sulphur rubrum minerale, Bezoar rubrum, Antimonium rubrum ſudoriferum, ab *Harmanno* Butyri Antimonii parergon & Flores butyri Antimonii.

Agnoſcunt naturæ Myſtæ vulgo Cinnabarim duplicem nativam & artificialem. Nativa, quæ operoſiſſimæ naturæ donum, originem ſuam ducit a Mercurialibus vaporibus & ramoſis Sulphuris metallici moleculis in coecis glocoſmi uteris archeo ſubterraneo meteoriſatis, ac intimius ſibi adunitis in corpus coccineum ſtabile. Differt hæc pro admixtione heterogenearum terreſtrium ſordium, quæ in ipſo generationis actu ſeſe intimius conjungunt, & per lotionem frequentem lege artis inſtitutam ſequeſtrandæ ſunt. De variis ejus ſpeciebus vid. *Johannes Langius in Epiſt. 65. p. 325.*

Artificialem caſus & error feliciſſimus peperit; cum enim quidam Mercurium in Solem mediante Sulphure coagulare & convertere conati fuerint, inducti communi hypotheſi, illud, ut reliqua metalla conſtare ex Mercurio & Sulphure, accidit ut corpus illud ſanguineo reſplendeſcens colore invenerint. Inter inventores *Callias* quidam *Athenienſis* refertur v. de hac re *D. Wedelium Anno 3. Ephemerid. p. 172. 173.* Cinnabarim hanc factitiam vulgarem (quam *Paracelſ. part. 6. p. 289.* qui Sal c. addit in præparatione, *Schroderus in Pharmacop. p. 409. Zivelff. Mantiſſ. Spagyr. p. 360.* prolixius deſcribunt) præter uſum mechanicum nonnulli in civitatem Medicam pro uſu interno adſcribunt; inter quos eminet *Quercetan. in tetrad. graviſſ. affect. t. 33.* qui illam ceu egregium depredicat ſudoriferum. Et ſubordinari ſane Cinnabaris hæc vulgaris (modo ſuadente lucro & colore rutilanti arſenico non ſit adulterata) quam commode poteſt antimoniali in omnibus morbis ſpaſmodicis & ubi dolorum faces accenduntur egregia, tantum abeſt, ut ejus uſus internus exulare debeat. Quin imo Mercurius iſte fixus præcipitatus, quem ſpecioſo titulo venditat *Febure in traitte de la Chimie. p. 661.* nil aliud eſt quam Cinnabaris quædam vulgaris (fit nim. ex ſale ammoniaco, & Mercurio Sulphure invicem mixtis & Sublimatis) quæ ſingulares in ſitu

ſo-

fovet virtutes nervinas epicrisi *Ludoviciana vid. Pharmac. p. 317.*

Ad hujus Cinnabaris imitationem philochimici cognito præparationis fundamento (quod tale est, ut beneficio Salis acidi Sulphur & Mercurius amicabile fœdus ac conjugium ineant, quæ sine Sale ceu amicitiæ interprete consortium respuunt) rem tentarunt cum Antimonio & Mercurio Sublimato, nim. parte salina prius igne abstracta, quæ offam butyrosam Antimonialem constituit, restili proportionato Sale Mercurius prægnans inque amplexus arripiens ramosas Antimonitas particulas in Cinnabarinum corpus coagulatus fuit. Hanc alii iterum variis substitutis ingredientibus meliorarunt præparationem, variasq; Cinnabaris species produxerunt, quæ latius infra adducentur.

Ultro quoq; curiosiores progressi sunt & Solarem Cinnabarim artificialem parare desudarunt, inter quos eminet *Greifius qui in Tr. de Theriaca cœlesti*, modum proponit, nim. Fiat amalgama Solis & Mercurii, hoc cum Sulphure sublimatum & legitimo modo tractatum in Cinnabarinum concretum coalescit, quod Solis maxime particeps est. Nobis hoc loco animus est, pensiori indagine prosequi processum Cinnabaris Antimonii, præparationis fundamenta, omnia phænomena, omnia medicamenta occurrentia solicitius trutinando chymicaq; lance æstimando, philosophiam experimentalem in subsidium præprimis orantes. Quo autem felicius scopum nostrum attingamus, & veritatis auspiciis in naturæ arenam descendamus, placet spagyricam ingredientium præmittere analysin puta Antim. & Merc. Sublimati. Hinc

CAPUT II.

Antimonii elementa exhibet.

ANtimonium idolum quasi Hermeticorum an tria Chymicorum principia possideat & quomodo, præprimis indagandum venit. Hæc uti omnibus corporibus mixtis magis materialiter, quam formaliter, eorum propensiones & seminales potentiæ inexistunt: sic illud fatum quoq; experiri Antimonium, cum per se sine additione aliorum tria hæc principia elici vix possint, abunde constat. Et (1) quod attinet Sulphur illud non nisi beneficio acidorum Spirituum ex Antimonio producitur, uti id testantur Sulphura φλογιστὰ ministerio Olei Vitrioli it. Spiritus nitri ex Antimonio extracta, a *Boyleo in Chymist. Scept. p. 24.* it. cum aqua regis secundum *Tachenium in Hippocr. Chym. p. 206.* Cum nitro vel sale ammoniaco permistum Antimonium, & crucibulo candenti injectum lucidissimam flammam eructat a connubio particularum acidarum cum pinguibus Antimoniatis in Sulphuream texturam abeuntium ortam. Ope nitri peculiari modo regenerati nuper ex Antimonio, it. ex coralliis elegantissimum concretum Sulphureum produxi. *Omne enim Sulphur inflammabile est crama e Spiritibus Vitriolatis & substantia combustibili conflatum, uti eleganter dicit summus & extra comparationis aleam positus Boyleus in Chymist. Scept. p. 24.* Nam cum ignis manifestior sit fermentationis species, ubi Spiritus luminosus influit in Spiritum in materia Oleosa & resinosa insitum, hinc omne Sulphur ex particulis lucidis ceu moventibus, acidis & alcalinis ceu mobilibus compositum esse per se fluit. Omnia enim corpora inflammabilia resinosa Sulphureæ indolis si Vulcano tradantur & acidum fundunt stagna & Sal vel volaticum vel fixum elargiuntur, uti Sulphur, opium, myrrha, ladanum, succinum, terebinthina, fuligo, ipsum etiam resinosum gialapium, imo omnia corpora inflammabilia id testatum faciunt. Porro Sulphuris elementum esse Sal acidum, ipsius adstruit compositio; ex quo enim quid componitur ex illo etiam constat. Jam autem *Illustris Boyleus in Chymist. Scept. p. 75.* Sulphur inflammabile exacte naturam communis redolens ex Oleo Vitrioli cum Oleo terebinthinæ misto lege Hermetici artificii paravit. Ex maritatione Spiritus salis ammoniaci & Spiritus nitri, (utroque per se flammam versanti) exurgit sal nitrosum, quod candefacto crucibulo immissum lucidissimum de se spargit ignem ne gry quidem materię relicto: Olea, anisi, terebinthinæ, Tartari destillati cum Spiritu nitri vel aqua forti justa proportione combinata fatiscunt in sapam

Hoff. Opusc. varii argum.

Sulphuream rubicundam inflammabilem, id quod etiam bilis canina commista cum Spiritu nitri leni calore accedente præstat. Color hic rubicundus quoque qui proprius est quasi Sulphuri, & a commistione Spiritus acidi cum particulis combustibilibus oritur, nostrum assertum stabilire videtur. Bilis, omnia Olea destillata v. gr. anisi, tartari, terebinthinæ justa proportione copulam Spiritus nitri ineuntia indipiscuntur colorem elegantem rubicundum. Spiritus tartari mellis, terebinth. fuliginis, lignorum accedente moderato caloris impetu facile in tincturam rubineam abeunt. Inest enim ipsis Oleum subtile per substantiam eorum dispersum, inest etiam acidum, quæ invicem Sulphuris schema induunt. Mixtura simplex, quæ componitur ex Spiritu tartari & theriacali, utroque Oleoso it. Spiritu Vitrioli acido colorem rubicundum nanciscitur. Pronuper observavimus & analectis nostris chymicis inseruimus, quod Spiritus Salis debite instillatus Spiritui Oleoso volatili (constanti ex Spiritu Salis ammoniaci vinoso abstracto ab Oleo tartari fœtido) elegantem coccineum colorem mixturæ induxerit. Porro quoque hæc ratio est, quod tincturæ vegetabilium v. gr. myrrhæ, aloes, centaur. min. &c. fl. quatuor cordialium cum acidulo menstruo v. gr. Spiritu salis vel Vitrioli dulci extractæ tam jucunda reluceant rubedine, quæ nim. dependet a miscela atomorum ætherearum ac terrearum cum minutiis acidi menstrui.

Ex hisce videmus, quodlibet inflammabile rubicundum corpus & omne resinosum alere occultum acidum, imo Sulphur Antimonii non formaliter latitare in Antimonio, sed saltim materialiter ac propensive, dum nim. moleculæ Antimonii terreæ subtiles æthereæ cum acidis accessoriis colliquatæ in concretum Sulphureum migrant.

Idem nostrum judicium esto de Mercurio Antimonii, qui ex particulis metallicis in Antimonii regulo latitantibus beneficio Essentiæ Mercurificantis ex diversis commistis salibus enatæ paratur.

Hunc non infimæ notæ viri negare & inter non entia proscribere conati sunt, ast remordent hic Chymicorum emunctiores oculari experientia suffulti, inter quos non infimum locum obtinent viri supra fidem veraces *Langelottus & Beccherus*, qui publicis in scriptis veterum Philosophorum asserta manuali sua experientia confirmarunt. Alii mitius procedentes, non proprium sed adscititium hunc extractum Mercurium Antimonii conjiciunt a Mercurio vulgi in subterraneis pyrophylaceis ipsi Antimonio adsociatum; verum hos refutat laboriosissimum extractionis negotium per trimestre vix absolvendum spatium. Nonnulli Mercurium hunc laboriosissime extractum nil aliud quam personatam Sulphuris larvam pronunciant: cum nim. longæ & exporrectæ atomi micantes in Antimonio artificio fallaci rotentur in globulorum stillas, & mercurium mentiantur, qui facile in pristinum minerale redeat. Ast Mercurius ne quicquam de Sulphure participat notum est, e metallis Sulphureo principio turgidis uti ex Marte Jove Venere pauciſſimum elici Mercurium, copiosissimum contra ex Sole, Saturno, Luna, regulo Antimonii, quæ Mercurialibus magis abundant particulis gravissimis, cum Sulphura sint levissima. 2. Mercurialia nullo modo solvi per menstrua Sulphurea alkalia possunt, potius homogenea Mercurialia requiruntur. 3. Mercurius semper eadem forma potest resuscitari, neque in metallum vel minerale facile redigi potest; & quanquam a Mercurio per salium adjectionem (ad purificationem inservientium) particulæ nigræ terreæ metalli formam mentientes sequestrentur, oculorum tamen fascinum est, cum particulæ hæ immersæ liquori per aliquot dies iterum abeant in globulos Mercuriales. Ast datur Mercurius Antimonii, qui in omnibus similis communi, excepta virtute.

Præparatur hic Mercurius e regulo Antimonii, commisto cum salibus acido-alkalinis inter se confligentibus ut Spiritu Salis ammoniaci, Spiritu nitri, Sale tartari, tartaro crudo, Aceto, sale ammoniaco, cineribus clavellatis, uti ex fideli communicatione *Basilii Valentini in curru triumphal. p. 250. Glauberi, Beccheri, Monte Snyders* cognitum habemus. Funda-

damentum hujus præparationis eſt, ut a commiſtione ſalium e diametro ſibi contrariorum & ſe invicem effœminantium exſurgant copioſa effluvia ætherea, quæ in ſubtiliſſimum fatiſcunt Spiritum, qui eſſentiæ Mercurificantis nomine gaudet, quæ deinde poros particularum metallicarum regulinarum permeat, particulas reſolvit, emollit, & fluidificat. Hinc quoque non inepte *Becherus in Phyſ. ſubterran. p. 469.* Mercurium vulgarem vocat amalgama fluidum ex eſſentia Mercurificante & ipſis metallicis atomis compoſitum. Et hoc modo fortiſſimo igne prolectatur Mercurius Antimonii.

Regulum autem particulis metallicis, quæ proxime ad Saturni naturam accedunt, eſſe fœtum, ſequentia videntur adſtruere. Poteſt enim ille ipſe per Sal Saturni in verum Saturnum verti *Autore Baſil. Valent. in curru triumphali v.p. 303.* Portio quoque Antimonii in meracum Saturnum ſæpe liqueſcit, ſi cum nitri ana calcinetur, annotante id *Willeſio in pharmac p. 61.* inſtar Saturni quoque facile propellitur, omniaque metalla, (quod alias Saturni proprium eſt) arripit. Tandem experimento Glauberiano regulus Antimonii Jovi liquato (qui pene totus Sulphureus, hinc quoque leviſſimus) juſta doſi admixtus illum indurat: idque dependet ab effluviis reguli Antimonii Mercurialibus intime ſibi connuptis cum atomis Jovis Sulphureis: quæ ratio quoque eſt, quod Mars (ut maxime Sulphureus) ſi calcinetur cum Mercurii vapore, tam durus fiat, ut inſtar vitri frangi poſſit. Quæ curioſa *Paracelſi obſervatio eſt, part. 9. d. conſervat. rerum natural. p. 273.*

Tandem an Sal Antimonio inſit videbimus, non formaliter ſed materialiter eodem modo in illo latere conjicimus. Et quanquam decoctum Antimonii cum aqua c. inſtitutum non contemnendas in lue Venerea poſſideat virtutes a *Zvvelffero*, in ſaxea renum occallentia *a Poterio in Pharmacop. Spagyr. p. 334.* commendatum, adeoque ejus efficacia Salinas atomos ac minutias in aquam ejaculatas arguat, non tamen proprie dictum Sal in aquæ poros ſe inſinuavit: Sed potius ſunt particulæ illæ minerales, quæ in ſalinam propendent formam, modo acumen Vulcani accedat in acidum ſtagma facile abeunt: flamma enim (uti omnis fermentatio) eſt ſalifica. Nimirum flamma æthereo ſuo motu particulas propenſivas vel acidas in regno minerali, acido-alkalinas in vegetabili, alkalinas in animali perficit & ſiſtit, non aliter ac fermentatio quævis ſolet.

Ex hiſce liquor, in Antimonio principia illa tria Chymica non formaliter inexiſtere, ſed tantum certas ſpecificatas materiales particulas in illo latere, quæ aptæ natæ ſunt pro diverſitate additamenti vel Mercurii vel Salis vel Sulphuris ſchema induere.

Perſpecta jam Antimonii natura e re fore duco ad Mercurii Sublimati naturam ac genium cognoſcendum deſcendere. Hinc.

CAP. III.

Mercurii ſublimati genium indagat.

HUnc 1. quatenus ab omni ſalino contagio immunis ac liber eſt. 2. ceu corroſivum ac ſepticum paulo intentius æſtimare lubet. Mercurius inter generata vix par habens uti inter naturæ magnalia refertur præcipua: ſic quoque nonniſi qui veram naturæ cathedram poſſident, Chimia huc vecti hujus naturam explicare ac rimari ſcite noverint.

Nos Mercurium fluorem æthereum volatilem ſaturatum ſpecificis particulis metallicis conjicimus. Ex ſubtiliſſimis autem effluviis æthereis ac fluidiſſimis conflatum hunc eſſe Mercurium, præter artificioſam Mercuriorum metallicorum præparationem, (quæ abſolvitur effluviis æthereis ex Salibus invicem collidentibus ortis) præter rotundam (quæ propria eſt materiæ primi elementi) qua ſemper gaudet Mercurius formam, ſequens mechanica veritati lucem ſuffundit. Mercurius communis ſi tractetur igne fortiter debitis in vaſis, miram aquæ cujuſdam inſipidæ elargitur copiam, ſemper tamen

priori Mercurii vivi pondere ſalvo manente, uti *Boyleus in Chymiſta Sept. p.46. Joh. Agricola in Poppium p.119.* teſtantur. Alit enim Mercurius quendam magnetiſmum, qui dependet a particulis æthereis in Mercurio eminentibus, quæ vehementi caloris & ignis impetu in motum actuantur, novumque ætherem cum matrice ſua aquea attrahunt. Parili modo ut Spiritus nitri ſumme æthereus volatilis moleculis metallicis incorporatus vel etiam alcalinis uti cretæ, continuo abit in deliquium, copioſaſque allicit particulas æthereas ac lucidas, quæ (ſi mixtura rite tractetur,) ſatis conſpicuæ conſtituunt phoſphorum *Balduini*. Sic quoque nonnulla vegetabilia ut aloe, cepæ, ſedorum genera nitroſo principio terſivo turgida, terræ matrici exempta diu germinant, neque facile injucunda mareſcentia ſe criſpant. Nunquam enim intermoriturum amicabile illud ac magneticum fœdus, quod nitro inferiori cum ſuperiori intercedit. Accedit quoque, quod Mercurius vulgi per Spiritum mundi aereum ſolvatur ob ſympathiam uti *Ludovic. de Comitibus* tradit *tr. de metallis p. 225.*

Spiritus hic Mercurialis æthereus quaſi menſtrui vicem gerens in ſubterraneis antris appellens ad metallicas minutias illas emollit, ſolvit ac fluxiles reddit, ſicque compoſitus evadit fluor dictus Mercurius vulgi manus non madefaciens. Quapropter ab hoc Mercurio vulgi ſi partes terreæ metallicæ depeculentur artificioſa encheiriſi, & Spiritus iſte ab omni metallico contagio liberatus haberi poſſit, virgineus & philoſophicus ille evadit, diciturque veris per ignem Philoſophis Mercurius de Mercurio. Patrocinatur ſententiæ noſtræ *Philoſophorum Coryphæus Geber*, qui *in aphoriſmis p. 161. inquit: continet argentum vivum in ſe Spiritum internum viventem & convertentem ignem, ſi de potentia in actum promovebitur, pro ſuo illo agnoſcunt Philoſophi Mercurio.* Aſſenſum porro præbet *Acutiſſimus per ignem Philoſophus Helmontius, qui tr. Progymnaſm. meteori §. 14.* & ſeqq. Sulphur externum originalem metalli labem continens ſeparari jubet a Mercurio vulgi, quo fiat Mercurius de Mercurio, qui deinde nullo igne poteſt in formam terræ præcipitari ob ſimplicitatem ſui maximam, aquæ elemento comparatur, cum terram id eſt Sulphur amiſerit.

Quo autem Mercurius homogeneus puriſſimus æthereus emancipetur e carcere impuro metallico, omnes ferme in eo deſudant Chimici. Iteratas Mercurii ſublimationes commendat *Ludovicus de Comitibus*. Singularem modum lavandi Mercurium vulgi commendat *Geber L. 2. part. 1. p.125* Optime ſane depuratur Mercurius vulgi a ſcoriis ſuis terreſtribus metallicis per amalgamationem, quæ poteſt inſtitui vel cum regulo Antimonii Martiali & Luna, ſecundum præſcriptum *Zvvelff. in Pharmac. regia p. 360.* vel cum regulo Antimonii ſecundum *Philaletham in tr.* qui inſcribitur, *Introitus apertus ad occluſum Regis Palatium*. Amalgamationem hanc perficiunt binæ additæ Dianæ columbæ, quas *Beecherus in ſuppl. pag. 117.* per Salia interpretatur. Hoc modo per amalgamationem cum regulo Martiali (qui nil de Marte participat, in candidiſſimum enim cum nitro detonatur pulverem) a Mercurio heterogeneæ terreæ ſcoriæ, (quæ homogeneas particulas Mercurii non adeo contigua relinquunt) feliciſſime præcipitantur, ſi præprimis verbera et imber accedant: Acquiritur ſic decies iterata amalgamatione et ſublimatione Mercurius virtuoſiſſimus aſtralis ac ſplendidiſſimus, *cujus p. 2. p. 1.* auri radicaliter ſolvere poſſunt.

Hæc itaque elementa nim. Spiritus aſtralis ſubtiliſſimus et particulæ metallicæ conſtituunt Mercurium vulgarem, non autem hæ a Saturno et biſmutho ſuam ſemper petunt originem, ſed ſæpe quoque alia metalla ingrediuntur Mercurii naturam. *Boyleus in Tr. de Coloribus pag. 47.* ſolutiones Mercurii cum aqua forti celebratas non raro virides obſervavit, qui color ſine dubio dependet a particulis immixtis Venereis.

Mercurius per ſe omni noxa vocat intus aſſumptus pondere ſuo alvum cito perreptat, verum ſimul ac Salino contagio afficitur, ſtatim ſepticus ſummeque deleterius

rius evadit. Exemplum præbet lethalibus infamatus exemplis Mercurius ille corroſivus, qui in minima aſſumptus quantitate, auram ſuam acidam volatilem idealem in æthereum lymphaticum nectar ob conſymbolicum magnetiſmum immediate evibrat, veneno poſt polluti hoc Spiritus animales conſternuntur, ipſorum ſcheſis & per conſequens omnium ventriculorum in toto corpore fermenta vitalia deſtruuntur ac pervertuntur. δρᾶσις hæc Sublimati virtus optime caſtratur ac cicuratur ſolis alkalinis, quæ acidum effœminant & debellant *vid. Sennertus de conſenſu Chym. c. 16.* Oleoſa quoque demulcentia, quæ ſuo contextu anfractuoſo, Oleoſis ac craſſis tricis acies excipiunt, obtuſioreque gibbo includunt, eundem cum alkalinis promittunt effectum: Huc quoque ſpectat ſaccharum Saturni, a *Crollio in Baſil. Chim. p. 389.* commendatum ad dulcificandum corroſivum, in amplexus namque arripit ſalia fortiora, aceti particulis quaſi reviviſcentibus.

Hujus autem corroſivi meteoriſati Mercurii naturam accuratius paulo penſitare lubet, & primo ejus analyſin Chimicam inſtituere. Naſcitur hic fœtus ex ſemine Salino [puta ſale c. & vitriolo] connupto cum fœminino Mercuriali, coquuntur invicem Chymico igne in reſplendeſcens niveum hoc corpus.

Iſaacus Hollandus in operibus ſuis p. 177. præparationem inſtituit ſolo Sale comm. prius in aqua ſoluto & iterum coagulato (totum enim tunc ferme in Spiritum acidum fatiſcit) addito tantillo. Salis ammoniaci.

Fundamentum omnis præparationis eſt, ut Spiritus ſalis acidus ſeparatus aggrediatur globulos Mercuriales, ſeque intime ipſis agglomeret atque interponat, (cum ſolutio nil aliud ſit quam intima interpoſitio particularum ſolventis intra poros corporis ſolvendi) globuli enim ac micantia illa Mercurii vivi elementa in Sublimato microſcopio adhuc ſunt conſpicua. Solutus hic in Spiritu Salis Mercurius calore in ſublime fertur: non ſecus ac Mercurius ſolutus in Spiritu Salis debite prius parte liquida evaporata ſublimatus in ſtabile concreſcit cryſtallinum corpus, exacte æquans natura m Mercurii Sublimati vulgaris. Jam au tem quomodoigne a miſtura Vitrioli & Salis Spiritus Salis acidus ſolus evehatur ac ſeparetur, indagandum penitus venit. Salia acida fortiora ac penetrantioris indolis e ſedibus ſuis propellere ac quaſi reſuſcitare ſalia mitiora congelata, loco Chymici axiomatis habendum. Sic Spiritus Vitrioli ſuperfuſus ſaccharo Saturni, vel ſolutioni coralliorum cum aceto deſtillato paratæ, in deſtillatione prodit merum acetum deſtillatum redivivum, quod in Saturno coralliis coagulatum fuit, relicto Spiritu Vitrioli in particulis Saturninis. Porro Spiritus Vitrioli commiſſus cum Sale c. Spiritum Salis propellit in deſtillatione. *vid. Williſ. in Pharmac. p. 160.*

Cum autem Spiritus hi acidi nil aliud ſint quam Salia metaſchematiſmum paſſa, ſubtiliſata ac fluorem igne nacta ſolo motu differentes, hinc eodem modo res procedit cum ipſis Salibus: Sic ſolutio Vitrioli commiſta cum Sale com. & deſtillata ſuggerit Spiritum Salis elegantem volatilem, non ſecus ac e Sale ammoniaco & Vitriolo bene permixtis nuper obtinui per alembicum (per quem omnes Spiritus minerales ſingulari artificio deſtillari poſſunt) 1. Spiritum urinoſum 2. Spiritum Salis volatilem præſtantiſſimum.

Quod autem Vitriolum ſolutum in Sal c. agat, ex hoc unico experimento abunde conſtat, nim. ſolutiones Vitrioli & Salis invicem combinentur, ochrea Vitrioli terrea pars fundum petit, (non ſecus ac fieri ſolet, quando ſolutio Vitrioli Martis cum arcano tartari maritatur) ſubtileque acidum principium nares vibrat. Ad rem quoque facit experimentum, cujus meminit. *Rolfincius in diſſ. de Antimonio c. XX.* deſtillavit nimirum quam commode butyrum Antimonii miſcendo Antimonium cum Sale comm. & Vitriolo: ubi ſpiritus Salis aggreſſus Antimoniatas particulas in butyraceam offam abiit. Huc quoque trahendum eſſe exiſtimo *Wedelii* experimentum publico ſcripto nuperrimo inſertum & tale eſt. Miſcuit Vitriolum comm. cum globulis a deſtillatione Spiritus Salis relictis, (qui adhuc

adhuc ſale abundant) & deſtillationi in retorta igne aperto concredidit ſicque elegantiſſimum Spiritum acidum volatilem Sulphureum viridiuſculum acquiſivit, qui etiam ſuper alembicum cogi potuit.

Ex præfatis itaque experimentis facile diſcimus atque animadvertimus, Vitriolum Sali comm. additum ſumme velificari Spiritus Salis elevationi: Sal nempe Vitrioli ceu fortius acidum aggreditur ipſum terreum Salis comm. hoſpitium, Spiritumque facit extorrem. Eſt autem Spiritus hic non purus putus Spiritus Salis, ſed de conſortio Sulphureo metallico revera participat, nim. Sulphuris Vitrioli maxime pregnans eſt, hinc non tantum viridi colore tingitur, verum etiam Mercurio Sublimato illud Sulphur intimat, quod conſpicitur in Mercurio Oleo tartari præcipitato, qui grata rubedine oculos paſcit, id quod phœnomenon in Mercurio Spiritu Salis c. ſoluto & Oleo tartari p. d. præcipitato non apparet: cum communis Spiritus Salis non tam copioſum poſſideat Sulphur: hinc albæ particulæ Mercuriales fundum petunt. Quod autem ex turpetho hoc minerali cum Spiritu vini nulla rubicunda tinctura extrahi poſſit, non tam ambiguam reddit Sulphuris præſentiam, quam Sulphureas Mercurialibus maxime intricatas & incuneatas eſſe oſtendit: parili enim modo e Cinnabari Antimonii nulla tinctura rubicunda cum Spiritu vini extrahi poteſt.

Tandem de prædominio particularum Mercurialium & Salinarum in ipſo Sublimato exiſtentium ut ſimus ſolliciti ipſa res ſuadet. Communiter ſtatuunt utrarumque æquilibrium. *Knoeffelius in meth. med. febr. malign. p.* 81. e Mercurii Sublimati libra 1. Mercurii currentis elicuit Unc. vij. Verum oppono huic experientiæ aliam nim. *Glaſeri qui in Chim. ſua p.* 253. dicit, ſe ex Sublimati libra 1. elicuiſſe 26 lothones Mercurii vivi cum butyri deſtillatione prodeuntes. Et ſane mechanica ſequens, quam ipſe feci, omne dirimit dubium: nimirum Mercurii ſublimati Unc. iv. ſi coquantur in lebete addita ſ. q. limat. Mart. & aquæ c. magma quoddam Vitrioli forme emergit, quod igni arenæ commiſſum perelegantem exhibet Spiritum acidum volatilem Martialem: tandem poſt fortiorem Vulcani tortura prodit Mercurius dimiſſus vivus ad Unc. iij. & ferme 3 j. qui alio receptaculo excipiendus eſt. Relinquitur crocus Martis ſubtiliſſimus. Hoc experimentum ultra partem tertiam in Sublimato contineri particulas mercuriales abunde evincit. Progredimur nunc ad ipſam butyri ac Cinnabaris Antimonii præparationem. Hinc

CAPUT IV.

De Butyri ac Cinnabaris Antimonii præparatione, cum variis ſubnexis cautelis.

ELigatur ad hunc proceſſum Antimonium bene ſtriatum rubriſque punctulis ſcintillulans, quod bonam Sulphuris ac Mercurii arguit miſcelam. Hinc non immerito *Generoſiſſimus Boyleus in tentam. phyſiolog. p.* 30. occultæ Antimonii differentiæ adſcribit, quod Cinnabaris Antimonii & regulus ancipiti proceſſu nonnunquam attentetur.

2 In promptu ſit Mercurius Sublimatus optimæ notæ, neque (ſuadente lucro) reſenico adulteratus, cujus ſucus patet Oleo tartari per d. inſtillato, loco enim flavedinis, (quę expectatur a puro) offert ſeſe ingrata nigredo, quæ tamen non prodit ſi arſenicum non in deſtillatione (quod alias fieri ſolet) ſed in ſubſtantia Sublimato a fraudulenta manu additum fuerit. Hinc non facile Mercurius Sublimatus pulveriſatus emendus, ſuſpicio enim de mixto arſenico cryſtallino naſcitur. Vidi aliquando deſtillatam cum taliſmodi arſenico adulterato Mercurio Cinnabarim Antimonii a Chymico quodam inſigni, mihi amico, qui Mercurium vitę flaviſſimum prępcipitavit e butyro, Spiritum autem Vitrioli ph. maxime Sulphur olentem indeptus fuit. Loco Cinnabaris in retortæ collo flores fuſci coloris leviſſimi ſe repręſentarunt. Caput mortuum repertus fuit leviuſculum gryſeum præ ſe ferens colorem. *D. Wedelius* paucis abhinc diebus notabilis experimenti me fecit participem, nim Mercurius Sublimatus arſenico adulteratus miſtus fuit cum Antimonio ad Cinnabarim elevandum, verum loco

Cin-

Cinnabaris purum putum arſenicum rubrum ſe in conſpectum dedit in ſuperficie Antimonii hærens, quod nativam ſuam formam redoluit.

Ingredientia itaque probitate ſe commendantia rite miſceri debent. De hac mixtura tria præprimis attendenda ſunt.

1. Præſtat ſucceſſive conficere Cinnabarim, neque pro unica deſtillatione tam inſolitam farraginem aſſumere Antimonii & Mercurii Sublimati.

2. Auſpicatius ſemper res ſuccedit inque majori copia impetratur Cinnabaris, ſi plus de Mercurio Sublimato quam Antimonio ad præparationem expetatur. Fundamenti enim loco hoc habendum, quod Cinnabaris pene nil aliud ſit quam Mercurius larvatus ac ſchematiſmum paſſus rubraque veſte indutus a tingentis Sulphuris Antimonii pauca quantitate. 2. Quod Antimonium ferme totum. modo ſufficiens quantitas Sublimati præſto ſit, in Cinnabarinum concretum encheiriſi Chymica cogi & converti poſſit. *Febure Traitt. de la chem. part.* 11. *p.* 1016. Mercurii Sublimati *p.* 3. ad *p.* 1. Antimonii recipit. Melius autem hoc modo res procedit ſi p. 3. Mercurii Sublimati, p. 2. autem Antimonii aſſumantur v. gr. ℞. Mercurii Sublimati unc. vj. Antimonii unc. iv.

3. Omnia ſingulatim prius bene pulveriſata in lapideo mortario exactiſſime miſceantur. Suſcitatur inſignis conflictus (qui dependet a Salibus in Antimonii particulis agentibus) cum æſtuante calore (ſi prapr. parum aquæ adſpergatur) & fumorum venenatorum (a quibus ſedulo cavendum) ingenti copia in aerea exſpatiantium, ita ut etiam *Olaus Borrichius in Act. Haffnienſ. p.* 131. hoc pacto regulum Antimonii ſine igne liquari ac ſimili poſſe experientia deprehenderit. Notabile quoque hoc loco eſt, quod ſine igne hoc pacto butyrum Antimonii compendioſiori modo poſſit parari, ſi nempe prædictæ mixturæ affundatur aqua c. ad ſufficientem irrotationem, adhibita digeſtione & leni evaporatione Salia Mercurium dimittunt, & Antimoniatas aggrediuntur particulas, inque butyroſum liquorem abeunt, qui per inclinationem ſeparandus, & exacte butyri Antimonii per deſtillationem parati naturam in omnibus ſervat. Hoc autem prone obſervandum, ſi Cinnabarim magis præ butyro deſideramus, ne mixturam humectemus, vel in cellam humidam illam ponamus, ſed ſtatim poſt mixtionem ad præparationem confugiamus.

Mixtura itaque Antimonii & Mercurii Sublimati præfata retortæ vitreæ indatur inque arenam collocetur. De retorta autem hoc probe tenendum eſt, ut bene figurata ſit, collo ſat longo ac amplo adornata, ne forſan copia Cinnabaris obſtipato collo retorta diſrumpatur, totuſque labor perditum eat. *Mercurius enim, ſunt verba illuſtris Baconis de Verulamio in Hiſtor. natural. cent.* 1. *pag.* 762. *maxime crudum & aquoſum corpus, calefactus arcteque concluſus eadem cum pulvere pyrio vi pollet.* 2. Retorta ita collocari debet, ut fundum capellæ pene tangat: ingens enim requiritur ignis impetus ad Cinnabarim elevandam.

Ignis primo non adeo intenſus ſed paulo modificatus & mitis ſit, quo maceratio quaſi quædam perficiatur, auctus poſtmodum, ut capella aliqua ex parte candeſcat, prodit liquor albedine nitens, (quæ oritur a particulis butyri Antimonii præcipitatis a vaporibus aqueis, qui leni calore elevati ſunt in collum retortæ) ſuccedit demum butyrum maxime limpidum, quod alio receptaculo excipiendum, priustamen bene lutari debet, ne fumus malignus acido-volatilis in auras abiens pereptet noſtros agros vitales, ibique haud inconſpicuam pro indole ſua vitæ archivo afficet noxam. Hanc ob cauſam quoque *Helmont. in tr. de inſpirat. pag.* 490. *it. de Lithiaſi c.* 9. §. 71. confectores Cinnabaris it. qui in auripigmento, ſtibio laborant, breviſſimam agere vitam pronuntiat, et quamvis taliſmodi ſeptici vapores vitam ſtatim non tollant, abbreviant tamen eamque variis cladibus ſubjiciunt. Serva ignis gradum, & ſi liquor luteus a particulis Sulphureis admixtis egrediatur, ut recte monet *Blaſius*

ſius in Beguinum pag. 283. fortifica ignem, & ſi nullæ amplius decidunt guttulæ, cum charta convoluta foramen retortæ obtura, vehementique ignis gradu admoto inferiorem retortæ partem candefactam, & materiam in illa liquidam (quam diffracta retorta obſervavimus) redde; utpote ad Mercurii evaporationem non levis ignis gradus requiritur, quod patet, ſi auro cum Mercurio albefacto priſtinum ſplendorem conciliare velimus, ipſum igniri debet.

Cumque totum artificium auſpicari ſucceſſus in ignis regimine conſiſtat, placet perpaucas enchireſes ſubjungere de hoc recte adminiſtrando.

1. Probe conſiderandæ ſunt omnes circumſtantiæ v. gr. ſtructura furnorum, varietas capellarum, retortæ poſitio, quibus variantibus variare quoque ignis regimen debet, & hic requiritur accuratum Chymici judicium: Si enim capella ſit nimis profunda & retorta in infimam hujus regionem non locari poſſit, tunc omnino vehementiſſimum vulcani acumen addendum eſt. Hoc namque inſtar fundamenti tenendum: quod Mercurius non adſcendat & in Cinnabarim mutetur, niſi retortæ infima pars in arena locata penitus, uti & materia in retorta contenta aliquomodo candeſcat.

2. Cavendum ne ſub diſtillatione butyri ſtatim vehementiſſimus ignis detur: hoc modo quippe productio Sulphuris Antimonialis, quod ex connubio particularum acidarum & pinguium Antimonialium exſurgit, impeditur, & quod productum eſt, dejicitur, hinc nulla pene coitio vel amalgamatio Mercurii cum Sulphure hoc, ad Cinnabarinum concretum conſtituendum expectanda. Signum autem nimis fortis caloris eſt, ſi citatius butyrum exeat, ita ut gutta guttam trudat, ſi retortæ collum variegato colore nimirum flavo, viridi rubro, nigro ſtatim pingatur: qui omnes dependent a deſtructione Sulphuris & varia ejus texturæ ac pororum diſpoſitione.

3. Quod attinet ignem ſuppreſſionis, hunc non ſemper ducimus neceſſarium: utpote in cucurbitula impoſita crucibulo arena repleto, ignem circularem adminiſtrando, ſi per retortam prius butyrum abſtractum fuerit, Cinnabarim copioſiſſimam ex relicta in retorta materia obtinuerim. Verum ſi capella nimis ſit profunda, ac arena in ſuperiori parte non ſufficienter incaleſcat tunc ignis circumſpecte admotus promovet evaporationem atomorum Cinnabarinarum & collectionem in ipſius retortæ collo: hoc tamen probe tenendum, circa illam arenæ partem, ubi principium colli ſepultum jacet (quod ad Cinnabaris concretionem deſtinatum) ignis fortior adhibeatur, ne concreſcere incipiens Cinnabaris disjiciatur parte nim: Sulphurea combuſta et Mercuriali in vas recipiens detruſa.

4. Hæc omnia quamvis ſeſe rite habeant, ita, ut hoc modo ſpatio 6. vel ad ſummum 7. horarum ex ℔ß. ana Antimonii et Mercurii nonnunquam Cinnabaris unc. iij. imo unc. iv. haberi poſſint: mihi tamen adhuc, eſt alius modus notus ac familiaris, cujus beneficio ſine ignis ſuppreſſione, ſine igne arenæ, ſaltim igne aperto ſpatio horarum 4. ex prædicto pondere nonnunquam unc. vj. pauciſſimo Mercurio currente prodeunte ſæpe obtinui et Jenæ tunc temporis diſcipulis quibuſdam demonſtravi. Et talem enchireſin Chymicorum nonnulli jam dudum animadverterunt: Sic namque *Dethardingius in furno ſuo docimaſt. pag.* 166. ad præparationem Cynnabaris retortam terream commendat et ignem apertum: verum ob firmiorem pororum vaſis texturam *Zvvelfferuo in Mantiſſ. Spagyr. pag.* 367. retortam vitream probe lutatam mavult ſeligere. B. *Dn. Ludovici in Pharmacia* crucibula duo inverſa, aſt probe lutata ad laborem hunc laudat. Accedit quoque quod Cinnabaris vulgaris igne aperto ſaltim ex cucurbita ſublimetur. Optimus quidem hic modus, ſed majori eget cautela et ſane enchireſes quædam hic ſumme neceſſaria attendendæ ſunt.

Ex deſtillatione butyri et ſublimatione Cinnabaris relictum caput mortuum ſi omnibus Cinnabaris elementum deſtitutum eſt, fulget particulis ſplendentibus re-

regulinis ; quæ ut graviores in fuſione materiæ ad fundum detruſæ , arboreſcentem elegantem nonnunquam repreſentant figuram. Quod ſi autem adhuc rubris punctulis ſcintillulet præprimis in ſuperficie, & chartæ affrictum obſcura illam rubedine tingat, certum adhuc Mercurii Sulphurei indicium : qui etiam dimiſſus a Sulphureo conſortio , viva forma facile in conſpectum venire poteſt , ſi cum forti decoquatur lixivio . Melius autem tunc eſt, ſi nova adornetur ſublimatio ſaltim in cucurbitula vulgo ſcheide Fiolbtein impoſita crucibulo : ſcoriæ in roſtro colli contentæ ac curioſius collectæ cum capite mortuo pulveriſato permiſceri poſſunt : ſic refundunt adhuc novam Cinnabaris quantitatem . Alias caput mortuum quam optime inſervit præparationi reguli Antimonii, item Antimonii diaphoretici puriſſimi , in cujus confectione nitrum nullum edit ſtrepitum ob defectum Sulphuris in cap. mort. Nonnulli aquam ophthalmicam ipſi affundendo egregium concinare volunt ophthalmicum , non viribus inferius Rulandi celebri ophthalmico .

CAPUT V.

Singularia phænomena in confectione Cinnabaris occurrentia exhibet .

DUo hic præprimis obveniunt notatu digna , quæ ſingularem merentur meditationem: Nim : obſervavi non ſemel in confectione butyri & Cinnabaris omnium ingredientium ſingulare incrementum & Mercurii currentis inſigne augmentum . Nim : aſſumpſi Antimonii & Mercurii ſublimati ana ℔ß. Cinnabaris acquiſivi ℥v. & ʒj. ℈ß. Mercurii currentis ℥ij. & ʒij. butyri Antimonialis ℥iv. & ʒij. ℈i. Capitis mortui cum ſcoriis in retortæ collo relictis ℥iv. ʒiijß. ℈j. & grana xij Computatis omnibus calculus oſtendit ultra ʒij. incrementum acceſſiſſe . Quin imo ad ʒiijß. aliquando obſervavi : Sed ponderatio in priori experimento inſtituta fuit accuratior . Porro experimentum fecit hoc , aſſumpſi Cinnabaris ℥v. ʒj. & ℈ß. remiſcui cum limatur. ferri ℥vi. & cinerum clavellator. ℥ij. ex retorta vitrea probe lutata igne aperto deſtillationem adornavi & vehementiſſimo adhibito Vulcano obtinui Mercurii vivi ℥iv. & ʒiij. ℈j. Hoc pondus cum prædicto Mercurii in deſtillatione butyri prodeuntis contractum efficit pondus ad ℥viß. ʒiß. & ℈j. Jam autem Mercurius in ſcoriis colli ponderavit ferme ʒij. Ergo in omnibus Mercurii ſunt pene ℥vij. Cum autem ſaltim ℥viij. Mercurii ſublimati fuerint adhibiti credo ſane incrementum ſenſiſſe Mercurium : neq; deeſt ratio: turget enim Mercurius eſſentia quadam ætherea , qua in particulas metallicas homogeneas Mercuriales magnetice quaſi appellit , illaſque in fluorem vertit . Eſt enim Mercurii vulgaris ad Mercurificationem non levis opera , hinc quoque non inepte dixerunt Veteres: fac Mercurium, puta metallicum, per Mercurium ſcilicet communem. Communicatum habeo ab amico , quod ſi ſolutioni argenti cum aqua forti inſtitutæ in generationem arboris Hermeticæ Mercurius jungatur , iſte Mercurius in majori quantitate ſeparetur , quam additus fuerit . Ex eodem fundamento Mercurium plumbi & ſtanni parandi mihi modus eſt notus . Nim : ſolvatur Mercurii ſublimati , Vitrioli , Nitri, ana ℈ß. in aqua vulgari miſceatur cum limatur. ſtanni & plumbi ana ʒij. coque leni igne ad ſiccitatem: materiam relictam deſtilla & habebis Mercurii vivi pene ℥ß. Hic Mercurius cum prodeunte butyro & capite mortuo iterum miſceatur & vehementi ac diuturniori triturationi uniatur & iterum deſtilletur, & hoc 4. vicibus reiterari debet : tunc plumbum ac ſtannum pene totum vertitur in Mercurium currentem : ſcoriæ terreſtres metallicę nullo modo in priſtinum metallum reduci poſſunt.

Quod attinet uſum ac vires Mercurii ex Cinnabari Antimonii extracti , vel etiam iſtius qui prodit cum butyro , ſane præferimus illum longe Mercurio vulgari . Non ſolum enim in amalgamationibus cum metallis, (quas citius & minori quantitate additus perficit) virtutes ſuas nobilitatas exerit , verum etiam evaporatus ex cochleari argenteo relinquit maculam ex flavo rubicundam elegantiſſimam : quod ſignum abſolutæ bonitatis eſt . Porro inſignem quoque ſponde

me-

medicationem; ſic ab amico certior ſum factus *Celeberrimum Norimbergenſium Practicum Dn. Volckamerum* Mercurii e Cinnabari extracti & ſingulariter præparati uſum plurimum extollere in deſperatis fere morbis. Puritatis hic character Mercurio procul dubio accedit ex amalgamatione illius cum Sulphure Antimonii. Nim. Mercurius cum particulas metallicas non poſſideat homogeneas, poriſque gaudeat laxioribus, (in quibus conſiſtit omnis metallorum impuritas) hinc non potuit non fieri, ut heterogeneæ plures impuræ terreo-aqueæ particulæ quæ Sulphuris externi nomine veniunt, in ſubterraneis pyrophylaceis copulam cum ipſo ineuntes ejus texturam ac virtutes deturpaverint. Quo itaque puriſſimus ac virgineus fiat, partes illæ neceſſario imprimis depeculandę, quod non ſolum fit ſingulari trituræ ac lotionis Artificio, verum etiam amalgamatione cum Sulphure Antimonii, utpote hoc ęthereis lucidis atomis turgidum dum intime Mercurii texturam penetrat, ex poris præcipitat peregrinas illas terreas ſordes illaſque ex domicilo ſuo dejicit, ſimulque aqueas ex haurit ac abſumit, ut hoc modo per reiteratam ſæpius amalgamationem puriſſimus ac efficaciſſimus exſurgere poſſit Mercurius.

Quod attinet alterum phœnemenon, nimirum ingredientia ſub præparatione Cinnabaris Antimonii inſigne ponderis augmentum acquirere, id jam uberiorem requirit meditationem.

Notorium eſt, corpora igne tractata & calcinata ſæpe magnum ponderis augmentum capere; Sic lateres cocti iiſdem qui ignem nondum ſuſtinuere ponderoſiores ſunt, quod etiam vulgo notum. Porro refert *Tachenius in Hippocrat. Chym. c. 27.* coralliorum integras Unc. xij. igni reverberii per 6. dies ſubjectas trium unciarum augmentum acquiſiviſſe. Eodem modo ſeſe res habet cum quibuſdam metallis ac mineralibus: Sic plumbum calcinatum in omnium fortiſſimo igne reverberii notabili vincit quantitate illud, antequam in ignem fuerit poſitum. *Induſtrius Dn. Kunckelius in obſerv. Chym pag.* 32. elegantem inſinuat obſervationem: Nim: reguli Antimonii ℔ j. calcinavit, uſque non amplius fumum emiſerit & ſemper poſt calcinationem graviorem illum deprehendit præter fumos conſideratos. Idem fatum experiri ſtannum, non autem aurum, argentum, ferrum & cuprum certiorem me fecit nuper in Anglia *Illuſtris Boyleus, Patronus colendiſſimus*, qui etiam in vitris clauſis Saturnum vel Jovem calcinatum ponderis augmentum acquirere obſervavit; quod experimentum ſane deſtruit rationem hujus phœnomeni communiter datam: nimirum acidum lignorum ſpiritum in poros alkalinorum corporum ferri, ibique ſeſe coagulare, & pondus augere: in hujus impugnationem non volo ulterius adducere calcinati Antimonii beneficio radiorum Solis per ſpeculum cauſticum collectorum ponderis incrementum, cum Anglorum curioſiores deprehenderint accurata inſtituta ponderatione ſucceſſum non ſemper reſponre hujus experimenti.

Quærendum itaque illud corporum augmentum non tam in ſale acido ignis materiali, quam ſubtili æthereo penetrantiſſimo, quod corpora menſtruali ſua virtute diſſolvere ac tranſmutare, illorum poros radicaliter permeare, ac particulas quaſdam menſtruales ipſis affricare aptum natum eſt: non aliter ac omnia menſtrua ſolutis gravitatem quandam fœnerant. Sic ſi Mars vel Mercurius ſolvatur in aqua forti & ſolutio præcipitetur ſale communi, ſemper metallum illud ſolutum ac præcipitatum, licet omni ſalſedine etiam per coctionem privatum ſit, ſemper tamen ponderoſius exſurgit. Eodem modo Saturnus in aceto ſolutus & ſpiritu Vitrioli præcipitatus pondere augetur.

Menſtrualem autem ætherei ſalis in igne contenti virtutem phœnomena varia exhibent. Sic ſpagyricus quidam in *Actis Haffnienſ. anno 1671. obſ.* 92. per menſem continuum ex capite mortui Vitrioli vehementiſſimo igne adhibito nigricantem liquorem elicuit abſq; capitis mortui ſenſibili decremento. Porro hujus ſalis ætherei tranſmutantem virtutem

ultra

ultro probant varia producta, quæ beneficio ignis ex corpore quodam metallico eliciunt. Hinc *Doctiſſimus Dominus Morhoſius in Epiſt. de metallorum tranſmut. pag. 30. inquit: Vidi in Anglia Brabantum aliquam, qui ſolo moderamine ignis ſine ulla alius rei additione ex Saturni minera verum Vitriolum, Sulphur, ſal com. nitrum, acetum, tincturam, & plura alia parare potuerat.* Adeoque eadem ratione non immerito ponderis augmentum in præparatione Cinnabaris Antimonii obſervatum ſubtiliſſimo æthereo ſali a vehementiſſima flamma proficiſcenti adſcribimus. Pergimus jam ad

CAPUT VI.

De Butyri Antimonii Natura, & præparationis fundamento.

EST butyrum hoc Antimonii nil aliud quam Spiritus Salis concentratus turgidus particulis ſtibiatis. Elementa habet duo, unum recipiens fluidum Salinum, alterum firmum quod in poros fluidi recipitur. Iſtud debetur Spiritui Salis ſtabulanti in Sublimato, qui in deſtillatione hoſpitem primum deſerens corpuſcula Antimonii magis amica amplectitur, cumque illis in offam butyraceam fatiſcit. Contineri autem in butyro genuinum Spiritum Salis acidum (præter ſupra allata) non infimi momenti rationes experientiæ fulcro innixæ clarum faciunt. 1. Cum Spiritu Salis cæque ac cum Mercurio Sublimato, non item cum Spiritu Vitrioli prolectare quivis ex Antimonio butyrum poteſt. 2. Ipſum butyrum Antimonii (id quod notabile eſt) cogi ac vehi poteſt ſuper alembicum, quod tamen renuit Spiritus Vitrioli gravior, 3. Spiritus dictus Vitrioli (potiori jure Salis) philoſophicus miſcela Salis tartari coagulatur in Sal Salis com. exacte æmulum. 4. incorporatus hic Spiritus moleculis Martialibus concreſcit in Vitriolum, quod libero aeri commiſſum abit in deliquium, id quod ſolemne eſt cuivis Vitriolo cum Spiritus Salis com. parato.

Elementum ſiccum eſt proles Antimonii. Falſo nomine Mercurii vitæ Antimonium in butyro contentum ſalutatur vulgo; cum tamen nequicquam de Mercurio vivo participet, inſervit namque loco crudi Antimonii, variis præparationibus, poteſt enim ex illo parari Sulphur, regulus, vitrum. Apud veteres tamen erroris illecebram hancce conjicio, quod ſæpiuſcule in Mercurio vitæ ſiccato poſt longum tempus conſpexerint intercludentis Mercurii vivi granula, quæ etiam ſæpe obſervavi nova ſemper quaſi progerminantia prioribus vivis ablatis. Debentur hæc ſine dubio particulis Mercurialibus forti igne prolectatis, inque butyrum dejectis, in quo deinde ſolutæ (optime enim butyrum ſolvit Mercurius) et præcipitatæ tumulatæ jacuere in Mercurio vitæ, donec ab involucro Salino particulæ aqueæ vel Sal aeris æthereum continuo appellens illas vendicaverit, et conſpicuas reddiderit.

Mercurius hic vitæ an magis Sulphuri vel regulo debeatur, contentionis ſeram vulgo inter ſe trahunt. Ego nil niſi Antimonium ſolutum ſuſpicor, ſalva manente particularum Sulphurearum et regulinarum miſcela: Antimonium enim attactu Salis acidi concentrati in pulverem album vertitur; deinde Mercurius vitæ temperamento Vulcani adminiſtrato inſtar Antimonii et vitrum paucis regulinis granulis interſtinctum, imo ſcorias (additione Salium) et regulum ſingulatim fundit; cum alias, ſi ſaltim Spiritus Salis admittat particularum regulinarum copulam, totus Mercurius vitæ in meracum debeat abire regulum.

Albedinem Antimonio fœnerat acidum, a quo alia particularum diſpoſitio lucem aliter refringens inducitur: teſtantur id ſolutiones coralliorum, minii cum acido menſtruo celebratæ, quæ magiſteria reddunt candidiſſima.

Miror hic *Tachenium*, & ex illo plures (alias circumſpectiores) tradere, Mercurium vitæ aqua ferventi præcipitem datum luteum præ ſe ferre colorem, cum tamen eventus rei nunquam ſuccedat. In cogitationem itaque deſcendi, *Tachenium* uſum fuiſſe Sublimato Veneto, qui Spiritu nitri maxime abundat; notum

autem

autem eſt, quod ſi Antimonio, a quo Spiritu nitri ſemel abſtractus fuit, aqua calida affundatur, illud flavedine tingatur. Experimentum hoc inſignem affundit lucem aliarum explicationi v. g. cur aliqua calida in præparatione Antimonii diaphor. affuſa flavedinem plerumque illi ipſi conciliet, ſecus ſit cum aqua frigida, quæ non ita extrahit Sulphur latens, & ob oculos ponit.

Porro quantum hoc butyrum de Sale, & quantum de Antimonio participet, indagandum venit. Obſervavi in butyro fluido p. 2. Antimonii & p. 1. Salis acidi contineri; nim. butyri Antimonii unc. iſ℈. aqua affuſa, & Mercurio vitæ ab omni Sale eloto, dant Mercurii vitæ ſiccati unc. j. Ergo neceſſario concludere licet p. 1. nim. unc. ſ℈. Salis acidi contineri in illo, quod jam aquæ communicatum eſt.

Butyrum Antimonii forti igne expreſſum in excipulo, ſæpe quoq; in nimis longo tetortę collo, non in fluidam & Olei dictam convenientem ſubſtantiam, ſed in cryſtallinam condenſatur maſſam, id quod fit ab æthere craſſiore appellente ſeque interponente, uti v. gr. Olea fluida, macerata, admiſſo frigido aere, concreſcunt; Mercurius cum Viridi æris & Sale c. vulgo coagulatus, ſi per noctem ſtet in aqua frigida, mire indureſcit. Butyrum hoc coagulatum in excipulo ſi aeri trananti exponatur a verberatione particularum aerearum, que Salia ſolvunt, continuo liqueſcit: & notatu dignum eſt, quod menſura & pondus butyro accreſcat a particulis humidis ſubſtantialibus, quæ etiam proceſſu temporis quaſdam Mercurii vitæ particulas ad fundum præcipitant. Familiare hoc eſt omnibus Spiritibus concentratis acidis, vide in hanc rem ſingulare Experimentum de Oleo Vitrioli *in Curioſiſſimi Dn. D. Behnii tr. de aeris in ſublunaria influxu p.* 48.

CAPUT VII.

De Medicamentis e butyro Antimonii præparandis.

EGet butyrum Antimonii nulla rectificatione, cum ſucceſſu temporis ſe a craſſis ſcoriis liberet ac purget dum per aerem ſolvitur, adeo ut veriſſima ſit *Vigenerii de Igne & Sale c.* 43. ſententia, nim. Salia in aere ſoluta per ſe magis ſe depurare ac ſubtiliſare, quam fit per 12. alias diſſolutiones, & purgationes. Butyrum ad uſum internum non pauci reformidant metuentes vel inſignem corroſivitatem, vel ſtibiatas δρέπανας in eo latentes particulas, verum inanis omnis metus cujuſdam noxæ, quo enim concentratior Spiritus Salis acidus, eo minori quantitate propinari debet. Quod attinet atomos Antimonii in butyro contentas, hæ cum acido exhibitæ, quod Sulphur volatile mire figit ac deprimit, non adeo draſticam exerunt vim. Sic Spiritus Vitrioli digeſtus ſuper vitrum Antimonii flavum acquirit colorem & ſaltim purgat per inferiora *v. Crollius in Baſil. Chym. pag.* 96. Imo ipſe teſtatum facio, quod butyrum Antimonii ad gr. 3. aſſumptum mihi poſt lenem ſubſequutam nauſeam alvum blande ſubduxerit. Ejus uſus externus frequentior eſt in bubonibus peſtilentialibus, herpete, ulceribus malignis, cancro, gangræna, *v Joh. Agricola in Popium pag.* 143. *& J. P. Faber* paſſim in curation: Ad verrucas quoque tollendas *Autor Gallus Tibau cours de la Chemie q.* 180. mire extollit. Podagricos quoque dolores illud ad ʒ j. miſtum cum Spiritu vini ℔ſ. inſtar incantamenti tollere, Auctor eſt *Wepfferus Practicus feliciſſimus in Miſc. Baſilius Valentinus in curru triumphali p.* 268. ex butyro cum Spiritu vini iterata rectificatione parat Oleum rubrum quod in ulceribus malignis cancroſis magni æſtimat. Rubedo debetur texturæ Sulphureæ, quæ proficiſcitur ab acido Spiritu Salis & Spiritu vini, ſi hæc præprimis calore & inteſtino particularum agitatione inter ſe actuen-

actuentur. Teſtantur id tincturæ rubicundæ coralliorum, quæ eodem modo, cum Spiritu Salis d. fiunt *v. Ganſii Hiſtor. Corallior. p. 62.* item olea, quæ emergunt ex miſcela Spiritus acidi fortiſſimi v. gr. Spiritus nitri cum Spiritu vini; ſi enim Spiritus nitri d. paratur ac deſtillatur, relinquitur Oleum craſſum in cucurbita.

Butyrum quoque exactiſſime ſolvit aurum, imo radicaliter hoc cum illo fermentare & per rotam philoſophicam reducere norunt Chymici, ſunt verba Crollii in Baſil. Chym. p. 70. Martem quoque it. Saturnum, Lunam facile quoque in poros recipit, ita ut hac encheireſi per compendium quaſi poſſint parari omnia bezoardica, *vid. de his B. Dn. Ludovici Pharmac. pag. 329. 330.* Elegantiſſimum quoque Bezoardicum Mercuriale ac ſolare paratur, ſi Cinnabaris Antimonii prius ſolvatur in butyro, pulvis flavus cum aqua c. præcipitetur, cui affundatur aqua regis, in qua aurum ſolutum fuit, ſæpiuſque ab eo abſtrahatur, relictus pulvis edulcoretur Spiritu vini. Vid. plura de hoc Proceſſu *in Pharmacop. Schronderiana p. 412.*

Quando butyro Antimonii aquam vel frigidam vel calidam affatim affuderis, ſubſidet paulatim lacteſcente in liquore pulvis niveus, qui diligenti ablutione edulcatus Mercurii vitæ nomen ſortitur. Præcipitatio fit a particulis aqueis Salium ramenta amplectentibus, hinc non poſſunt non e poris decidere particulæ ſtibiatæ. Aqua Spiritu acido ebria filtrata per chartam emporeticam miti decoctione aſperrimus fit liquor, qui obliqua ſtillatione per focum in arena elutriatus longis paraſangis anteit Spiritum Salis comm. Fovet enim in ſinu ſubtile quoddam acidum Sulphureum ab Antimonio & Vitriolo profectum, imo tenuiſſimas Antimonii atomos, quæ in conſpectum facile veniunt, modo Spiritus Vitrioli Spiritui Vitrioli philoſoph. concentrato affundatur. Inſervit hic Spiritus extractioni Tincturarum 4. florum Cordial. it. ad tincturam *Morbii* aperitivam ejus ſingularis uſus, modo Oleo tartari p. d. debite ejus corroſivitas refringatur, & torna Solis, vel roſis aut ſantalo rubro ſaltim tingatur. Porro ſi hic Spiritus limaturæ Martis mundæ affundatur, emergit liquor, qui leni evaporatione in Vitrioliforme coagulum condenſatur, cui ſi Spiritum vini combines, exſurgit tinctura aperitiva Martialis non inelegans, quæ cum arcano tartari ana miſta tincturam Martis *Zvvelferi*, cum Saturni ſaccharo Tincturam antiphthiſicam Gramanni conſtituit, utramque rubicundam, atque viribus nobiliſmis fulgentem.

Si Spiritus Vitrioli philoſoph. per aliquot dies ſtet ſuper Mercurium vitæ, fit iſte Mercurius gravis, ſplendeſcens & fundum petit ab aſſociatis telis Salinis, color illius lacteus mutatur in luridum. Admodum fortiter operatur hic Mercurius; contra bene elutriatus aqua calida non tam validus eſt, ac ſi ſpicula Salina adhuc in porulis hæreant. Qualitas enim corporum draſtice operantium Spiritualis per ſe non agit, niſi in effectum ducatur a Sale acido. Hinc per alcalia, quæ acidum prorſus caſtrant ac deſtruunt correctio omnium venenorum, purgantium, quam commode perficitur, vide de hac re erudite differentem *Ingenioſiſſimum Pechlinum in Exercit. de Purgant. pag. 197.*

Butyro Antimonii ſi Oleum tartari p. d. inſtilletur, Mercurius vitæ corrigitur & cicuratur fitque catarcticus, ſed notandum, quod Sal alcalinum acido prædominari debeat. Purgari quoque perhibetur, ſi Mercurius vitæ ſpiritu vini præcipitetur. it. ſi cum Sale c. miſceatur.

Alia ex butyro Antimonii commiſto cum urina humana putrida, præcipitant Mercurium vitæ roſeum (aſt maxime pallidum) ſi præprimis urina cum butyro digeratur, neque ſtatim per inclinationem ſeparetur. Conciliatur huic pulveri color elegantior ac virtus commendatior, ſi Mercurius vitæ imbibatur Eſſ. ſantali cum Spiritu Vitrioli d. parata, & Oleo cinnamomi poſtmodum irroretur. Dicitur hic pulvis Roſa mineralis *A. Sala* emetica. Porro Mercurius vitæ cum terra foliata tartari in Crucibulo liquatus in ſchema rubrũ vertitur, ex quo cum Spiritu

cochleariæ extrahitur elegantiſſima Tinctura Antimonii antiſcorbutica v. *de hac Hartmanni Commentar. in Crollium p.* 74. Cæterum hic Mercurius ā cum nitro detonatus & arcano tartari nuptus virtutem leniter alvum ſubtrahendi acquirit, quo arcano tartari purgante ſæpiſſime uſus fuit *B. meus Parens*.

Tandem Mercurius vitæ cum 2. l. 3. partibus nitri detonatus (vel ſi Spiritus nitri juſta quantitate ab illo abſtractus fuit) acquirit virtutem diaphoreticam, & vocatur bezoard. minerale. Notabile autem hic eſt, quod in detonatione nullus ignis motus ac ſtrepitus (qualis in præparatione Antimonii diaphoretici fit] attendatur, quod dependet a Sulphure in Mercurio vitæ maxime fixato & obtuſo, hic quoque bezoarticum minerale grata ſemper nitet albedine.

Reſtat tandem egregium explicandum phœnomenon, cur nim. Spiritus nitri affuſus butyro Antimonii tantam excitet efferveſcentiam, cum calore vix tolerabili & præcipitatione particularum Antimonialium concomitante ac ſubſequente. Communiter afferunt, acidum debilius cum fortiori ſummo collidere impetu, hinc Spiritum nitri ceu debiliorem cum butyro Antimonii acido fortiſſimo impetum atque conflictum exercere. Verum non ſufficit hæc ratio; perſpicimus namque Spiritum Vitrioli, Onis, vel Salis butyro affuſum non ſimilem exercere effectum, ſed ſaltim nitroſa id. præſtare, v. gr. Spiritum Vitrioli, aquam fortem, (quæ a Spiritu nitri nil differt, niſi quod per fermentationem cum terra Vitrioli in deſtillatione Sulphur magis explicatum ac volatile factum, hinc Spiritus nitri abſtractus a limat. Martis in arena per retortam, veram aquam fortem reddit) it. aquam regis, ſecundum *Crollium in Baſil. Chym. p.* 135 Nitrum quoque in Crucibulo liquatum & butyro Antimonii immiſſum eundem effectum ac Spiritus nitri mihi præſtitit. Spiritus enim acidi nil aliud ſunt quam Salia æthereo ignis motu fluorem adepta, hinc quoque eq; Sal c. & Spiritus Salis armat ac commaſculat Spiritum nitri ad aurum ſolvendum, uti & ipſum nitrum Spiritum Salis vid. *Billich. in obſervat. Chym. p.* 60. Alii exiſtimant Spiritum nitri cum Spiritu Salis concentrato hanc colliſionem efficere. Aſt neque Spiritus Vitrioli philoſ. maxime concentratus cum Spiritu nitri ebullit. Veram itaq; rationem ſolicita indagine jam proſequi nobis animus eſt. Præſupponimus autem 1. aquam regis conſtare ſive componi e Spiritu Vitrioli, vel aqua forti acuata cum ſale com vel Sale ammoniaco aut Spiritu Salis c. 2. Butyrum Antimonii (ut ſupra docuimus) eſſe Spiritum Salis concentratum, fœtum particulis Antimoniatis. 3. Aquam regis quamcunque cum Antimonio pulveriſato it. cum regulo Antimonii mirum quantum efferveſcere cum graveolente aquæ fortis odore in aera exſpatiante, cum ſummo calore, ita ut fracturam ſæpe vitrum minetur, ſi præprimis calido in loco mixtura foveatur. Ex hiſce præſuppoſitis facile colligimus, Spiritum nitri vel aquam fortem it. nitrum crudum butyro Antimonii additum cum Spiritu Salis (in butyro contento) degenerare in aquam regis, quę deinde Antimoniatas particulas latentes ſumma vi aggreditur, ingentemque excitat ſtrepitum cum ſummo calore, qui debetur velociſſimo particularum ætherearūm motui. Spiritus enim quo magis abundat Sale æthereo, uti aqua fortis, Spiritus nitri, eo cum alcalinæ naturæ corporibus majorem ſuſcitat efferveſcentiam majoremque æſtum. Præcipitatio Mercurii vitæ proficiſcitur a particulis acidis butyri, amicabile mutuum conjugium ineuntibus cum nitroſis, hinc cum in mutuos amplexus hæc Salia rapiantur, non poſſunt non in poris Spiritus Salis antea contentæ minutiæ Antimoniatæ ſubſidere ac fundum petere, non ſecus ac Mercurius ſolutus in aqua forti, immiſſo Salę c. vel Spiritu Salis (dum fit aqua regis) præcipitatur. Notabile autem hoc loco eſt, quod butyrum Antimonii ſi pauxillum aquæ c. prius fuerit admixtum (quo Mercurius vitæ præcipitetur) cum Spiritu nitri non efferveſcat, neque etiam hoc facit Mercurius vitæ cum aqua præcipitatus & exſiccatus ſi cum aqua forti miſceatur. Ratio eſt: quod nimirum ab affuſa aqua communi textura Mercurii vitę pororum

ac

ac particularum jam immutata ſit, hinc non datur aquæ regis in ejus poros ingreſſus ac aditus. Spiritus nitri igne arenæ a butyro Antimonii abſtractus mutatur in aquam regis, quæ Solis repagula exactiſſime reſerat, reſiduo in fundo vaſis Bezoardico minerali.

CAPUT VIII.

Cinnabaris Antimonii naturam ac elementa docet coloremque ejus rubicundum explicat.

COnſiderata butyii Antimonii natura, ut mentis flectamus aciem ad Cinnabaris Antimonii indolem, principia conſtituentia coloremque ejus coccineum perſcrutandum, ipſius nobiliſſimæ ſcientiæ dulcedo & rei gravitas expoſcere videtur: Nim: Cinnabaris Antimonii nil eſt aliud, quam Mercurius vivus cum Sulphure Antimonii amalgamatus & ſic in corpus ſtabile ex obſcuro rubicundum beneficio ignis commutatus. *Doctiſſimus Dn. VVedelius* ſtatuit illam nil aliud eſſe quam Mercurium Sublimatum dulcem Sulphure ſive tinctura Antimonii embryonatum & impræg̃natum. *v. Pharmac. p.* 139. quod etiam ſuo ſenſu verum eſt. Nim: Mercurius dulcis dicitur ſenſu Medico, quia eſt inſipidus, eſtque nil aliud quam Mercurius vivus particulis acidis ſalinis impræg̃natus proportionaliter interſperſis ac ipſi mixtis: notanter dico, certam proportionem ſalis acidi requiri ad Mercurium dulcem conficiendum: Mercurius enim Sublimatus communis, in quo prædominantur partes ſalinæ, ſecus ac ferre poſſunt Mercuriales ſumme corroſivus ac virulentus exiſtit: quod ſi autem exuberans ſalinarum particularum portio tollatur ac dematur, vel earum abſtractione cum Antimonio in butyrum, vel debita ſalis tartari alkalici copia addita, (quæ enchireſis h. m Mercurium dulcem parandi mihi optime nota) vel novo Mercurio vivo adjecto, qui globulos ſuos minutiſſimos ramentis ſalinis interponit, exurgit Mercurius dulcis. Sic eodem modo in noſtro opere, acidæ particulæ Mercurii Sublimati deſtillatæ aggrediuntur particulas Antimoniatas, ac fatiſcunt in texturam Sulphuream (Spiritus enim acidus quivis ab Antimonio abſtractus inflammabilem ex illo producit ſubſtantiam) quibus particulis Antimoniatis acidis Sulphureis ſeſe intime atomi Mercuriales aſſociant, acidum illud in amplexus arripiunt ac invicem maritatæ in ſublime feruntur, conſtituuntque ſtabile corpus rubicundum, quod ſapore, textura, friabilitate, modo concreſcendi, non differt a Mercurio dulci, niſi quod ab aſſociatis atomis Sulphureis Antimoniatis colore rubicundo imbutum ſit.

Patet itaque ex quibus principiis ac elementis conſtet Cinnabaris nim: ex Mercurio, & Sulphure Antimonii cum Spiritu ſalino acido recluſo. De Mercurio autem maximam partem participat: eſt enim Cinnabaris Antimonii graviſſima, & pondus pene adæquat ipſius Mercurii, quod clarum fit ſequ. experimento: Aſſumpſi virtutem vaſculum, & exacte indidi Cinnabarim Antimonii bis rectificatam & ponderavi lance accuratiſſima adhibita drachmas quinque & ſcrupulum ſemis. In illud ipſum vitrum indidi Mercurium præcipitatum communem, & replevi illud ac cum Cinnabari factum fuit, & ponderavit drachmas quinque & grana 28. Mercurius itaque granis 18. plus ponderavit NB. Vitri pondus ſeparatim fuit inſtitutum. Gravitas itaque Cinnabaris dependet proculdubio a Mercurio, omne enim Sulphur leviſſimum eſt. 2. Quod Cinnabaris noſtra pene tota ſit Mercurialis, probatur porro, quia ad Sublimationem Cinnabaris major quantitas Sublimati requiritur quam Antimonii, magna enim pars Antimonii relinquitur, quod cum novo Sublimato remixtum adhuc magnam quantitatem præbet Cinnabaris: Et hoc modo pene totum Antimonium, cum omne in Sulphur verti poſſit, in Cinnabarim redigi poteſt non obſtantibus particulis regulini. Verum quidem eſt & experimentum plus vice ſimplici, quod regulus Antimonii a Sulphure Antimonii pene liberatus & terna vice per ignem & ſale Nitri purificatus, & cum Sublimato mixtus (in deſtillationem menſtrui optimi ſecretio-

ris) ne granum quidem Cinnabaris largiatur: nihilominus particulæ regulinæ adhuc cum Sulphureis conjunctæ in Cinnabarinum concretum invicem fatiſcunt. 3. Ad Cinnabarim comm. præparandum requiri p. 4. Mercurii vivi & p. 1. Sulphuris vulgo notum. Cinnabaris hæc pene eodem gaudet pondere cum Antimoniali rectificata, niſi quod illius pondus ad unciam unam differat granis viginti tribus. 4. Mercurius e Cinnabari Antimoniali reſuſcitatus ferme totius Cinnabaris pondus in retortum prius injectum adæquat, ut ſcribit *Feburе in Chymia p.657*. Experimentum inſtituendum eſt cum limatura martis: Salia enim alkalina & omnia calcinata huic præparationi minus inſervire perſuaſum meum habeo animum. Inſtitui nimirum aliquando purificationem Mercurii, & tritura diligenti Mercurii vivi uncias *6* permiſcui cum ſalis tartari unc. decem tamdiu, donec ſal hoc nigrum ac gryſeum redditum ſit, globulique Mercuriales ubique diſperſi fuerint. Commiſi hanc materiam retortæ vitreæ et ignem dedi apertum primo leniorem, poſt fortiſſimum & ultra quatuor uncias non prodiit Mercurius. Cui cauſæ hoc adſcribendum, adhuc ſuſpendo judicium meum: invigilare enim huic experimento ulterius volo.

Patet ex antea dictis quam facile, Cinnabarin noſtram pene totam eſſe Mercurialem & ab ipſo Mercurio gravitatem, conſiſtentiam, texturam, imo virtutem poſſidere, illamque inter medicamenta Mercurialia optimo jure referri debere; de quo infra mentionem injiciemus.

Quod attinet alterum elementum Cinnabaris, nim. atomos ſtibiatas Spiritu acido in texturam Sulphuream commutatas: illæ abunde in noſtra Cinnabari ſe offerunt ac patefaciunt: modo cum lixivio forti decoquatur, & tinctum lixivium ſeparetur ac cum acido præcipitetur, Sulphur nanciſcimus haud inelegans puriſſimum, quod fluit et leviter ardet inque auras pene totum abit flammæ admotum.

Acidum autem Sulphuri Antimonii eſſe immixtum ceu ligans ac coagulans principium, quamvis guſtum non afficiat, exinde liquet, quia 1. vapores illi rubicundi, qui in Sublimatione Cinnabaris e retorta prorumpunt, et in Cinnabarim coaleſcere debent, odorem acidum ſpirant, eundemque ſaporem referunt. 2 Mercurius in Cinnabari ab acido Sulphuris ligatus, non ſui juris fit formaque viva prodit, niſi additis alkalinis acidum abſumentibus ac deſtruentibus. 3. Ab hoc acido Cinnabaris accidit, quod limatura martis cum illa permixta ad revificandum Mercurium, in crocum verſa in retorta ſemper reperiatur. 4. Nullum Sulphur elemento acido fixativo ac coagulativo deſtitutum ſi non formali tamen materiali et potentiali eſt imbutum: quod pluribus deducere hujus non eſt loci.

Tandem non excludendæ ſunt a principio conſtitutivo Cinnabaris particulæ Sulphureæ vitriolatæ, quæ nim. deliteſcunt in Mercurio Sublimato. Notum eſt, ex mixtura Vitrioli et Salis (quæ ad Sublimationem Mercurii requiritur) deſtillari poſſe Spiritum Salis Sulphure Vitrioli flavo copioſiſſimo imprægnatum, hoc Sulphur in Sublimatione Mercurii procul dubio in amplexus arripit, et ſecum vehit: cum ille maxime gaudeat conſortio Sulphureo. Hinc quoque patet ratio, cur ſolutio Sublimari, inſtillato Oleo tartari per deliquium rubeſcat. Sulphur itaque hoc Vitriolicum Mercurio Sublimato intime remixtum abire in conſtitutionem Cinnabaris, ex poſitis facile colligere poſſumus.

Perſpicimus itaque Cinnabarin maximam partem ex Mercurialibus, deinde ex Sulphureis Antimoniatis et Vitriolatis acidis particulis eſſe conflatam.

Cognitis jam principiis et natura Cinnabaris facile eſt perſpicere rationes diverſæ hujus præparationis a quibuſdam inſtitutæ.

Sic *Helmont* ſuam Cinnabarin parat hoc modo: primo conficit Sulphur Antimonii ex Antim. crudo cum aqua Regis, (quod exacte naturam Sulphuris com. refert) Sulphur autem longe elegantius ac copioſius fit, ſi non tam cū aqua Reg. nim. forti menſtruo quam magis temperato nim. Spir. Nitri Bezoardico præparetur, (quod colo-

re,

re, ſapore, fluiditate, imo in omnibus pene ſimile eſt vulgari Sulphuri) hoc leni igne liquat & commiſcet intime Mercurium vivum: adornat poſtmodum Sublimationem, qua virtuoſiſſimam elegantiſſimamque obinet Cinnabari.

Porro Cinnabaris Antimonii, ad imitationem Mercurii iſtius præcipitati fixi (quem deſcribit *Febure in Chymia p. 661.* & confit ex Mercurio vivo, Sale Ammoniaco, & Sulphur c.: tritura Mercurius cum Sulphure, quod notabile eſt, h. m. conjungitur & amalgamatur, poſtmodum mixtura deſtillatur, & Cinnabaris elegantiſſima vaſis lateribus apponitur) ſi loco Sulphuris com. aſſumatur Sulphur Antimonii.

Huc pertinet quoque Cinnabaris Antimonii *VVedeliana*, quam *anno 3. Ephemer. German. p. 114.* communicat, & præparatio talis eſt: ℞. Sulphuris Antimonii cum lixivio ſaponar. factis ʒ iij. Mercur. Sublimati ʒ iv. pulveriſata & mixta in mortario lapideo, cum ſpatula lignea indita ſunt retortæ anguſtioris orificii datuſque ignis πάτω in principio levior, hinc ſenſim auctus, donec tandem omnia, attamen ſine igne ſuppreſſionis canduerint. Primum exiit butyrum aliquomodo empyreumaticum, hinc ſe oſtendit Cinnabaris antica parte colli retortæ, præcedenti ut ſolet quaſi iridis ſplendore. Collecta fuit Cinnabaris fere ad unciam unam cum Mercurii vivi circiter tantundem.

Tandem differt ratione præparationis Cinnabaris ſequens quam ego maximopere æſtimo: Accepi ſolutionem Mercurii Sublimati cum aqua c. inſtitutam ad ʒ x. ita ut Sublimati continere ʒ iij. ſolutionis Sulphuris Antimonii cum lixivio factæ (qualis eſt illa ex qua Sulphur ſic dictum Antimonii auratum præcipitatur ʒ v. commiſcui invicem & poſt conflictum Sulphur Antimonii cum Mercurio præcipitato in fundo ſeſe junxit eleganter rubicundum. Liquorem ſalinum ſupernatantem decantavi, & recenti aqua c. addita ſalſedinem, aſt non penitus omnem, elutriavi, materiam ſiccavi, in mortario lapideo calido forti tritura optime commiſcui, deinde Sublimationi in retorta vitrea igni aperto leniori commiſi, & deſtillavit primo liquor quidam admodum Sulphureus empyreumaticus ad drachmas ferme tres: ignem ursi & inveni fracta retorta Cinnabaris longe rubicundioris ac elegantioris illa, quæ communi modo præparatur, unciam unam & drachmas quinque. In retorta corpus nigricans ſalinum interſperſis paucis globuiis Mercurialibus fuit relictum. Adeo hunc modum Sublimandi Cinnabarim pene optimum judico: aſt butyrum deperditur.

Hiſce penſiculatis omnibus reſtat jam ut colorem illum purpureum, quo Cinnabaris fulget, unde nim. ille dependeat, inquiramus. Deducitur ille dubio procul a varia textura ac diſpoſitione particularum Mercurialium, quæ lucis radios ita reflectunt ac modificant, ut ad oculum ſpectatoris color rubicundus ſiſtatur. Diſpoſitio autem talis pororum ac particularum inducitur Mercurio plerumque vel a Sale ignis æthereo, vel ab admixto Sulphure, utroque prædito facultate tingendi. Sic Mercurius vivus ſolo æthereo ignis ſale ſine ullius rei additione igne Chymico præcipitatur in corpus rubicundiſſimum durum.

Hinc quoque ſi Mercurii vivi ℔ j. igne forti ex retorta vitrea deſtilletur, in vaſis fundo & circa ejus latera parum rubri pulveris adhærebit. v. *B. Parentis Clavis Pharmaceut. Schroderiana p. 265.* Saturnus qui totus Mercurialis eſt (hinc quoque graviſſimus poſt Solem & Mercurium) igne reverberatorio tractatus vertitur in minium rubicundiſſimum. Cæterum Sulphura maxime apta nata eſſe corpora Mercurialia tingendi ac rubicundum illorum colorem per intima quaſi diſſeminandi ac propagandi, plurimis clarum ſit experimentis. Sic ratio patet, cur aurum pallidum, ſi per Antimonium, quod maxime Sulphureum eſt, fundatur, vel ſaltem cum tartaro & Sulphure c. (ut aurifabri ſolent) coquatur, colorem ſuum flammeum aureum reaſſumat. Aurum autem *dicente Gebro l. c p. 125.* nil eſt aliud, quam corpus creatum ex ſubſtantia ſubtiliſſima argenti vivi, & ex ſubſtantia pauca Sulphuris mundi & puræ rubedinis illud tingentis. In hujus confirma-

nationem valet illud : quod nonnunquam reperiatur album , ut refert *Dn. Boyle tentam. Phyſiol. p. 26.* cui colorem parum veneris admixtum iterum fœnerat .

Porro Mercurius dulcis admixta Sulphuris Antimonii cum ſale ammoniaco ſublimati pauca quantitate , & trituratus cum aqua colorem luteum ſaturatum acquirit . Mercurius quoque ſublimatus corroſivus pulveriſatus , cui Cinnabaris Antimonii particula adjecta fuit , affuſione aquæ com. in rubicundiſſimam pulverem vertitur . Turpethum minerale , (quod fit ex ſublimati ſolutione præcipitata cum oleo tartari per deliquium) ob particulas Sulphureas Vitriolatas admixtas , quæ mire colorem rubicundum explicant , elegantiſſima rubedine gaudet .

Simili modo Mercurius tum a Sulphure com. tum a Sulphure Antimonii in noſtra præparatione mire tingitur , & veſte purpurea induitur . Quod autem hic color a textura ſaltim particularum Mercurialium immutata originem ducat , ac ſolummodo colorem ſuperficialem , non radicalem , eſſe evincitur ſequ. experimentis : nim. Cinnabaris Antimonii cum ſale ammoniaco miſta & ſublimata in cucurbitula per arenam elargitur flores nigros , cum tamen ſal ammoniacum cum Antimonio mixtum flores producat rubicundos . Contra Cinnabaris vulgaris exhibet flores albicantes , ſi cum eodem ſale ſublimatur parili ratione uti nimium , quod calore ſuperficiali etiam gaudet , cum eodem ſale ſublimatum flores albos in alembico exhibet .

CAPUT IX.

Medicamentis e Cinnabaris Antimonii præparandis .

CInnabaris Antimonii quanquam per ſe citra rectificationem intus tuto propinari poſſit , ſaltim bene lota aqua calida , cum pauxillum ſalis lixivioſi adjectum , quo ſordes acidæ Antimoniales a butyro relictæ in externis porulis undulantes detergantur : rectificatione tamen longe purior ac nobilior redditur . Rectificatio poteſt inſtitui per cucurbitulam (vulgo ſcheide Volblein) impoſitam cubiculo arena repleto dato igne primo leni poſt fortiori , donec Cinnabaris circa inferiorem cucurbitæ partem ſublimetur . Eadem enchireiſi utimur in ſublimatione Mercurii dulcis : Peracta ſublimatione vitri collum caute diſcindatur & Cinnabaris eximatur , quæ longe ſplendidior ac purior exiſtit , chartæ ſi affricetur , colorem longe elegantiorem rubicundiorem exhibet : magma terreum antimoniale acidum manet in fundo , ſcoriæque in collo affixæ ſunt . Sublimatio ac rectificatio hæc continetur ſexies vel ſepties . Sunt quidem recentiorum nonnulli , qui unicam ſublimationem ſufficere judicant ac tot repetitas inutiles ac ſuperfluas æſtimant : aſt pace tantorum virorum , (inſignes enim illi ſunt Chimici) ego ſancte conteſtari poſſum , quod , Cinnabaris , etiam nativa , frequentius eſt ſublimata , eo longe efficacior ſubtilior ac ſpirituoſior imo coloratior evadit , ut unum granum in morbo quovis datum plus præſtet quam quinque non rectificatæ . Verum quidem eſt , tota eſt admodum non rectificata , aſt non tantis gaudet virtutibus , uti & Mercurius dulcis particulæ enim omnium metallorum ac mineralium , quo ſubtiliores , ac puriores , eo virtute ſunt nobiliores . Jam autem reiterata ſublimatio particulas Mercuriales non ſolum ſubtiliſat , Spirituoſas reddit , æthereo ignis ſale penetrantiſſimo communicato , verum etiam puriſſimas : hinc in quavis ſublimatione novæ reſurgunt ſcoriæ . Et ſane ob hanc rationem , quod non Cinnabarina ſufficienter ſublimatione exaltata ſint , judico non tantos effectus hodie exſerere ac præſtare poſſe quam olim . Specificum cephalicum Michaelis , cujus baſis eſt Cinnabaris ſexies ſublimata , olim longe efficacius fuit , quam nunc , dum ex Cinnabari ſaltim unica vel ad ſummum ſecunda vice ſublimata concinnatur .

Deinde probe notandum hoc eſt , quod Cinnabaris hæc nil pene præſtet , ſi non exactiſſime ſit pulveriſata , & in minutiſſimum pollinem diligenti ac diuturna cum aqua cordiali inſtituta tritura redacta . In hoc peccant plures Chymiatrorum ,

rum, dum metallica (quæ tamen gravia sunt & ob id non adscendunt nec cum lympha vel massa sanguinea communicantur, sed statim per alium sine effectu rejiciuntur) v. gr. Antimonium diaphoreticum, regulum Antimonii medicinalem (qui summam massæ sangnineæ est depurativum) Mercurium dulcem, Cinnabarim, saltim leviter triturant & ita propinant. Idem quoque tenendum est de martialibus, lap. cancrorum, corallis, quæ, nisi præparata, vix ullum effectum laudabilem in viscerum morbifica dispositione præstant, saltim quod acidum in primis viis obveniens absorbeant & dulcificent. Et ob id magisteria, subtilissima a veteribus commendata ob virtutem quandam absorbentem non sine effectu propinata fuere. Cinnabaris hinc frequenti trituratione & aquæ adspersione in minutissimas atomos redacta cum chylo, lympha, sanguine miscetur & per consequens nervos membranas an Spiritus animales afficere ac alloqui potest. Vires Cinnabaris hujus an præparatione singulari nim: vel solutione vel fixatione insigniter nobilitari vel exaltari possint, opus est videamus. Quod attinet solutionem illa, quæ celebratur per menstrua corrosiva v. gr. aquas stygias, ut aquam Regis, butyrum Antimonii, Spiritum Nitri (in quo solutum Vitriolum est) nullius est momenti. Notabile hoc est, quod Cinnabaris virtutes potissimum obtineat ex eo, quod Mercurius Sulphureis anfractuosis ac gibbosis obtusis particulis blande ligatus ac obductus sit, hinc non facile in venenosam corrosivam naturam, accedente licet salino stimulo vel spiculis acidis in massa sanguinea, abire potest: illa enim amplius non habent jus in Mercurium, & ob hanc rationem a nullo solvente acido, v. gr. Sp. Vitrioli, aceto, aqua forti solvitut Cinnabaris, licet in Mercurium vivum hæc menstrua insigniter agant. Patet exindè, quod Mercurius copula hac sulphurea quasi solarem induerit naturam, & ad vires eximias exercendas aptus redditus fuerit: si itaque copula ac textura per solutionem violentam hanc invertitur ac destruitur particulis Sulphureis a Mercurialibus separatis, & Mercurius simul deleteria facultate per associationem salium corrosivorum in menstruo latitantium imbuitur, non potest non cessare virtus Cinnabaris commendatissima & in summum venenum facessere.

Secretiores autem naturæ mystæ altius progrediuntur & ad exaltandas vires salva manente textura commendant menstrua insipida catholica æthereæ prosapiæ, quæ radicaliter metalla, lapides, vegetabilia recludere illorumq; vires exaltare apta nata sunt. An detur talismodi menstruum, nolumus hic deducere rationibus ac experimentis, sed saltim commendare *egregium tractatum de Alchymicorum menstruis & imprimis de usu Spiritus vini Lulliani Domini Doctoris VVeidenfelt, Angli, Fautoris æstimatissimi*, qui jam sub prælo sudat & ex professo de adeptorum omnium menstruis tractat. Plures quidem proh dolor sunt, qui universaliora menstrua, Sal Naturæ, insignes panaceas, radicales metallorum solutiones, pleno ore dilaudant ac speciosis rationibus & sagaci artificio animis ad credendum obtrudere conantur, & tamen, si attentius rem consideremus, nil nisi fucus ac dolus est. Talismodi Impostores plures dantur idiotæ, qui Reges, Principes summosque viros per totam pene Europam, imo ulterius vagantes fraudulenta manu circumvenire ac decipere audacissimi sunt. Plures historiæ ac exempla (turpe dictu est sed verissimum,) & Germanorum prostant, qui toti nationi sæpe apud exteros maculam quandam inurunt. Talismodi impostores infamia sane notandi; non solum enim summas tenebras animis curiosorum suffundunt, summam confusionem in naturalis scientiæ doctrinam introducunt, verum etiam sæpe toti provinciæ ac reipublicæ detrimento sunt. Interim tamen non negandum esse judico, dari menstrua quædam subtilissima ætherea, quæ nullo corrosivitatis vestigio relicto intimius corpora recludere ac magis Spirituosa reddere possunt. Sic *Balduinus, vir satis curiosus in Hermete suo curioso p. 56.* refert, se parasse ex sale suo Hermetico magnetico menstruum catholicum radicaliter solvens vegetabilia, carbones, metalla, Cinnabarim nativam illaque sine ulla corrosivitate potabilia reddens. Porro

Archiater Saxonicus Dn. D. Sieboldus, monſtravit mihi liquorem ante aliquot annos vinum vetuſtum ſapientem, pellucidum, æthereum, qui in lapidibus pretioſis ac minus pretioſis metallis intime reſolvendis in ſumma medicamenta, egregia, ut me certiorem fecit, præſtet. Quod ſi itaque menſtruum datur taliſmodi, quod Cinnabarim noſtram ſolvere poſſit ſine corroſivitate, ſine deſtructione texturæ, medicamentum ſane exinde exſurgere poſſe longe excellentius ipſa Cinnabari, non ibo inficias. Obſervavi enim in praxi mea quam ſæpiſſime, quod, ſi Cinnabaris cocta prius cum vino: vel ſi Sp. Vitrioli dulcis ipſi affuſus fuerit, liquor ſupernatans propinetur debite, vires longe præſentiores exſerat, quam ſi præparata ſaltim aſſumatur: cum tamen hæc ſolutio ſaltim ſuperficialis ac lenis ſit. Quoad fixationem *Helmontius* illam in medicamentis Mercurialibus mirum laudat: Quamdiu enim *inquit, in tr. d. Fabritius §. 9. pag. 778. Mercurius poteſt reſuſcitari, non eſt boni viri remedium. P. J. Faber in Curat p. 736.* Cinnabarim Antimonii vocat Sulphur rubrum & minerale, bezoar rubrum, quod ſi fixetur, vires auri potabilis æquare pronunciat. Fixationem talem communiter inſtituunt ſale ſeu Oleo Vitrioli, quod ob particulas graves fixas ſalinas, Mercuriales globulos dividit, diſgregat, ac interpoſitione ſua ætherearum particularum conjunctionem (quæ volatilitatem efficit) impedit. Hunc in finem *Keslerus in Obſervat. Chym.* Oleo Vitrioli cicurat ac figit Mercurium vulgi ita, ut fortiſſimi ignis patiens fiat. *Baſilius Valentinus in curru Triumphal. pag.* 408. Mercurium Antimonii cum Oleo Vitrioli in panaceam mirabilem figit. *Beguinus* quoque *in Tyrocinio Chymico pag.* 137. Cinnabarim Antimonii vel vulgarem potius cum ſale c. miſtam figit Oleo Sulphuris in pulverem album terna vice abſtrahendo illud a Cinnabari. Fixatio Cinnabaris eodem modo optime procedit, ſi ab hac terna vice abſtrahatur Spiritus nitri: ſic in colorem ex albo flaveſcentem vertitur, Spiritus edulcoretur & relictus flavus pulvis, qui carbonibus ignitis injectus totus avolat, retortæ immittatur, & Oleum Vitrioli, quod Vitrioli Sulphure eſt prægnantiſſimum, aliquoties ab eo abſtrahatur. Materia in retorta relinquitur flaveſcens, quæ aeri expoſita in deliquium abit, ſi materia hæc adhuc ſicca igniatur, fit fixiſſima & acquirit colorem ex bruneo-rubicundum inſtar caryophyllorum, ſaporem habet Vitriolicum venereum; auro ſi affricetur, illud non tingit colore albo ut Mercurius ſolet. Et talis Mercurius fixus procul dubio etiam fuit, quem in uſu habuit *Celeberrimus Knoeffelius*, quo podagram perfecte curare ſcivit; Virtutes ejus ſummas ac laudes proponit *Johann. de Laet in Epiſt. de podagra curata per Andream Knoeffelium.* Notabile autem hoc eſt, quod, ſi materia ab abſtractione Olei Vitrioli in retorta relicta, aqua ſimplici edulcoretur, aqua quæ provenit exinde acida, ſaporem ac naturam longe aliam referat ac Oleum Vitrioli, & relictus flavus pulvis Mercurialis, carbonibus injectus volatilis ſit, ignemque fugiat, quod ſecus fit, ſi materia hæc Oleo Vitrioli adhuc prægnans igniatur. Cinnabaris autem prædicto modo fixata longe in minori doſi propinari debet, quam vulgaris: ſaltim ab uno grano ad duo & quidem in vehiculo quodam appropriato: circumſpectius longe eſt danda, quoniam ſal quoddam ipſi aſſociatum eſt, quod violentam operationem exercere poteſt. Interim caute data ad obſtructiones pertinaces tartareas reſerandas longe commodior eſt, majoremque opem fert, quam Cinnabaris ſaltim pura præparata. Quartanarios aliquot ſumma cum laude curavi Cinnabari hac fixata, remixta cum extracto chinæ chinæ cent. min. gentianæ & ſale abſynthii in forma boli.

Cinnabaris hoc modo fixata non caret quidem ſua laude in arte curandi, aſt quoniam non perfecte fixata eſt, (reſuſcitari namque Mercurius quam facile iterum poteſt) hinc non tantas vires, quantas promittit vere fixata, præſtare atque exhibere poteſt. Quamdiu enim externæ heterogeneæ terreæ ſcoriæ ſ. Sulphur externum puriſſimis æthereis ho-

mo.

mogeneis Mercurialibus particulis eſt commixtum, tamdiu nulla vera fixitas Mercurii, ita, ut reſuſcitationem renuat, ſperari poteſt.

Porro Chymicorum plures deſudant quoque, ut Cinnabarim in tincturam ſive potius in formam liquidam potabilem redigant: vix autem talem obtineri poſſe judico, ſi intelligenda ſimul eſt radicalis ſolutio.

Nimirum ſolutionem Cinnabaris præſtant nil niſi aqua Regis vel menſtrua ſecretiora inſipida Chymicorum: hæc autem nondum nota ſunt, illa magis venenum ex medicamento faciunt, hinc judicium noſtrum de tali tinctura ſuſpendimus. Cum autem prȩter Mercurium, Sulphur etiam Antimoniale puriſſimum Cinnabaris noſtra pro elemento habeat, hinc tinctura Antimonialis Sulphurea elegantiſſima per ſeparationem & extractionem illius parari poteſt, quamvis non differat a tincturis faciliori methodo ex Antimonio extractis: Nim. omnes Antimonii tincturæ, ſero fluxilitatem quandam fœnerant, ſalivationem movent, ſordes glandulis impactas excutiunt, virtutemque ſimul poſſident anodynam.

Sulphur hoc e Cinnabari per alkalina vel Sulphurea oleoſa menſtrua poteſt extrahi: Si nim. cum lixivio ex ſale tartari bene calcinato confecto coquatur & ſolutio iterum coaguletur, & maſſæ ſalino Sulphureæ Spiritus vini ſaltim leviter rectificatus (alias non facile tinctura ſaturata, efficax reſurgit) affundatur ac digeſtioni exponatur. Per oleoſa quoque concinnari poteſt extractio: Sulphura enim mineralium facile obſequuntur menſtruis Sulphureis oleoſis. Sic *Polemannus in Tr. de Sulphure Philoſoph.* Elixir vitæ parvum facit ex Sulphure aurato Antimonii ſæpius ab illo abſtrahens Oleum cinamomi, quod tandem Sulphur hoc ſecum vehit ſuper retortam. Eodem modo ex Cinnabari nativa & Antimonii taliſmodi tinctura parari poteſt. Elegantiſſime ſcripſit *Thomſonius in tr. the direct method. of. curing Chymical. p. 113.* Cinnabaris nativa, quæ juxta Paracelſum vocatur metallus primus, poſſidet radians Sulphur ſolare, quod ſi in Oleum rubrum transferatur & poſtmodum in Eſſentiam ſpiritualem, nomine, vinum vitæ: Vel ſi diſſolvatur in Oleo quodam aromatico & circuletur cum ſale quodam alkalino & Spiritu vini, non ſolum purificat & abigit illud, quod corpori nocivum eſt, ſed renovat vires, toti imperat corpori, tonumque & vigorem reſtituit omni parti, ut proportionatam & juſtam actionem edere poſſit: hinc taliſmodi Elixir eſt ſumme conducibile ad protelationem vitę. Nimirum Cinnabaris noſtra cum Oleo v. gr. cort. citri recenti vel cinamomi & pauxillo Salis tartari admixto probe digeri debet, tunc Sulphur Oleo communicatur, & illud fit rubicundum, huic poteſt affundi Spiritus ſalis ammoniaci vinoſus, qui Olea ſolvit, & emergit tinctura Spirituoſa volatilis elegantiſſima. Alii ut *Dn. Elsholtzius in deſtillator. curioſ. p.* 22. Cinnabari nativæ vel factitiæ affundit Spiritum terebinthinæ, qui per arenam e cucurbita vitrea deſtillatus prodit rubicundus. Balſamum quoque Sulphuris Antimonialis elegantiſſimum parari poteſt, ſi ſali tartari, quod Sulphur ex Cinnabari extraxit, affundatur oleum aniſi vel juniperi & oleum per digeſtionem tinctum cum Spiritu ſalis ammoniaci vinoſo commiſceatur, prodit Spiritus, qui in phthiſi, pleuritide, debite datus vix par habet.

Porro elegantiſſima tinctura Antimonialis ex Cinnabari nat. parari poteſt cum Spiritu blando acido volatili (cujus beneficio ex omnium metallorum Sulphuribus tincturam extrahere ſcio) quæ flava dulcis eſt, Sulphureumque ingentem habet odorem. In epilepſia illam ana mixtam cum Eſſentia anodyna admirandam ſenſi in epilepſia duorum infantum hic Mindæ Weſtphalorum.

Quod attinet Mercurium Cinnabaris noſtræ, ille cum limatura ſive ſcoriis martis aut veneris quam optime poteſt reduci, it. cum calce viva. Hic Mercurius longe nobilior eſt vulgari, quoniam Sulphure Antimonii, cum quo amalgamatus fuit, non leviter correctus eſt. Si cum foliis auri amalgametur, & ſic ſaturatus miſceatur cum ſublimato debita proportione in Mercurium ſolarem præſtantiſſi-

mum

mum Chymico igne coquitur, qui blande alvum detrahit, ſimulque aſtrales ſplendidiſſimas in ſinu fovet virtutes. Tandem Cinnabaris Antimonii vel nativa etiam optimum eſt correctivum opii. Latet nimirum in opio Sulphur quoddam narcoticum volatile, quod ſeminali ſua reſolubili virtute nervorum ac glandularum porulis ſeſe applicat, ac inſinuat, & ramoſis ſuis particulis Spirituum motum ac influxum retardat, ſicque fermentatio ſanguinis fit, Spiritus ad quietem ſecedunt, cauſaque morbifica non amplius ſentitur. Omnes hi effectus opii non contemnendi ſunt, ſi applicatio ejus cauta ſit, & cauſa morbifica non maligna, altiuſque infixa vitalibus, ac vires adſint, ſanguiniſque motus citatior, evacuatoria omnia aperta: ne itaque nocere poſſit, quam commode adduntur reſolventia, ſic grata medicamenti harmonia exſurgit. Nihil autem melius huic ſcopo inſervit quam Cinnabaris, quæ glandulas afficit, lymphamque ac Spiritus in motu ac fluore conſervat. Quare in uſu habeo Laudanum Opiatum tale: Aſſumo opium enchireſi Helmontiana cum ſucco cydoniorum, vel pomorum Chinenſium per fermentationem correctum, huic anatica proportione immiſceo Cinnabarim nat. vel Antimonii aliquoties rectif., addo ol. cinnamomi & Eſſentiam ambræ ac moſchi ad gratum odorem. Et hoc laudanum præfero omnibus aliis pretioſiſſimis. Doſis eſt granum unum ad quatuor.

Plures compoſitiones & ſelecta medicamina e Cinnabari hac vide in ſequentibus.

CAPUT X.

De modo agendi, ac viribus generalibus Cinnabaris.

ADmiratione dignum eſt, quod Cinnabaris noſtra cum e duobus corporibus, quæ per ſe ſat draſtice operantur, ſit conflata, tam nobiliſſimis ac præſtantiſſimis gaudeat virtutibus. Nempe patet ex ſuperioribus, Cinnabarim noſtram nil aliud eſſe quam Mercurium acido Antimonii Sulphure in corpus Cinnabarinum ſtabile coagulatum. Jam autem Mercurius vivus tum externe tum interne adhibitus non raro violentas & naturæ inimicas operationes exſerit: Namque ſalivatione moleſta non ſolum corpus delaſſat, verum etiam tremorem (motus convulſivi ſpeciem) paralyſin, contracturam, imo diarrhæam, cocitatem nonnunquam inducit. Sulphur quoque antimoniale intus per ſe adhibitum non ſolum nauſeam movet ſæpiſſime, ſed & vomitum, imo ſedes. Ex hiſce perſpicimus, Sulphur Antimonii ac Mercurium vivum adſcendere quaſi in levia venena. Aſt feliciſſimæ ſunt conjunctiones ac confœderationes nonnullorum metallorum ac mineralium, ceu ſalutarium aſtrorum, adeo, ut utriuſque operatio violentior per ſe compoſitione & mutua confermentatione valde cicuretur, imo viribus collectis & adauctis virtuoſiſſima evadat. Sic medicamenta ex Venere parata plerumque ſunt emetica: poteſt autem tinctura interveniente martis & Antimonii connubio ex Venere parari rubicunda, gratiſſimi ſaporis, quæ ſudorem, non autem ullam nauſeam movet. Porro regulus Antimonii in ſubſtantia ob vim emeticam ac virulentam virtutem interne non poteſt propinari. Interim tamen in ſale c. tanta latet virtus, ſi hoc rite cum regule miſceatur & liquetur, ut ipſi omne venenum demat, & inde exſurgat pulvis ex rubro obſcurus ſudoriferus, præſtantiſſimum maſſæ ſanguineæ depurativum; in proclivibus ad vomitum nonnunquam ita juvat naturam, ut ille promoveatur. Eodem modo Mercurius vitę cum ſale com: bene trituratus vel melius adhuc liquatus degenerat in medicamentum ſudoriferum vel etiam purgans. Mercurius ſublimatus infamatum illud venenum cum Mercurio vivo debite permixtus fit medicamentum tutiſſimum ac leniſſimum, quod Mercurii dulcis nomine venit. Emetica ex Antimonio & Mercurio parata conjugio ſolis in leniſſima medicamina abeunt, facultate illorum draſtica maximam partem ablata. Sic quoque vitrum Antimonii ejuſdemque familiæ Mercurius vitæ aſſociatus Mercurio vivo blando ignis temperamento

juxta

juxta *Schroderum in Pharmacop. p.* 409. benigniſſimus leniterque purgans evadit, vel etiam ſudoriferus, ſi pars una Mercurii vitæ & partes quatuor Mercurii dulcis aſſumantur ac coquantur invicem in panaceam *Riverianam* articuartiam dictam. Vid. *Hartmannus in Crollium p.* 67. Sulphur veneris volatile cum Mercurio vivo debite junctum & fixatum ſit ſumma panacea. Porro quoque notabile eſt quod ſi arſenicum, ſummum illud venenum, cum anatica Antimonii & Sulphuris vivi proportione miſceatur & fluat in phiola clauſa fortiſſimo igne, materia obſcure rubicunda emergat, quæ Lapidis magnetici nomine venit, & quod hæc materia citra nocumentum tuto objici poſſit canibus ad devorandum. Videmus ex hiſce, unum venenum alterum corrigere. Eodem modo quoniam in compoſitione Cinnabaris Mercurius cum Sulphure Antimonii conjungitur, corrigens in quovis horum corporum latet virtus, qua nimirum alteri virulentia demitur, puta acrimonia ſalina debellatur. Nempe Sulphur Antimonii cum acido menſtruo paratum, licet præcipitatum fuerit cum alkalino, emeticum tamen eſt ob ſpicula acida relicta: contra ſi Sulphur Antimonii cum ſale alkalino, quo ſolutum fuit, intus detur, nullumque ſal acidum ad ejus compoſitionem accedat, eſt diaphoreticum. Ergo acidum ſolum additum ipſi fœnerat draſticam vim: Acidas itaque has particulas imbibit ac abſumit in noſtra compoſitione Mercurius, qui ob particulas terreas metallicas, quibus conſtat, acidi admodum rapax eſt: quod patet, quando Mercurius vivus ſublimato adjunctus ipſi demit corroſivitatem. Deinde corrigitur quoque Mercurius vivus in noſtra compoſitione ita, ut non poſſit venenatam induere naturam, a copula nim. ſulphuris Antimonii. Utpote Mercurius ſimul ac ſalino afficitur contagio, tranſit in venenum: ne autem ſpicula ſalina in ſanguine vel lympha aggredi poſſint ipſum, ſeque cum ipſo conjungere impedit textura ſulphuris anfractuoſo contextu ramoſiſque tricis prædita. Videmus enim, ab aqua forti plumbum vel alia metalla vix ſolvi poſſe, ſi illinantur oleo.

Ex hiſce perſpicimus, Cinnabarim, licet conflata ſit ex duobus venenatis corporibus, medicamentum tamen exiſtere poſſe nobiliſſimum.

Quod attinet modum agendi Cinnabaris, illa non operatur qualitatibus primis vel ſecundis, ſed tertiis Spiritualibus æthereis. Obſervamus nim. Cinnabarina non ſolum ſed omnia Mercurialia ac metallica non obſequi fermento ventriculi, in minori doſi operari & ſæpe integris viribus permanentibus per alvum iterum excerni, uti pilulæ perpetuæ ex regulo confectæ hoc faciunt teſtatum. Sic aqua licet centies ebulliat cum Mercurio vivo juxta *Helmont. & Poterium*, Mercurio nihil ponderis decedit & aqua illa virtutem anthelminticam ſemper obtinet. Eodem modo vinum ſuperfuſum vitro Antimonii ſæpius, illud emeticum ſemper exiſtit, quanquam vix deprehendi poſſit ponderis decrementum. Cinnabaris Antimonii uncia ſemis ſi ſuſpendatur in dolium vini *p.* 24. horas, vinum egregiis imbuit virtutibus, ut ejus cochlear unum per aliquot dies ſumptum miros præſtet effectus. V. *Helmont. in Tr. in herb. verb. & lapid. eſt magna virtus*. Ex hiſce patet porro ratio, cur aqua in qua Cinnabaris Antimonii vel nativa elutriata fuit, licet ſtet diutius ſuper Cinnabarim, non facile putreſcat ac corrumpatur. Liquores quoque, in quibus ſæpius aurum exſtinctum, mire laudantur & inſtar auri potabilis habentur *a Burrho in Ep. ad Bartholinum*. Plura de aquis metallicis *vide in Dn. D. Majoris Genio errante*. Habent nim: omnia metalla ac mineralia effluvia ſua ætherea ſpirituoſa ſenſibus occulta, quibus virtutes ſuas exſerunt quaſi magneticas ac lucidas. Experimentum eſt vulgare magnetis, qui atmoſphæram habet effluviorum ab ipſo corpore ſecedentium, quæ in diſtans agere poſſunt & ferrum movere, ſeu acum magneticam, licet hæc duabus ſpithamis diſtet a magnete.

Porro Gas illud ſive effluvia ſulphurea quæ emergunt ex præcipitatione ſulphuris aurati cum aceto facta per clauſas cyſtas penetrare & argentea vaſa flavo colore inficere poſſunt. Martem attrahere venerem

nerem ſeu potius venerem pelli ad martem patet, ſi ſolutioni veneris viridi cum ſale ammon. & aqua c. factæ ferri limatura immiſceatur, quæ ſtatim venerem attrahendo mixturam ſeu ſolutionem claram reddit. Mercurium vivum aurum appetere, illudque albo argenteo colore imbuere, etiam vulgo notum.

Hiſce abunde metallorum Spirituoſæ particulæ probari poſſunt.

Effluvia hæc ſubtiliſſima cum ſint corporea & a corpore promaneant, etiam in corpore noſtro virtutes eximias exhibere ac Spiritus afficere poſſunt. Ex hiſce quam facillime intelligere poſſumus, quid velit *Helmont. in tr. in herb. verb & lap. eſt magna virtus*, dum inquit: metallica medicamina, gemmas, Sulphura mineralium citra ſui diſſolutionem, interitum ſolo adſpectu, nudo contactu, irradiatione ac radiorum lucidorum ejaculatione in partibus, quas tranſeunt, vires ſuas exſerunt, imo ſunt inſtar aſtrorum lucentium & ſpeculorum lucidorum, radios ſuos eminus in ſopitum vel ſuccenſum archeum evibrant.

Agit itaque Cinnabaris ſolis æthereis ſubtiliſſimis effluviis ac atomis, ſenſibus, ſed non rationi occultis; hinc, quo magis eſt per rectificationem ſpirituoſa reddita, ac ſubtiliſata, eo virtutes luculentiores exhibet in curatione morborum.

Quomodo autem ſubtiliſſimæ hæ æthereæ moleculæ a Cinnabari promanantes tantas virtutes edere poſſint, opus eſt, videamus.

Præſupponimus nimirum ventriculum ac inteſtina maxime tenuja compoſita eſſe non ſolum ex membranis muſculoſis, ac nerveis, verum etiam glanduloſis poroſis (ubi ſanguis & lympha Spirituum vehicula cum ipſis Spiritibus undulantur) ad ingeſta digerenda & quintam illorum eſſentiam extrahendam, inutileſque partes ſeparandas. Nimirum ingeſta varii generis fermenteſcibilia in ventriculum deſcendentia ac inteſtina tranſeuntia mediante ſaliva ac lymphatico menſtruo, accedentibus effluviis calidis æthereis ſulphureis ſanguinis, reſolvuntur, ac compages arctior recluditur: cum ingeſtorum natura ipſa ſit fermenteſcibilis, impetum ſuſtinens ac efficiens: particulæ hinc ſolutæ ac extractæ volatiliores ſulphureæ ſtatim per poroſam corporis ſubſtantiam avolant ac Spiritibus vires ſuffundunt, fixiores autem mucilaginoſæ ſalino Sulphureæ per glanduloſam ac poroſam tunicam filtrantur, ac beneficio glandularum, quæ fermento ſingulari præcipitante præditæ ſunt, in chylum lacteum abeunt, qui per vaſa lymphatica, quæ omnia ſunt chylifera, imprimis autem per ductum thoracicum cum lympha ſanguini communicatur. Eodem modo quando propinantur medicamenta & in ventriculum deſcendunt, archeus ceu totius naturę Alchymiſta reſolutionem ac extractionem partium ſolubilium machinatur beneficio lymphatici microcoſmici menſtrui. Eſt enim in lympha corporis noſtri virtus menſtrualis ætherea penetrantiſſima, cujus beneficio & oſſa imo metalla nonnunquam, ut ferrum, plumbum, reſolvuntur, uti obſervationes variæ proſtant: Parili ratione archeum ſeu Spiritum noſtrum in ventriculo exiſtentem agere in medicamenta metallica ac Cinnabarina & ex illis, quantum fieri poteſt, virtutis medicamentoſæ ſolubilis extrahere, concludendum eſt: quæ virtus poſtmodum cum lympha ipſa conjungitur & ſic per glandulas fertur ad partes, & ipſas Spirituum palæſtras, muſculos ac membranas (ubi vitalis Spirituum eſt fermentatio) illiſque facultatem ſuam imprimit: Qualis autem hæc facultas ſit videbimus.

Habet nimirum quælibet totius machinæ corporeæ pars ſuum peculiare fermentum, ſuam digeſtionem, ſuum excrementum, ſuum ſtercus, ut ingenioſe philoſophatur *Paracelſus l. d. modo Pharm. p. 770.* Gaudet namque quævis pars ſua ſpecifica textura ſeminali (quæ aliis audit Spiritus inſitus) hæc, omnis tranſmutationis ſpecificæ cauſa primaria, excitatur per Spiritus influentes animalem & vitalem: hinc glandulæ, vaſa lymphatica, venæ & arteriolæ ubique adſtites ſunt, ut lymphaticum Spirituoſum fermentum partibus ſubminiſtrent, cujus beneficio ſuccum ſeu ſerum nutritium adductum ulterius reſolvunt, coquunt parteſque he-

te-

terogeneas per poros ac evacuatoria ab homogeneis ſeparant. Non aliter enim ac metallis nobiliſſimis impuræ heterogeneæ metallicæ ſordes intimius adhæreſcunt : ſic quoque omnibus cibis & alimentis intimius illæ cohærent : adeoque quo omnes ſeparentur et ambroſia ſeu quinta eſſentia ſecedat in corporis et vitalium ſuſtentaculum, provida natura ubiq; ventriculos et evacuatoria appoſuit. Quod ſi autem lymphatica partium fermenta non rite ſint conſtituta, ſi Spiritus influentes peccent, ſi chylus nutrititius in prioribus digeſtionibus a ſalibus et impuritatibus non rite fuit expurgatus, fit ϛάσις, acescentia ac vappeſcentia humorum, pori partium a ſaburra tartarea, quæ procedente tempore acrior ſemper redditur ac vertitur calore in ſummam corroſivitatem) obſtruuntur : hinc fermenta naturalia partium immutantur, peregrini mortiferi acidi fracidi odore juxta *Helmontium* oriuntur, qui dolores inferunt, nutritionem impediunt, ulcera producunt ac motum partium inhibent. Taliſmodi ſordes acidas ſtagnantes tartareas omnium morborum mineram ac matricem præbentes, Cinnabarina reſolvunt, fluoreſque omnes totius corporis in ordinem ac motum redigunt, & vaſa poroſque obſtipatos a tartarea fœculenta ſaburra liberant atque aperiunt, & ſic pene omnibus morbis, cum ab obſtructione ortum pene omnes ducant, Cinnabarina medentur.

Agunt itaque Cinnabarina ceu medicamenta Mercurialia reſolvendo, non autem abſorbendo ac præcipitando, ut nonnulli volunt : Acidum enim ſi affundatur Cinnabari, illud non abſumitur, uti alkalibus id ſolemne eſt, ſed integris viribus permanet.

Quod autem Cinnabarina lympham movendi facultate gaudeant patet exinde, quia maximam partem conſtant in Mercurio uti ſuperius edoctum fuit. Mercurialia autem lympham movere, ſalivatio lue Gallica laborantium Mercuriali inunctione inducta abunde docet. Mercurius namque cum conſtet ex puriſſimis ætheris ad nullam formam determinatis ſubtiliſſimis particulis & terreſtribus metallicis, hinc ex conſymboliſmo Spiritus animales omnis ſenſus ac motus parentes alloquitur ac immediate afficit, motumque illorum promovet ſubtiliſſimis ſuis particulis; Quoniam autem illis ſcoriæ heterogeneæ terræ metallicæ plures immixtæ ſunt, & illæ, ſi ſal quoddam ipſis aſſocietur, in ſumme ſtypticam corroſivam venenatam naturam abeunt, fit ut glandularum ac nervorum pori plus juſto contrahantur, neque amplius hient, ut Spiritus influere poſſint, & hinc ſæpe horrenda ſymptomata ſequuntur Mercurialium uſum. Nihil autem periculi facile timendum eſt, quod uſum Cinnabaris attinet : hæc enim Sulphure Antimonii conſtat, quod tricis ſuis pinguibus anfractuoſis obducit Mercurium, hinc non facile ſalia aſſociari ipſi poſſunt & copulam cum illo inire, adeoque in venenum abire, uti Mercurialia cruda. Quod autem porro Cinnabarina Spiritus animales, qui omnem motum fluorum ac lymphæ in toto corpore procurant, afficiant, conſtat exinde, quia, ut docet *Helmontius in tr. Catarrhi deliramenta* Mercurius foris illitus, fauces, dentes, linguam afficit, imo mercuriali aſſumpto larynx ac fauces nonnunquam præcluduntur. Quapropter a Mercurialibus motis Spiritibus animalibus movetur quoque lympha, quæ perpetuum habet cum ipſis commercium.

Perſpicimus exinde, Cinnabarim noſtram immediate Spiritus animales afficere illorumque motum promovere, adeoque univerſale omnium humorum ſtagnantium eſſe reſolvens ac ſpecificum catholicum, & unicum omnium ſalium ſolvendorum arcanum, & cum omnes pene morbi ab obſtructionibus proveniant, quaſi veram panaceam. Dum enim Cinnabaris omnes obſtructiones tollit & in ordinem excrementa Spirituoſa ſtagnantia redigit, eſt nobiliſſimum purificans ſanguinem, fermenta peregrina citra ullam ſenſibilem mutationem deſtruens, anodynum, nervinum, omnes evacuationes (alvi, urinæ, ſudoris, ſalivæ) promovens, putredini reſiſtens, antifebrile, antiſpaſmodicum, arthriticum, antiſcorbuticum, pectorale imo omnium morborum feliciſſimus alexicacus. Sane digna eſt Cinnabaris

ris panaceæ titulo, quamvis non negem dari longe præſtantiores ac nobiliores panaceas: ſtatuimus tamen primo, nullo alio modo operari poſſe panaceas quam vali, quali Cinnabaris agit: nim: Spiritus ſerenando ac humores reſolvendo: Secundo ex principio ac elemento Sulphureo & Mercuriali conflari debere panaceam veram, uti Cinnabaris.

Si nimirum Mercurius vivus ſit ab omnibus externis heterogeneis ſcoriis ac impuritatibus liberatus, ac Spirituoſus virgineus philoſophicus redditus, & poſtmodum ſingulari artificio fixatus cum ſolis connubio debito, ſumma medicina catholica exinde parari poteſt, quæ omnibus morborum indicationibus ſatisfacere poſſit. Quanquam plures dentur modi acquirendi veram panaceam, illum tamen pro optimo ac commodiori habeo, ſi Mercurius, ſecundum *Philalethum in Introitu aperto ad Occluſum Regis Palatium*, ab omnibus heterogeneis externis ſcoriis liberetur ac Philoſophicus evadat, ita ut pars amalgamet partes duas ſolis. Proceſſum *Philalethæ* non ſolum tradit præfato in tractatu, verum etiam longe accuratius ac magis perſpicue in *tr. Anglico cujus Tit. hic eſt: Ripley reviv'd' or an expoſition upon Sir George Ripleys Hermetico-Poetical vvorks*.

Et hoc pacto ac ratione veram viam vides ſtratam acquirendi ſummam medicinam univerſalem. Plura circa hanc materiam tractabo in tractatu propediem edendo cui *Tit. Vera panaceæ inquiſitio, & examen omnium medicamentorum Chymicorum falſo pro panaceis venditatorum*.

CAP. VI.

De Viribus ſpecialibus, variis medicamentis internis & externis, cautelis.

CInnabaris noſtra quam optime omnes evacuationes juvat ac promovet, dum nimirum Spiritus ſerenat, confortat, qui deinde excrementa hoſtilia per debita ſua evacuatoria quam commode proſcribunt, adeo, ut ſæpe obſervatum fuerit, Cinnabarim Antimonii non ſolum ſudorem excitaſſe, verum etiam fortiter purgaſſe ac ſalivationem concitaſſe, vid. *Wedelius in Tr. de Medicam. facultat. p. 152.* Sic quoque pulvis abſorbens *Wedelianus*, quem ingreditur Cinnabaris, ſæpe vomitum effeciſſe obſervatus fuit. Poteſt itaque Cinnabaris noſtra quam commode miſceri cum purgantibus, ſudoriferis, ſalivantibus &c. Natura enim confortata optatius præſidet evacuationibus. Sic *Dn. D. Wedelius*, Cinnabarim Antimonii maritatam cum tartaro emetico mire commendat *ad vomitum* movendum. Poteſt commode ſic miſceri ℞. tartari emetici gr. ii. croci metall. gr. i. Cinnabaris Antimonii gr. iii. Miſcef. pulvis. Pro ſcopo *purgandi* eleganter miſcetur cum pulvere vegetabili vel gialap. reſinoſ. additis Salibus v. gr. cremore tartari, tartaro Vitriolato & pauxillo olei macis vel citri. *v. Dn. D. Sculzius in Scrutin. Cinnabarino p. 86.* Inter *ſudorifera alexipharmaca* ſanguinem depurantia commodum locum invenit. Poteſt miſceri vel cum Sal. volat. ſal. ammoniaci it. cum Sale C. C. volat. a ſaccharo Saturni ſublimato (quod commendat *Helvetius in Microſcop. phyſignom. p. 42.*) vel cum Sulphure aurato Antimonii, Antimonio diaphoret. ſpina ſerpentin. fl. Sulphuris, CC. ſ. igne. Inter *diuretica* quoque ejus uſus excellit, ſi amicabile connubium ineat cum arcano duplicato, Sale Succini volatili, lapidibus Cancri, tartaro tartariſato *Ludoviciano*; Tandem quoque Cinnabarina, ut *ſalivam moventia*, egregiam laudem merentur. *Dn. D. Cramerus* magni æſtimat & in omnibus fere malignis febribus mixturas ſalivæ fluxum promoventes præſcribit, quas ſemper ingreditur Cinnabaris. Si ſaliva (excrementum maxime Spirituoſum, in malignis fluat, certum ſalutis indicium. Hinc frequenti in uſu hancce habet. ℞. Aquæ card b. baſilic. ſcordii an. ℥j. aceti ſcyll. ʒvi Cinnabaris Antimonii ∋ß. bez. mineral. Sennerti an. ∋ij. Mixt. ſimpl. ∋j. M. F. Mixtura.

In febribus intermittentibus Cinnabaris Antimonii egregiam locat operam (præmiſſis emetico-diaphoreticis, Salibus aperitivis antifebrilibus, ſudoriferis & diureticis,) habet enim virtutem reſolven-

vendi, Spiritus confortandi, fermenta peregrina præcipitandi, furibundum ſpirituum motum coercendi, ſi præprimis miſceatur cum Præcipitantibus, aperitivis, opiatis v. gr. cum Antimonio diaph. lapid. Cancri, tartaro Vitriolato, conchis præparat, Sale volatili aperitivo (ex Spiritu ſal ammoniaci & Spiritu Vitrioli enato) addito pauxillo laudan. opiat. etiam pro re nata guttula adjecta Olei antifebrilis. Optimum eſt ſtratagema, cum præcipitantibus in febribus jungere Salia aperitiva diuretica, quo ſcoriarum tartarearum ſaburra præcipitata eliminari poſſit. *B. meus Parens* frequenti in uſu habuit Salia antifebrilia. v. gr. arcanum duplicatum tinctum cum Cinnabari nativa vel Antimonii, item Sal exurgens ex combinatione Spiritus ſal. ammoniaci & ſpiritus Salis, miſtum cum Cinnabari Antimonii. Hæc Salia una quaſi falce demetunt febres.

In febribus malignis, variolis, morbillis, ſi indicia adſunt convulſionum, ſi vigiliæ, dolores graviores, optimo conſilio tunc pulvis bezoardicus compoſitus ex Antimonio diaphoret. terra ſigillata, CC. ſ. igne, rad. contrajervæ, lap. bezoar, maritari poteſt cum Cinnabari Antimonii, paucis granis additis magiſt. anodyni, vel cum pulvere bezoardico *Sennerti*, pannonico rubro non inconcinne Cinnabaris noſtra miſcetur.

In *affectibus capitis, vertigine, epilepſia, paralyſi, apoplexia*, &c. inſigni encomio digna ac omnibus palmam præripiunt Cinnabarina. Præmiſſis prius medicamentis ſpecificis cephalicis v. gr. Elixirio cephalico miſto cum Spiritu cephal. volatili, vel antepileptico *Hartmanni*, Mixtura ſimpl. it. præmiſſis ordinariis evacuantibus, pulveres cephalici omne punctum abſolvunt. Egregius hinc eſt pulvis cephalicus *Ludovici v. Pharmac. p. 642. 643* v. gr. ℞. pulveris bez. ʒj. ſuccini albi præparat. ʒß. Cinnabaris nativ. vel Antimonii ℈j. laudan. op. gr. iij. M. F. pulvis. Inter omnes excellit ſpecificum cephalicum *Michaelis*, *Mœbii*, Panacœa *Anvvaldina*. Sequens quoque laudem meretur v. gr. ℞. Cinnabaris Antimonii, cranii human. ungul. alcis an. ℈iß. bez. Lunaris, ſmaragdi præp. an. ℈j. croci ℈ß. ambræ gr. ij. M.F. pulvis. Sic novi quoque feliciſſimum Practicum, qui pro ſummo arcano habet in epilepſia Cinnabarim Antimonii, quæ probe clyſſo Antimonii Sulphureo imbuta eſt, ac imbibita.

In *Mania, melancholia* propinatis prius emeticis evacuantibus, Martialibus aperitivis, ac Salibus volatilibus cephalicis, Cinnabarina commiſta cum arcano duplicato, camphora, ſaccharo Saturni pro re nata addito laudano opiato miris encomiis ornat ac magni æſtimat *Dn. D. Ettmullerus*.

Porro in *vigiliis, doloribus, affectibus ſpaſmodicis* omnibus, optima ſunt Cinnabarina exaltata laudano opiato it: præcipitantibus miſta v. gr. conchis, matre perlarum, Antimonio diaphor. ocul. Cancri, cornu. C. ſ. igne.

In *affectibus* quoque *thoracicis, tuſſi, aſthmate, diſpoſitione phthiſica* omnem laudem ſuperant. Præmiſſis pectoralibus balſamicis ſulphuratis & myrrhatis aperientibus, Martialibus, it. nitroſo balſamico Sale gaudentibus diureticis, pulveres pectorales, quos Cinnabarina opiata ingrediuntur, omnem paginam abſolvunt; v. gr. ℞. mag. Saturni, ocul. Cancri an. ʒß. Cinnabaris Antimonii, flor. ſulphur an. ℈j. fl. benzoes ℈ß laudan. op. gr. ij. Olei aniſ. ge. ij. M.F. pulvis. Sequens in tuſſi humida a *Dn. D. Wedelio* commendatus eximius quoque eſt. ℞. fl. Sulphuris myrrhator. ℈ij. rad. irid. florentari præparat. Antimonii diaphor. an. ℈j. lap. Cancri, Cinnabaris Antimonii an. gr. 15. mag. anodyni gr. M. F. pulvis pro 6. doſ.

Imo ſi prius ſudorifera volatilia v. gr. Tinctura bez. cum Salibus volat. Elixio pectorali vel Tinctura anodyna remixta morbo opponantur, pulvis ſequens antipleuriticus *Wedelianus* deſcriptus in *Opiologia* eſt optimus, ℞ dent. apri phil præp. lapid Cancri, mandib luc. piſc. Cinnabaris n. vel Antimonii an ℈j. laudan. op. gr. j. l. ij.

In *Syncope, palpitatione cordis, deliquio animi* datis prius medicamentis cordialibus confortantibus, antiſcorbuticis,

Mar-

Martialibus, pulvis absorbens Wedelianus (quem etiam ingreditur Cinnabaris) remixtus cum specieb. cordial. temperat: vel perlis, lap. bezoar, Oleo cinamomi, est omnium laudatissimus. Ad confortandos quoque Spiritus vitales & animales sequens Mixtura non improficua, v. gr. ℞. aquæ buglos. cinamom. borrag. rosar. an. ʒvj. succi Kermes ʒiiſs. moschi gr. iſs Cinnabaris nat. l. Antimonii gr. xv. Zibethi, landan. op. an. gr. j. syr. corallor. ʒvj. M. F. Mixtura.

In *Cardialgia, singultu, vomitu*. Præmissa tinctura bez. vel Ess. carminat. nupta Ess. castorei, opii it. externis applicatis carminativis roborantibus nervinis, sequens pulvis admodum proficuus existit. ℞. pulveris bez. ʒj. conchar. præp. Cinnabaris Antimonii an. Ɜj. castorei Ɜſs. laudan. op. gr. ij. Olei cinam. menthæ an. gr. j. M. F pulv.

In *Anorexia, appetitu vitiato*, præmisso vomitorio, Sale volat. cinamomis. cum Ess balsami peruviani vel Spiritu Vitrioli volatili cum Spiritu mastich. mixto, Cinnabarina cum crystall. tartari, lapid. Cancri, terra catechu, rad. aronis juncta, adjectis guttulis Olei cinamom. menthæ, macis, & pauxillo moschi laudatissima sunt.

In *Scorbuto, affectione hypochondriaca, arthritide vaga scorbutica, scabie* Cinnabarina egregium faciunt officium præmissis & interpositis evacuantibus, Martialibus, antiscorbuticis, v. gr. Mist. simpl. cum Ess. fumar. tinctura Antimonii, liquor. Martiali, & Ess-anodyna combinata vel cum Ess. lignorum, tinctura aperitiva *Mœbii*, Ess pini cum Salibus volatilibus, pulveres anodyni præcipitantes e Cinnabari Antimonii, croco Martis (cum nitro parat.) vel pulvere cachect. Qu: succino, Antimonio Martial. cach. lap. Cancri, conchis præparat, Antimonio diaphor. parati, adjecto laudano opiat. vel Oleo aromat. egregio cum emolumento exhiberi possunt. Salia quoque aperitiva v. gr. arcanum duplicatum, Sal succini volatile, tartarus Vitriolatus nobilissimarum virtutum conjugium cum Cinnabarinis ineunt, quæ non satis laudandam in præfatis affectibus ferunt opem.

In *diarrhœa & dysenteria* exhibitis prius medicamentis interne & externe carminativis, theriacalibus, absorbentibus, bezoardicis v. gr. ℞. Ess. theriacal. Ɜij. balsam. peruvian. Ɜj. Ess. anodyn. Ɜj. M. Ad dolores & intestinorum convulsiones tollendas, malignas acres qualitates præcipitandas sequentem pulverem in frequentissimo usu habuit *Dn. D. Cramerus* ℞. terræ sigillat. fl. Sulphuris. Antimon. diaph. an. ʒſs. Cinnabaris Antimonii terræ catechuana Ɜj laudan. op. gr. ij. Olei cinamom. gr. j. Misce. Si malignitas simul adsit, spina serpentina admixta conducit.

In *nephriticis doloribus*, ubi Spiritus maxime afficiuntur, vomitus, optimum consilium practicum per Cinnabarina, opiata, absorbentia naturæ tumultum sistere; hunc in finem laudatur pulvis nephriticus *Ludovicianus*, qui ex ocul. Cancri, Cinnabari, & laudano opiato conflatus est. Inter calculum resolventia Cinnabarina quoque primas tenent partes cum spermate ceti, sale volatili; Succini & aliis remixta. *D. Wedelius* in usu habet laudatissimum pulverem nephriticum sequentem. ℞ spermat. ceti, lap. Cancri, an. ʒſs. Cinnabaris Antimon. Ɜj. Salis volat. succin. gr. iv. laudan. op. gr. ſs. trochisc. de alkekeng. cum opio Ɜſs. M. F. pulv. D. in 4. doses. Hic pulvis resolvit tartareum coagulum, absorbet acidos humores, doloribus ac convulsivis motibus medetur. In *asthmate, catarrho suffocativo* laudem quoque meretur. Præmissis itaque resolventibus in calculo, & anodynis topicis carminativis pellentia cum fructu adhiberi possunt v. gr. tinctura Mœb. aperitiva cum Spiritu succin. mista, Spiritu nitri d. cum Spiritu Salis ammoniaci combinatus & Oleo petroselini impregnatus, tinctura alkekengi cum Spiritu nephrit. & Spiritu Salis parata, quæ egregie pellunt.

In colica, passione hysterica, Cinnabarina, anodyna & castorina omne absolvunt medendi punctum. Præmissa tinctura bez. cum spiritu sal. ammoniaci castor. vel Elix. uterino, it. Ess. anodyn. mista, pulvis sequens *Wedelianus* omni intentioni satisfacit ℞. pulveris absorb. ʒj. bez. Jovialis Cinnabaris Antimonii an. Ɜj. castor. præp. Ɜſs. laud. op. gr. j. M.

In

In *partu difficili* Cinnabarina cum anodynis confortantibus pellentibus maritata multis parasangis antecellunt omnia medicamenta. Hinc hæc mixtura admodum proficua existit. ℞. aquæ cinnamom. puleg. lil. alb. an. ℥j. fell. anguill. ℥ß. borracis, Cinnabaris Antimonii ℈j. Spiritus secund. hum. ℈iß. syr. p. pœon. q.s. M.F. Mixtura.

Ad omnem putredinem, pestem, gangrænam, & febres malignas arcendas, it. lumbricos enecandos sequens pulvis commendatissimus est. ℞. myrrhæ, Zedoar. cort. citri an. ℥ß. Cinnabaris Antimonii ℈j. camph. ℈ß. Olei succin. rutæ an. gr. j. M. F. pulvis.

In *Gonorrhœa virulenta, Lue Venerea, scabie* singularem quoque promittunt energiam atque effectum Cinnabarina; propinatis prius bezoardicis, Antimoniatis, succinatis, lignosis, ac purgantibus sequens pulvis egregius. ℞. Cinnabaris Antimonii, mag. Saturni, succin. Antimon. Martial. cach. oss. sepiæ. an. ℈j. laud. op. gr. ij. M. F. pulvis.

Præter usum internum Cinnabaris Antimonii externe applicata egregiarum virium suarum radium dispergit quoque ad intima sanguinis, dum serum resolvit, fermentales acidos putredinosos sapores ulcerum absorbet, nervos solatur, nobilissimasque exercet virtutes. Sic *Poterius cent. 2. p. 126.* Cinnabarim Antimonii miscet cum aliis in Empl. quo strumas exulceratas tollit. Absceſſus quoque sine dolore ullo suppurare ac rodere Empl. de cicuta *Hildan.* mistum cum Antimonii Cinnabari, autor est *Bogdanus in observ. p. 266.*

In præcordialibus anxietat: Empl. de gummi ammon. cum Cinnabari, Antimonii, ungu. alth. & balsam. peruvian. mistum ad salivam promovendam egregiam locat operam. In scirrhosis quoque duris tumoribus cum Empl. d. gum. ammon. remixta ad illos resolvendos non excludenda est.

In spasmodicis affectibus externe applicita cum aliis commendatur a *B. meo Parente in Clave p. 294.* Potest commode misceri cum ung. alabastrin: oleo hyoscyam. destillato, oleo macis, caryophill. balsam. peruviano. Conducit quoque in capitis doloribus.

In ulceribus malignis, Cancro, herpete, variolis, Dn. D. Cramerus illam magni æstimat inspersam cum ocul. Cancri, mag. Saturni, it. cum lap. arsenicali, balsam. peruvian. vel cum camph. sperm. ceti. Inservit quoque Cinnabaris Antimonii cum succino, Sulphure, mastiche mixta suffumigiis ad movendam salivam, in lue Venerea, scabie, Mercurialia pro suffumigiis sint exclusissima, verum cum Sulphuris triticis fixatus fumus omnem deponit noxam; hinc cum Cinnabaris c. pro suffumigatione usurpetur, nullum dubium, quin Cinnabaris Antimonii purior cum meliori fructu substitui possit.

Singularis quoque est ejus virtus in peste, in omnibus incantationibus si appendatur. [*Vana superstitio*]. Electrum minerale immaturum *Paracelsi*, quod nil aliud est quam Cinnabaris Antimonii, ad incantationes, si collo appendatur, commendatur ab *Helm. de injectis material. §. 7.*

Tandem quoque de Cinnabaris usu restant quædam subjungendæ cautelæ. 1. Corporibus impuris scorbuticis, quæ salia sylvestria ac sordes biliosas possident, non cum optato effectu propinantur Cinnabarina, potius prius humores sunt alterandi & per debita evacuatoria eliminandi. 2. In resolutione sanguinis nimia v. gr. in febribus quibusdam ardentibus, hectica, sudoribus scorbuticis cum Cinnabarinis caute mercari debemus 3. Non eorum usus sit continuus, valde enim gravant ventriculum, ejusque fermentum destruunt. 4. Semper præstat in forma pilulari illa propinare (modo semper liceat) præprimis cum opiatis mista, ne faucibus adhæreſcant. 5. a noxa Cinnabaris Antimonii usum subsequente bez Solate cum præsentissimo auxilio propinatum, liberat; latet enim in ipso magnetismus, quo Mercuriales atomos in corpus sparsas attrahit.

FUNDAMENTA MEDICINÆ EX PRINCIPIIS NATURÆ MECHANICIS IN USUM PHILIATRORUM SUCCINCTE PROPOSITA.

AD LECTOREM.

AUguſte non minus quam ſapienter antiquiſſimus medicinæ parens *Hippocrates lib. de Steril. c.* 18. §. 1. ſcribit: Πειρῶτι φύσικος εἶναι, *Conare ut phyſicus evadas*. Dolendum & dictu turpe eſt, ſapientiſſimum Divi Senis monitum ad hæc tempora uſque negligi ab illis, qui medicinæ ſacris operantur. Tota medendi ſcientia ſine rerum naturalium philoſophia trunca ac debilis eſt, nec ullius morbi explicationi vel prudenti directioni curationis apta exiſtit. Phyſicus in interiora naturæ introſpicit, abditas corporum ſtructuras, temperies, mixtiones ſcrutatur, ex quibus illationes ſuas in medicinam facit feliciſſime. Non autem hic intelligimus ſcientiam ex meris ſpeculationibus natam, ſolidiori experientia ceu prima veritatis parente deſtitutam: ſed talem urgemus, quæ methodo ſimplici, plana, mathematica concluſiones ſuas demonſtrare ac firmare ſatagit. Quantum fulgoris ac incrementi medendi ſcientiæ a paucis temporibus phyſica tali ſolidiori acceſſerit, exprimi vix poteſt. Omnium diſciplinarum; ſic quoque naturalis & medicæ ſcientiæ fundamenta lubrica ac imbecilla ſunt, niſi demonſtrationibus robur ac firmitatem accipiant. Omnes autem veritates maxime petendæ ex matheſi ſunt, quas æternas, a DEO ſtabilitas, & mortalium mentibus ingenitas vocat *Carteſius in epiſtol.* 104. Sola mechanica, anatomiæ & chymiæ nupta, ab humili ad altum hactenus duxit ipſam ſcientiam rerum naturalium & medicarum: tali ſcientia qui rite inſtructus eſt, rerum abſtruſarum cauſas eruere, dubias Medicorum controverſias ac ſententias diſſolvere, remedia valentia vel in deploratis morbis invenire quam feliciſſime poteſt; Pauciſſimis hæc ſcientia utitur principiis, eademque tam artificialium quam naturalium ſunt, nimirum *materia & motus*. Materia unam & ſimplicem dat rebus eſſentiam, varios autem accipit modos, & multifariam ſpecificatur a motu ceu univerſaliſſimo omnium principio, unde fluunt variæ corporum formæ, qualitates, vires, quas unice producit motus; ex varia materiæ diviſione, configuratione, ſitu & ordine. Totius univerſi viciſſitudines & mutationes motui debentur, cujus cauſa eſt ipſe DEUS maximus & ter optimus mechanicus ac primus cunctarum rerum motor, qui non ſolum impulſum omni materiæ

teriæ imprimit, ſed & omnia hujus univerſi corpora in proportionato ſuo ſervat æquilibrio, pondere, menſura & ordine: qui ſtatice & mechanice res produxit, cunctaque in æquilibrio ſuo tenet, quo deſtructo, & rerum virtus forma ac temperies dejicitur. Medicus autem in arte ſua imitatur naturam, & ipſius parentem DEUM, hinc merito naturæ audit miniſter. Eadem enim naturæ & artis medicæ ſunt principia: & uti artifex, qui materiæ naturam & motus leges ac rationes exacte callet, pro lubitu ſuo mutare, deſtruere, componere corpora ſcit; pari modo medicus, iiſdem principiis inſtructus, immutando, reſolvendo, ac varie alterando corpora, maxima & prodigioſa præſtare poteſt: exemplo ipſius chymiæ cultioris & curioſæ. Quivis itaque ſapiens medicus ad talia principia mentem accommodare debet, ſic facili via omnes controverſias ac litigia in medica ſcientia occurrentia tollere, dubia ſolvere, ſectarum originem & errorum cauſas perſpicere feliciter poterit. Multarum ſectarum in medicina ortum ignorantiæ naturalis philoſophiæ adſcribendum eſſe, vero videtur ſimile. Cordate itaque & aperte fateor, nullum vere rationalem medicum eſſe, niſi qui phyſicus ſit perfectus, & principiorum naturalium exactam cognitionem habeat; & ſi dicere licet, quod res eſt, nil niſi ſubtilis empiria, veris rationibus deſtituta, facundia ſaltim & ingenio tecta, hactenus inter plures medicos regnavit, qui etiam ſapientiſſimi videri volebant. Equidem non cenſendum, antiquiores & omnes, qui tali philoſophia carent, ob eleganter fideliſſimeque multa tradita negligendos penitus eſſe; utpote ex quorum ſcriptis hiſtoriæ & morborum obſervationes, & quæ ad prognoſin pertinent, ſufficienter peti poſſunt; illis tamen anteponendos credo, qui altius & ſubtilius excolunt ipſam naturam & ejus ſtudium, in ſubſidium vocatis experimentis variis ex mechanica, anatomia & chymia deſumptis. Non tamen & hic in mera ſubtilitate ſubſiſtere, ſed & fructus inde petere, & omnia transferre ad uſum debent, unde non minus a prudentia & uſu, quam ſcientia commendandus eſt medicus. Magnum quid medendi ſcientia eſt, nec minus prudentia & ſapientia medici; illa medicinæ oculus, hæc manus eſt: abſque prudentia nec tempora luſtrare medicus rei gerendæ, nec præcipites captare occaſiones, vel in prognoſticis caute ſe gerere, & famam aucupari poteſt. Uti autem ſcientia optime comparatur ex Neotericis & philoſophia moderna, ſic prudentia ſapientiaque ex antiquioribus, variis obſervationibus, & ſe ipſum rebus gerendis accommodando addiſcitur. Ex hiſce itaque adductis liquidiſſime conſtare puto, quomodo tractari debeat ſtudium medicum: uti autem in omni diſciplinarum genere: ſic quoque in ipſa arte medica firma ac ſtabilia oportet habere fundamenta ac præcepta, quibus cultorem hujus artis inſtituere poſſimus, ut feliciſſime deinde in cæteris progredi poſſit. Hæc autem præcepta præcipue commendare debet perſpicuitas, brevitas, ordo, ut omnia rite inter ſe connexa ſint. Suſcepi hoc in me laboris, & totius medicinæ fundamenta in breve ſyſtema & corpus facillima methodo conſtitutum redigere allaboravi, juxta normam ſanioris modernæ philoſophiæ mechanico-chymicæ, ut totam medicinæ ſcientiam inde per breve temporis ſpatium commode haurire liceat. Nihil quod fundamenti loco inſervire poteſt & ſcitu in medicina neceſſarium hic omiſſum arbitror: abſtinui a prolixitate controverſiarum & quæſtiuncularum maleferiatarum mole, nauſeoſa ſententiarum compilatione, quibus gravare & retundere diſcentis mentem alii conſuerunt; ſed illud ſaltim quod ſolidum, quod demonſtrari poteſt, & principiis phyſicis & mechanicis innexum eſt, inſinuavi, non ad gloriam, ſed in gratiam & utilitatem diſcentium ſimul & docentium. Qui autem hæc ringunt & in aliorum ſcripta livere conſueſcunt, tentare velint, ut hæc meliora faciant; nulli enim ad gloriam clauſa janua eſt. Non dubito plures ex hoc labore uberrimum fructum petituros eſſe: experti

quoque ſunt diſcipuli mei, quibus hæc hactenus prælegi & explicatione illuſtravi, e quibus tantum eos nominatim laudare nunc viſum eſt, qui theſes has ex cathedra publica, me præſidente & moderante, fortiter & erudite defenderunt, videlicet

CHRISTOPH. WILHELM Gattier, Grena Guelpherbyt.
JOHANN BALTHASAR SCHONDORFF, Hallenſ. Saxo.
JOHANN NICOLAUS Koper, Halberſtadienſ. Saxo.
MARTINUS CHRISTIANUS LuTZO, Cellenſis.

Utere igitur, B. L. hoc labore meo, quem ſi non ingratum Tibi fuiſſe cognovero; alias etiam ejuſdem artis curas, quas meditor, inpoſterum communicabo.

CAPUT I.

De Natura Medicinæ.

I.

MEdicina eſt ars, bene utendi principiis Phyſico-Mechanicis, ad ſanitatem hominis conſervandam & amiſſam reſtituendam.

2 Incertitudo & ignorantia veræ Philoſophiæ Naturalis variarum in Medicina Sectarum origo & cauſa eſt.

3 Sapienter dixit Hippocr. lib. de Steril. Πειρῶτι φύσικοι εἶναι: *conare ut Phyſicus evadas.*

4 Vera Medicæ artis fundamenta ex principiis Naturæ petenda ſunt; hinc Medicus Philoſophus juxta Hippocr. Deo æqualis habetur.

5 Medendi ars omnium antiquiſſima, & Hippocrates antiquiſſimus Medicinæ parens, & ſcriptor.

6 Medicus Naturæ miniſter, non magiſter eſt: & eadem principia Naturæ ac artis ſunt, hinc cum Natura operari & agere debet.

7. Duo in Medicina fulcra ſunt experientia, quæ prima veritatis parens, & ratio, quæ clavis ſcientiæ Medicæ eſt. Experientia ordine præcedit & ratio ſequitur. Hinc rationes in rebus Medicis experientia non conditæ nihil valent.

8 In phyſicis experientia optime peti poteſt ex matheſi Mechanica, Chymia, Anatomia: In praxi Medica ex obſervationibus morborum Hiſtoriis & Curationibus accuratioribus, experientia fluit uberrima.

9 Medicina quatenus utitur principiis Phyſicis, recte ſcientia, quatenus practicis, Ars dici poteſt.

10 Ad Medicum perfectum non ſolum requiritur ſcientia artis Medicæ ſed & Prudentia ac Sapientia.

11 Subjectum Medicinæ non ſolum eſt corpus, ſed ipſa mens, quatenus illius commercio utitur, hinc motus mentis ſeu cogitationes maximam partem dependent a motu & temperie humorum.

12 Medicus finem ſuum non ſemper obtinet feliciter, vel quando machina, quoad partes ſuas præcipuas prorſus eſt deſtructa, vel quando nulla inter morbum & medicamentum amplius eſt proportio.

CAPUT II.

De Principiis Rerum Mechanico Phyſicis.

I.

UTi tota Natura ſic quoque Medicina debet eſſe Mechanica.

2 Principia Mechanica ſunt Materia & Motus: figmenta ergo ſunt Peripatheticorum & Chymicorum excogitata elementa.

3 Ma-

3 Materiæ eſſentia conſiſtere videtur in extenſione: Ex hac fluit finitudo, figura, diviſibilitas ac impenetrabilitas.

4 Motus eſt primum & univerſaliſſimum rerum principium & cauſa efficiens omnium formarum; & uti Materia omnibus rebus communem dat eſſentiam, ſic motus ſpecificam illis largitur.

5 Materia uti differt ratione figuræ, ſic quoque magnitudinis, & optime dividi poteſt trifariam, nimirum in materiam ſubtiliſſimam, ſubtilem ſeu ætheream & craſſiorem, ſeu terreſtrem & aqueam.

6 In omnibus corporibus ſolidum & fluidum obſervatur. Fluiditatis cauſa ſunt duo priora elementa, ſoliditatis autem poſterius.

7 Omnia corpora naturalia ex triplici hac materia ſunt conflata, & prout particulæ figura & extenſione differunt, ex quibus artificioſe inter ſe combinatis in certum ordinem conſtant, eo variant quoque formæ & qualitates corporum.

8 Nullæ dantur formę ſubſtantiales, ſed omnes reſpectu materiæ ſunt accidentales, licet ratione compoſiti eſſentiales vocari poſſint; hinc omnes formæ ſunt materiales, & invicem transmutari poſſunt, producuntur mechanice: non autem ſunt materiatæ.

9 Magnitudo, figura, motus, quies, radicales & catholicæ, ſimplicium corporum ſunt affectiones, hinc ex illis omnium phænomenorum & effectuum naturalium ratio petenda eſt.

10 Uti Deus prima cauſa eſt omnis motus: ſic quoque omnium formarum: Materia enim quæ pure paſſiva eſt requirit neceſſario agens quoddam, quod illam in tam diverſiſſimas formas, quæ mundum abſolvunt, diſtinxerit, ſeu quod extenſum illud in varias diverſas partes diviſerit, figuraverit, moverit ac translocaverit, quod principium eſt ſolus DEUS.

11 Nullum corpus motum inchoat, niſi impulſum ſit ab alio.

12 Cauſa efficiens motus eſt preſſura corporis fortior ad aliud minoris preſſionis, ſic hoc illi cedere cogitur.

13 Omnis motus natura ſua eſt rectilineus, niſi quid impediat, hinc oritur motus vel reflexus vel refractus.

14 Quantitas motus vel ex celeritate, vel ex corporis mole æſtimanda eſt.

15 Omnis motus qui in tota rerum natura fit, peragitur pulſione non autem tractione.

16 Æquilibrium in rebus naturalibus ſemper obſervatur, in quo ſi corpora conſtituta ſunt, quieſcunt: deſtructo autem hoc, moventur tam diu, donec ratione gravitatis locum occupaverint, in quo ſubſiſtere poſſint.

17 Corpus ubi ingreditur alterius locum, hoc alterum inde expellit.

18 Motus non poteſt eſſe ſine medio, per quod mobile fertur, hinc omnis motus inter circumſtantia fit corpora.

19 Corpus quo minus eſt & rotundius, eo ad motum promptius, quo ramoſius autem, poroſius & anguloſius eo minus.

20 Cauſa prima motus eſt materia ſubtiliſſima, cui Deus immediate impulſum impreſſit.

21 Quoniam omnia corpora molem, & hinc preſſuram habent, hinc omnia tendunt ad centrum terræ & ſunt gravia.

22 Nullum corpus abſolute leve eſt, ſed ſaltim unum altero magis vel minus grave, quod dicitur leve, hinc omnis gravitas & levitas eſt reſpectiva.

23 Quoniam omnis motus fit in fluido, hinc pro diverſitate fluidi corpora vel aſcendunt vel deſcendunt.

24 Nullum corpus propria vi aſcendit, ſed ab ambiente extrinſeco fluido graviori ſurſum pellitur, hinc nullum gravitatis principium eſt in corporibus.

25 Corpora duo dummodo ejuſdem materiæ, diverſæ licet magnitudinis, æquali niſu tendunt verſus inferiora.

26 Centrum gravitatis eſt, ubi eſt punctum lineæ directionis.

27 Fluidorum cylindri tanto magis gravidant in corpora, quanto ſunt altiores.

28 Corpus quo magis eſt poroſius & principiis primi & ſecundi elementi magis abundat, eo eſt fluidius.

29 Cohæſionem particularum in corporibus duris efficiunt expulſio materiæ

ſubtilis & compreſſio fortior cylindri aerei & ætherei externa.

30 Fluidorum particulæ in perpetua ſunt agitatione & motu, hinc facile ſolida & fluida reſolvere poſſunt.

31 Solidorum natura in quiete particularum conſiſtit, hinc quæcunque in motu ſiſtere poſſunt particulas fluidas uti ſunt, v.g. ſalia acida, rigida, ex fluidis ſolida efficere poſſunt.

32 Natura in pleriſque incipit a fluido & deſinit in ſolidum.

33 Omnia corpora reſolvi ac emolliri poſſunt, ſi particulæ elaſticæ vel igne vel menſtruis impingantur iiſdem.

34 Solutio fit, quando ipſius corporis ſoluti minores moleculæ ſub propria forma interveniente menſtruo ſaltim dislocantur ac diſtrahuntur.

35. Quodlibet corpus habet circa ſe athmoſphæram h. e. maſſam inſenſibilium effluviorum.

36 Aer diſtinguitur in ſubtiliorem qui æther dicitur, & craſſiorem, qui athmoſphæricus eſt, & ex æthere particulis aqueis terreſtribus & corporum effluviis conflatus, & prout loci differunt & effluvia, aer quoque eſt diverſus.

37 Non ſolum aer athmoſphæricus gravis eſt, ſed & æther quod variis experimentis probari poteſt.

38 Aer corpus eſt elaſticum, ſive poſt compreſſionem priſtinum reaſſumit ſtatum, ſeu comprimi & dilatari poteſt.

39 A gravitate & elatere aeris innumeri in naturalibus dependent effectus.

40 Omnibus corporibus tam fluidis, quam ſolidis aer & æther ineſt.

41 Aer dicitur denſior, quando materiæ ſubtilis particulæ expelluntur, & particulæ terreſtres, & aqueæ magis ad ſe invicem accedunt, rarus autem dicitur aer vel etiam corpus, quando expulſis particulis terreſtribus gravioribus abundant particulæ æthereæ.

42 Aer eſt, receptaculum omnium effluviorum.

43 Aer incluſus & compreſſus magnam vim poſſidet.

44 Aer immutare & deſtruere multorum corporum texturam aptus eſt.

45 De aere nos docet experientia, eum in omnia loca, ſibi ab aliis corporibus relicta, cum impetu ruere.

46 Aer non penetrat ipſam aquam.

47 Aqua eſt corpus fluidum poroſum flexile, & valde dilatabile, hinc maximam ætheris ac aeris debet admittere influentiam.

48 Aquæ ratione fundi & aeris mirum differunt.

49 Aquæ effectus ſunt fluidificare, emollire, intrare ſalium ac gummatum poros, illaque diſſolvere ac diſcontinuare.

50 Ignis conſiſtit in confuſo, & rapidiſſimo particularum ſubtiliſſimarum motu, & uti frigus fit per motum rectilineum, ſic calor & ignis per motum curvilineum & confuſum.

51 In igne particulæ tertii elementi craſſioris innatant particulis materiæ ſubtiliſſimæ & ſubtilis.

52 Ignis effectus ſunt movere, rarefacere, propellere, penetrare, diſcontinuare corpora, & vim elaſticam aeri, & aquæ conciliare, corporaque ſolidiſſima perrumpere.

53 Ignis flamma corporum texturam non ſolum deſtruit, ſed & mutationem corporibus inducit, hinc non verus eſt corporum analyſta.

54 Uti caloris natura in motu, ita frigoris in quiete conſiſtit, & calor rarefacit, frigus autem condenſat corpora.

55 Fermentatio dicitur, quando particulæ ſubtiliſſimę vehementer motę in corporum liquidorum poris exitum non inveniunt, hinc in illorum latera reactione corpus diffringunt, reſolvunt & ſubtiliſant.

56 Fermentatio putredinoſa locum habet in regno animali, vinoſa in vegetabili.

57 Particulæ ſubtiles fermentationem efficiendo corpora dividunt, quod probat illorum poſt fermentationem ſubtilitas.

58 Lux eſt celerrimus globulorum minutiſſimorum motus rectilineus.

59 Reflexa lux dicitur, quando redit propter occurſum alterius corporis impedientis primam lineam motus; refringitur autem quando radius in motu conſtitutus oblique diverſa tranſiens media non nihil a linea recta deflectit.

60 Om-

60 Omnes colores, soni, visus, reflexioni & refractioni lucis debentur.

61 Color nil aliud est, quam lux refracta ac modificata pro diversitate superficierum, vel densitatis corporis, per quod lux transit, & materiale colorum in textura ac dispositione particularum radicatum est.

62 Sonus nihil aliud est, quam tremulus aeris motus factus a percussione corporis alicujus trementis.

63 Principium materiale odorum est, Sal volatile Sulphureum mediante aere & æthere extractum.

64 Causa saporis Sal est, quod ratione particularum diversæ figuræ, & magnitudinis varie modificatum diversos exhibet sapores.

65 Sal est substantia sapida & solubilis in liquore aqueo.

66 Sal est, vel acidum, vel alcali, vel neutrum, 2. est 1. vel fixum, vel volatile.

67 Sal acidum est Sal primogenitum & fundamentum reliquorum omnium, a quo omnia pro diversitate particularum terrestrium, concentrationis, reliqua omnia oriuntur.

68 Qualitates corporum nil aliud sunt, quam certę dispositiones & modificationes materiæ: qualitates autem sensibiles uti calor, frigus, humiditas &c. nil nisi meri sunt percipiendi modi, & quasi insensibiles motus occasione tremoris nervorum excitati: & relative ad nostrum corpus varium sortiuntur nomen.

69 Nihil in se calidum nec frigidum sed respectu corporis, & secundum modum receptivitatis & ad sensum tale dicitur.

CAPUT III.

De Sanitate, Vita, Temperie & Natura.

I.

CORpus nostrum est instar machinæ seu automatis, quod ex variis organis ratione figuræ & magnitudinis certo ordine ac situ dispositis ac constructis gaudet, quæ moveri & animari a partibus fluidis corporis nostri debent.

2 Partes corporis nostri sunt vel solidæ vel fluidæ. Fluidæ si in decenti temperie æquabilique motu constitutæ sunt, & solidæ quamdiu in decenti configuratione, situ & ordine consistunt, corpus ad actiones secundum naturam exerendas aptum existit, & sanum est.

3 Actiones vitales absolvuntur sensu, motu & nutritione.

4 Vita corporis versatur in perenni ac decenti partium fluidarum per solidas motiones, partes autem fluidæ prima motus causa sunt, solidasque in motum excitant.

5 Fluidæ corporis partes principaliores, sunt Spiritus animales, quasi impetum facientes, Sanguis cum sero & lympha.

6 Vita hominis consistit in continuata mentis & corporis communione, seu versatur in his operationibus, ad quas & corporis motus & cogitatio mentis concurrit.

7 Vita perficitur causis more mechanicis nec mens facit ad corporis ipsius vitam, nec vita spectat ad mentem sed ad corpus.

8 Quando corpus humanum moritur, non mens a corpore recedit, sed corpus recedit potius a mente, quatenus organa corporis vitiata sunt, ut mens amplius iis præesse nequeat.

9 Uti vita consistit in motu, & sanitas in motu temperato ac æquali partium fluidarum, sic mors nil nisi destructus motus est, & motus improportionatus ac inæqualis.

10 Non partes solidæ dici possunt temperatæ & intemperatæ in se spectatæ, sed illarum temperies dependet a temperie & motu partium fluidarum.

11 Quando corpuscula sanguinem constituentia diversa, nimirum: terrestria, ramosa, aquosa, salina, volatilia, fixa, acida, Sulphurea proportionaliter inter se sunt mixta, ita, ut motum æqualem inter se efficere possint, tunc sanguis dicitur temperatus, & blanda temperies introducitur partibus solidis.

12 Quo magis autem inæqualis est horum corpusculorum mixtio, eo inæ-

qualior reſultat motus & intemperies varia.

13 Quando particulæ ſulphureæ, oleoſæ, volatiles, ſalinæ, prædominantur præ ipſis fixioribus aqueis, terreſtribus, intemperies calida eſt, & tunc temperamentum calidum dicitur, ſeu ſanguineum, & ſi nimius ille exceſſus fit, evadit cholericum.

14 Calidi temperamenti illum dicimus, qui tali fibrarum plexu conſtat, cui multæ particulæ igneæ æthereæ calidæ inſunt, vel in quo multæ facile congregari poſſunt.

15 Quod ſi particulæ aqueæ mucilaginoſæ acidæ fixiores prædominium habent, præ ipſis ſulphureis ſpirituoſis ſalinis ſanguinis, exurgit temperamentum phlegmaticum frigido-humidum, & quando particulæ illæ ſalibus acetoſis ſtipatæ ſunt, vocatur Melancholicum, quod gradu ſaltim differt a Phlegmatico.

16 Phlegmatici dicuntur, qui ſeroſis humoribus abundant, & tam denſo fibrarum plexu conſtant, ut partes calidæ difficilius colligi queant.

17 In temperamento Sanguineo et Cholerico motus partium fluidarum magis vehemens, celer ac velox eſt, in phlegmatico autem & Melancholico magis tardus et imminutus.

18 Qualis eſt temperies, & motus ſanguinis & humorum, talis etiam eſt motus Spirituum animalium, & qualis Spirituum animalium motus ac temperies, talis etiam mentis motus, inclinationes & cogitationes exurgunt, hinc effato Galeni mores animi ſequuntur corporis temperamentum.

19 Sanguinei magis ſunt audaces, hilares, ingenioſi & alacres, e contra Melancholici et pituitoſi magis ſunt tardi, timidi ac triſtes ob Spiritus in Sanguineis ſubtiliores, & illorum motum celeriorem, in phlegmaticis autem & Melancholicis fixiores, & motum illorum tardiorem.

20 Ad temperiem corporis & humorum faciunt parentes, ortus, Solum, cœlum, ætas, morbus, vitæ ratio, ſexus.

21 Principium motus primum in machina noſtra omnium Philoſophorum conſenſu eſt anima, quam ſive Naturam, ſive Spiritum potentiis Mechanicis inſtructum, ſive materiam ſubtiliſſimam ætheream ordinate & ſpecifice agentem nominare velis, perinde eſt.

22 Animam in homine præter potentias Mechanicas, & ordinatum agendi motum nobiliori potentia nimirum cogitandi et ratiocinandi inſtructam eſſe, quam brutorum anima, extra dubium eſt, et ratione hujus potentiæ dicitur mens, et eſt ſubſtantia immortalis ex Decreto ipſius Dei.

23 Cauſa prima potentiarum in anima exiſtentium, eſt ipſe Deus, a quo uti omnia, ſic quoque animæ noſtræ exiſtentia & functiones dependentiam ſuam habent.

24 Spiritus animales non ſunt ipſa anima, illis tamen utitur anima ceu inſtrumento ad exequendas functiones ſuas.

25 Functiones animæ ſunt movere ſpiritus, et ad certum motum edendum eoſdem determinare.

26 Natura ſeu anima hominis facile characteriſatur ſpecifico motu, quem deinde jugiter cuſtodit, unde conſuetudo naturæ dependet, quæ in vitæ genere & morbis variis illorumque periodis admodum eſt ſolennis.

27 Natura eſt menſuræ, numeri, temporis, et ordinis obſervantiſſima, unde omnia ordinate, tum in productione corporis, quam in illius conſervatione & morborum curatione facit.

CAP. IV.

De Partibus ſolidis & fluidis machinæ humanæ, principaliter de ſanguine.

COrpus noſtrum eſt inſtar machinæ, quæ ex particulis ſolidis et fluidis vario ordine ac ſitu diſpoſitis et conſtructis conſtat.

2 Solidæ partes ſunt oſſa, cartilagines, tendines, membranæ, nervi, arteriæ, venæ, tubuli lymphatici, carnei ſeu fibræ dicti, et illi qui glandulas conſtituunt.

2 Fibræ ſunt prima ſtamina & filamenta omnium partium, ex quibus artificioſa textura ſitu & conſtructione omnes partes componuntur.

4 Fibræ tubulatæ ſunt, quoniam nutriuntur & augmentum accipiunt, per has fluit materia liquida, quæ latera illarum diſtendere poteſt.

5 Unaquæque fibrilla certum per intervallum ſuas habet implicaturas, hinc patet, cur flaccidus antea muſculus tumidus & denſus redditus, dolorem non ſtatim efficiat.

6 Fibræ prout magis craſſæ, vel tenerę & ſubtiles ſunt, & prout rectum vel obliquum ſitum habent, & quo magis compactius vel laxius ſunt unitæ, varia conſtituant organa.

7 Quilibet muſculus conſtat ex infinitis parvulis fibris tubulatis, quæ in media parte, ventre dicta, laxius coeuntes, carnem conſtituunt, in fine autem & principio arctius colligatę, tendinem efformant.

8 Nervi ſunt faſciculi plurimorum tubulorum, cavi, ac cannæ indicæ in modum perforati, ex alba ſeu medullari cerebri ſubſtantia progredientes.

9 Nervi qui ſenſui inſerviunt molliores, qui autem mortui, duriores ſunt.

10 Tubuli nervei per totum corpus ſunt diſperſi, hinc canaliculis exilioribus læſis cerebrum, & plura correſpondentia organa in conſenſum trahuntur.

11 Oſſa conſtant ex tubulis poros innumeros habentibus, in quibus circulantur, depoſitæ particulæ ſanguineæ & lymphaticæ.

12 Inoſculantur oſſibus venæ & arteriæ, intrantes cavitatem, & deponentes ibi pinguedinoſam & ſanguineam medullam, ne rigida evadant oſſa & facilius rumpantur.

13 Arteriæ conſtant ex triplicibus lamellis: prima eſt reticularis, ex nervis, vaſis ſanguineis, membranoſiſque expanſionibus conflata; ſecunda, ex fibris muſculoſis in circulum conrortis, duris tamen & renitentibus; tertia tenuis eſt, & ex planis membranoſisque expanſionibus conſtructa.

14 Venæ ſi aſpiciantur per microſcopium, adſunt primo fibrę tenſiles, ſecundo membrana glanduloſa, tertio muſculoſi faſces.

15 Membranę tendinoſę & nervoſę conſtant ex fibrillis variis nervoſis, fiſtuloſis, facile dilatabilibus, hinc admodum ſenſibiles ſunt. Perioſtium habet originem ſuam partim a dura matre per diverſa cranii loca prodeunte, & a capite ſic ad univerſam oſſium compagem diffundente, partim a fibris & tendinibus muſculorum.

16 Glandulę nihil aliud ſunt, quam vaſorum minutiſſimorum implicatus nexus, habent nervos & carneas ſubtiliſſimas fibras, quę varie circumducuntur, inveſtiuntur etiam aliquibus in partibus exterius membrana valde tenſa, quæ ſanguineorum vaſorum lateralibus ramis irrigatur, ſub hac carneę fibrę circulariter ductę locantur, quę horizontaliter glandulę corpus penetrant.

17 In tenerrimis glandularum ductibus & vaſculis facile fieri poſſunt obſtructiones.

18 Glandulę cutis inſtructę ſunt poris ſeu oſtiolis, ſingula ſuis valvulis cucurbitiformibus aut pelliculis incurvis verſus interiora protenſis dotata. Valvulę adſunt ad fluidum alias nimis efluxurum remorandum, ſicque refrenandum halituum nimiam tranſpirationem.

19 Glandulę ſunt vel conglomeratæ vel conglobatę. Conglomeratę ſunt acervus minutiſſimarum glandularum communi tunica inveſtitarum, quarum ſingulę emittunt vaſculum excretorium, quę iterum abeunt in canalem, per quem liquor fluit in aliquam cavitatem, quales ſunt parotides, pancreas, mammę. Conglobatę conſtant ex meris fibrillis, inter ſe varie contextis, non autem vaſculis, uti conglomeratę.

20 Vaſa lymphatica ductus ſunt admodum tenues, pellucidi, firmi, ſimplici tunica donati, & plurimis nodulis, qui totidem valvulę ſunt, conſpicui.

21 Vaſa lymphatica valvulas habent ſemilunares, quę ejuſdem naturę videntur cum ſubſtantia vaſorum lymphaticorum: microſcopio autem examinatę

appa-

apparent fibroſæ, ut contrahi & relaxari poſſint.

22 Vaſorum lymphaticorum, lacteorumque, & ductus thoracici ſtructura eadem eſt.

23 Solidæ partes invicem ſingularem & neceſſariam connexionem habent: hinc arteriæ inoſculantur venis, & venæ arteriis, nervis & muſculis; Tubuli carnei definunt in tunicas, & hæ ſic involutæ propagantur in tendines, cartilagines, & oſſa, ſicque datur communicatio & circulatio fluidarum partium.

24 Solida corporis animati compages tota tubuloſa eſt, & minutiſſimas partes cavas eſſe, probat circulatio ſanguinis in pediculo, & per caudæ fibrillas in anguilla, quod optime demonſtrari poteſt microſcopio.

25 Partes ſolidæ, quoniam ex infinitis minutiſſimiſq; ſtaminibus & fibrillis contextæ ſunt, multa millia ſpatiola intermedia, ſeu corpuſculorum, ex quibus illæ conglomerantur, intercapedines fieri debent.

26 Inter partes fluidas præcipua eſt Maſſa ſanguinea, quę ex innumeris, ratione magnitudinis, figuræ, & ponderis diverſis particulis & corpuſculis conſtat.

27 In ſanguine latent particulæ ſeroſæ, lubricæ, flexiles, & rigidæ ſalinæ, tam volatiles, quam acidæ & ramoſæ, ſulphureæ, oleoſæ, & craſſæ, mucilaginoſæ, terreſtres.

28 Sanguis per microſcopium inſpectus, conſtat ex fibris & meris globulis, qui inteſtino & irrequieto motu in omnem poſitionem ſe movent: ceſſante hoc motu, mutua implicatione coeunt, & ſubſident iſti globuli, ſicque craſſities & coagulatio fit ſanguinis.

29 Uti in coitione globulorum ſanguinis, illius craſſities: ſic in illorum globulorum perpetuo motu & diviſione ejus, fluiditas & tenuitas conſiſtit.

30 In globoſo elementorum ſanguinis contextu, nativa ejus diſpoſitio conſiſtit, quoniam ſphærica figura ad perficiendum motum omnium eſt aptiſſima.

31 Color ſanguinis floridus, fluiditas, turgeſcentia, & color ille vitalis debentur exactiſſimæ & decenti globulorum horum comminutioni.

32 Globulorum horum comminutio, diviſio & motus perennis debetur materię ſubtiliſſimæ æthereæ, in aere hoſpitanti, quæ, uti cauſa omnis fluiditatis & motus, ſic quoque ſanguinis eſt.

33 Rubedo ſanguinis fit a ſibi incumbentibus globulis, in quorum poris & interſtitiis, materia ætherea lucida repercutitur, & repercutiendo talem viſui exhibet colorem.

34 Chymici rubicundum ſanguinis colorem deducunt a ſulphureis oleoſis particulis, exaltatis a calore & particulis ſalinis volatilibus,

35 Uti omnis calor eſt a motu, ſic quoque corporis noſtris calor vitalis ab eo dependet, quo autem motus hic magis eſt reflexus & vehementior, eo major quoque exurgit calor.

36 Nullus calor datur inſitus, ſed omnis eſt influus, hinc calidum innatum & humidum radicale, niſi ſumantur pro diſpoſitione ſeminali & innata ſanguinis & ſeri, mera ſunt figmenta.

37 Sanguis duplici motu gaudet: inteſtino uno ſive minimorum juxta ſe invicem, & altero circulari ſeu progreſſivo, cujus ope per vaſa circumvehitur, neuter ſine altero conſiſtere poteſt.

38 Uterque hic motus debetur aeris & ætheris virtuti elaſticæ, per reſpirationem communicatæ, & cordis vigori ſeu motui.

39 Cordis motus abſolvitur conſtrictione ſeu ſyſtole, & dilatione ſeu diaſtole, & eſt cor non tam officina, quam antlia ſanguinis, ad illum recipiendum & expellendum inſerviens.

40 Cor nil niſi muſculus eſt, ex fibris & ſtaminibus fibroſis motricibus geometrice conſtructus, ut ad contractionem robuſtam & dilatationem aptus ſit.

41 Cor eſt omnis motus in corpore noſtro, & ſanguinis circulationis (ſine qua homo vivere nequit) primum principium, & inſtrumentum & primum impellens ſanguinem.

42 Motus cordis non motrici alicui inſitæ virtuti, ſed nixui expanſivo ſpirituoſi liquoris ſeminalis in ipſo embryo-

bryone, in adultis autem expansivæ ætheris & spirituum animalium sanguinisque vi debetur.

43 Contractio cordis et dilatatio arteriæ coincidunt, sicque fit pulsus, qui nihil aliud est, quam dilatatio arteriæ.

44 Cor principium est arteriarum et venarum, omnes arteriæ advehunt ad partes, venæ autem revehunt, excepta vena portæ, quæ advehit ad hepar.

45 Venæ semper sunt comites arteriarum, ampliores tamen sunt, quoniam motus sanguinis in venis lentior est, valvulisque semilunaribus instructæ sunt, ut refluxus impediatur.

46 Non dantur anastomoses arteriarum et venarum, sed arteriis junguntur tubuli, per quos sanguis transit ad substantiam carneam, ubi deinde per venarum tubulos excipitur.

47 Quando cordis ventriculi contrahuntur et aer subtilior elastica et pellente virtute imbutus ipsi communicatur, non solum contentus intra eos sanguis in arterias expellitur, sed et universus sanguis per arteriosum et venosum genus progreditur, adjuvante misculoso venarum contextu et valvularum structura.

48 Quindecim ad minimum vicibus sanguinem singula hora per cor circulari, probabile videtur.

49 Athmosphæra externa corpus ambiens, fervorem et elasticitatem humorum et spirituum reprimit, temperat, ac moderatur, propulsioneinque sanguinis in venas promovet.

50 Remoto athmosphæræ equilibrio, spiræ ætheris et aeris in succis contentæ mirum dilatantur, sicque distendunt et coarctant plus justo vasa, et motum sanguinis sistunt quod patet per experimenta, beneficio antliæ, in vivis animalibus peracta.

51 Sanguis quo tenujor et fluidior, eo melius per minutissimos venarum et arteriarum tubulos circulatur, quo autem crassior, eo lentior fit circulatio.

52 Falsum est calorem sanguinis et corporis nostri dependere a citatiori circulatione sanguinis, magis ille fit a motu intestino sanguinis, et ætheris reflexivo motu in sanguine aucto.

53 Fermentatio in sanguine nulla est, talis nimirum, quæ in vegetabilibus locum habet, vinosa; si autem per fermentationem intelligis intestinum particularum motum, qui subtilisationem sanguinis efficit, concedi potest.

54 Sanguini κατ' ἐξοχὴν sic dicto, nimirum ramosæ, fibrosæ, et rubicundæ texturæ sanguinis semper immixtum est serum, quod magis flexilibus, mollibus, gelatinosis et salinis constat particulis.

CAP. V.

De Lympha, saliva, chylo, lacte, bile, semine, spiritibus animalibus.

I.

POst sanguinem, fluor principalis corporis nostri est lympha, quæ non secus ac sanguis circulatur per certa sua vasa, dicta lymphatica.

2 Lympha differt a sero, dum illa magis orbata gelatinosa ac glutinosa substantia est, magisque aquea, serum autem leni ignis calore concrescit in gelatinam multis minimis fibrillis conspicuam.

3 Lymphæ omnis motus a peripheria ad centrum est, nimirum ad cor, quod manifesto ostendunt valvulæ vasorum lymphaticorum, quæ talem habent structuram, ut lymphæ ad cor tendenti liber pateat transitus.

4 Omnis lympha separatur a sanguine adducto per arteriolas in ipsas partes.

5 Non omnia vasa lymphatica habent commercium cum glandulis, vel ex illis scaturiunt sed pleraque oriuntur ex viscerum substantia, et sunt quasi tubuli arteriarum continuati.

6 Omnes pene partes gaudent vasis lymphaticis.

7 Lympha omnis revehitur a partibus & affunditur sanguini venoso, cum quo transit ad cor.

8 Lympha non efficit nutritionem partium, sed potius est recrementum ipsius seri nutritii, et ex sero sanguinis ortum suum habet, dum a particulis seri gelatinosis

noſis, nutritiis, aqueæ, quæ ad nutritionem ineptæ ſunt, ſecedunt.

9 Lympha, quia non conſtat particulis gelatinoſis, conſervat ſanguinem in fluiditate, chylum diluit, ſalia acria temperat et vehiculum eſt variorum excrementorum, maxime autem ſalino ſulphureorum, ex corpore educendorum.

10 Præter lympham alius adhuc humor eſt in corpore noſtro, medius quaſi inter ſerum et lympham, qui ex ſanguine arterioſo immediate, beneficio glandularum conglomeratarum excernitur, & dicitur vel ſalivalis, pancreaticus, inteſtinalis et ventriculi.

11 Humor ſalivalis et Pancreaticus &c. ejuſdem ſunt naturæ, non autem lymphaticæ, ut vulgo credunt, ſed conſtant ex particulis ſeroſis, acetoſis, ſubtilibus & ſpiritibus animalibus.

12 Saliva ex particulis ſumme ſubtilibus conſtat, hinc non ſecus ac Spiritus vini, repoſitus in vaſo ab aere evacuato ebullit.

13 Succus hic ſalivalis, una cum Pancreatico & inteſtinali menſtruum corporis quaſi univerſale & liquor microcoſmicus publicus eſt, inſerviens ciborum reſolutioni medicamentorum exactioni, chylificationi &c.

14 Pancreas cum vaſibus et glandulis ſalivalibus conglomeratis, quæ ſub auribus et linguæ ſunt, eandem habet ſtructuram, eundemque uſum.

15 Succus pancreaticus, non ſecus ac ſaliva facile ad fermentationem diſponit cibos, ipſis admixtus.

16 Falſum eſt ſuccum pancreaticum naturaliter eſſe acidum, et effervescere cum bile.

17 Ductus ſalivales ſunt vel majores vel minores; majores ſunt vel externi et ſuperiores, vel interni et inferiores: illi ſunt ductus Stenoniani et Nukiani: hi Warthoniani et Bartholiniani, ſeu mavis, Riviniani: Minores innumeri ſunt in faucibus, palato et labiis conſpicui.

18 Lacrymæ, et liquor ille, quem ſtillant glandulæ oculorum, Salivalis naturæ videntur, dum per ductum inſignem ab oculis in nares tendentem, et ex hiſce in palatum abeuntem in os derivatur.

19 Menſtrua inſipida magnam in ſolvendis rebus habere efficaciam; teſtatur Mercurius et aqua communis.

20 Saliva non ſolum ex particulis aqueis et ſubtiliſſimis ſalinis, ſed et ſubtiliſſimis elaſticis, per nervos ipſis communicatis, conſtat.

21 Quale ſerum ſanguinis, et qualis ſpirituum animalium conſtitutio, talis eſt ſaliva, qualis ſaliva, tale fermentum ventriculi, et quale fermentum ventriculi, talis eſt digeſtio, et qualis digeſtio, talis eſt chylus.

22 Motum ſpirituum animalium inordinatum communicari ſalivæ poſſe, teſtatur morſus cani rabidi, affectus animi, philtra &c.

23 Saliva verum ventriculi menſtruum eſt, quoniam fermentum ventriculi copioſum eſſe debet, ſecundo: activum et ad fermentationem aptum, tertio: cibis intime miſceri debet, quæ omnis in ſe continet ſaliva.

24 Lympha quæ ſtillat ex glandulis ventriculi et inteſtinorum, pauca, ad madorem horum viſcerum internum neceſſaria eſt.

25 Saliva menſtruum quaſi univerſale eſt, ratione particularum ſpirituoſarum maxime penetrat, ratione ſalinarum particulas ſulphureas extrahit et diſſolvit, ratione aquearum ipſa ſalia gummeaſque particulas reſolvit & imbibit.

26 Saliva, quam primum maſticatis in ore cibis admiſcetur, ſtatim inſignem ac evidentem alterationem ipſis inducit, ut in locum calidum repoſiti facilem fermentationem per ſe recipiant.

27 Inter partes fluidas corporis noſtri ſingularem quoque obtinet locum chylus, qui non niſi emulſio naturalis, et eſſentia contritis, et a ſalivali menſtruo reſolutis eſt.

28 Chylus per vaſa lymphatica in meſenterio exiſtentia et lactea dicta, affunditur ſanguini et cum hoc circulatur per totum corpus.

29 Elementa chyli ſunt particuſæ aquoſæ, dulces, gelatinoſæ, it. oleoſæ ac ra-

ramoſæ; ex quarum conjunctione lacteus exurgit color.

30 Eſſentię reſinoſæ, item olea intime cum aqueo menſtruo mixta: conſtituunt lac.

31 Chylus proxima ſanguinis, ſeri, lymphæ & omnium corporis fluorum materia eſt.

32 Chylus infuſus in ſanguinem, ejuſque motu comminutus ac ſubtiliſatus, partim tranſit in ipſum ſanguinem, ratione particularum ramoſarum & oleoſarum, partim in ſuccum nutritium, ratione particularum mucilaginoſarum, partim in ſerum, ratione particularum aquearum & viſcido-ſalinarum, partim in lympham, ratione particularum inſipidarum aquearum.

33 Qualis eſt cibus, talis chylus, qualis chylus, tales humores, quales humores, tales ſunt Spiritus, quales ſunt Spiritus & humores, talis eſt nutritio, motus & ſenſus, & per conſequens vita, & ſanitas.

34 Chylus non dimittitur, a ſanguine totus, niſi in gravidarum uberibus, quæ congeries minutiſſimarum glandularum ſunt, & ibi lac nominatur.

35 Lac non eſt ſerum, nec ſanguis immutatus, ſed chylus, ad ipſas glandulas mammarias deductus per ipſas arterias.

36 Bilis in hepate ſecreta, & in inteſtinum duodenum effuſa, non excrementum, ſed utiliſſimus corporis noſtri fluor eſt.

37 Bilis ſi deſtilletur, fundit inſipidum phlegma, remanente reſina inflammabili ac tenaci, ſi autem cum Sale tartari mixta, vel fętida facta deſtilletur, prodit liquor Alcalinus, qui in mixtura cum aliis rebus ſemper edit effectus Alcalinos.

38 Bilis non immerito chyli & ſanguinis balſamum conſtituit, acorem corrigit, oleoſas ciborum particulas ſolvit, ut intime poſſint miſceri cum aqueis & chylum conſtituere, viſciditates terreas incidit, & ſpiculis ſuis ſalino-ſulphureis ad excretionem inteſtina ſtimulat.

39 Bile deficiente, cruditates acidæ, viſcidæ in corpore cumulantur, excretio alvi impeditur, & ſpirituaſcentia ſanguinis debilis eſt.

40 Tres vel quatuor unciæ bilis brevi tempore in inteſtino duodeno colligi poſſunt, ejus enim fluxus per ductum hepaticum continuus eſt, ex cyſtide vero, non niſi pleno ventriculo.

41 Terreſtris & craſſa pars bilis per excrementa alvi ejicitur, ſubtilior autem ſalino-ſulphurea tranſit cum lympha vel chylo iterum ad ipſum ſanguinem, ſicque circulatur.

42 Nullum animal bilioſo humore caret.

43 Semen delibatiſſima ſuccи nutritii, et ſpirituum animalium portio eſt, in anfractuoſis teſtium canaliculis elaborata et ſubtiliſata.

44 Nullus datur ſpiritus naturalis nec vitalis, in ipſo ſanguine, ſed ſaltim animalis, in ipſo crebro et nervis.

45 Spiritus hic eſt ens activum, motum, et quidem determinatum ac ordinatum efficiens in materia.

46 Materia licet etiam ſit ſubtiliſſime diviſa, pure tamen paſſiva eſt, nec motum ſimplicem, multo minus ordinatum edere poteſt ſine ſpiritu activo, & primo motore.

47 Fluidum itaque ſubtiliſſimum, quod viſum fugit in nervis contentum, eſt nil niſi ſubtiliſſima materia, potentia mechanica determinata inſtructa, quæ ideales & ordinatos motus in corpore edere apta eſt, hinc recte dici poteſt ſpiritus.

48 Spiritus in ſanguine vitalis Veteribus dictus, nil niſi æther ſeu ſubtiliſſima aeris portio eſt, elaſticitate imbuta & cum particulis ſanguinis mixta, unde motus cordis, arteriarum, & ipſe calor corporis noſtri dependet.

49 Spiritus animales nec alcalini, nec acidi, nec ſulphurei ſunt.

50 Probabile eſt, liquidum nerveum conſtare ex duplici ſubſtantia, una nimirum humidiori ſubtiliſſima ſuccи nutritii parte, altera ſicciore, quæ ex purioribus aeris particulis pulmonum miniſterio, in ſanguinem receptis elaboratur.

51 Quamdiu hæ partes inter ſe bene ſunt temperatæ ac mixtæ, & in æquilibrio conſtitutæ, tamdiu ſpirituum elaterium viget, motus eſt æqualis, partes recte nutriuntur, & ſomni vigiliarumque legitimæ viciſſitudines ſunt.

52 Nervi licet ſubtiliſſime vehant ſubſtantiam, abſurdum tamen non eſt, illam non tam formaliter, quam etiam materialiter concurrere ad nutritionis negotium.

53 Ratione rigidarum elaſticarum particularum, Spiritus animales ipſius nervi ab objectis tenſilibus commoveri poſſunt, ſicque fiunt ſenſus, qui non niſi certe ſpirituum animalium nervorumque mutationes ſunt.

54 Spirituum motus duplex eſt, vel rotatorius, dum nimirum quævis particula circa axem movetur, vel directus, qui a termino ad terminum tendit.

55 Motus Spirituum animalium in nervis eſt magis rectilineus, motus autem ætheris in ſanguine magis eſt curvilineus, unde calor dependet.

CAP. VI.

De motu machinæ noſtræ vitali & Senſu.

I.

NIhil in machina microcoſmica fit ſine motu, nulla immutatio, ſecretio, nutritio, nullus ſenſus ſine motu fieri poteſt.

2 Moventur partes fluidæ, inter quas primum locum ſibi vendicat nervorum fluidum, quod omnium ſubtiliſſimum & ad motum edendum celerrimum aptiſſimum eſt, a quo cunctarum machinæ partium tam ſolidarum quam fluidarum motus dependet.

3 Spiritus animales ſumma ſubtilitate et elaſticitate præditi potentiam habent a DEO impreſſam non ſolum mechanice ſeſe movendi, ſed & elective, determinate et ad certum finem: quæ potentia dicitur anima ſenſitiva et radicaliter inexiſtit ſubtiliſſimo cerebri fluido.

4 Inſtrumentum motus ſpirituum animalium organicum ſunt fibræ motrices, variæque illarum implicationes & texturæ.

5 Quando fibræ motrices ita inter ſe ſunt contextæ, ut duæ extremitates tendineæ fiant, media autem pars laxior ſit, exſurgit muſculus, qui motus ſpontanei inſtrumentum eſt.

6 Quando fibræ motrices certa quadam ſerie ſuper ſe ſunt ſtratæ et quidem tranſverſim, tunica evadit muſculoſa ſeu carnea dicta, quæ motus involuntarii et naturalis organon eſſe ſolet.

7 Tunicam ventriculi, inteſtinorum, veſicæ urinariæ, biliariæ, ureterum, arteriarum, venarum muſculoſam exiſtere et fibras carneas ac motrices ſibi intertextas gerere, ἀνατομία docet.

8 Spiritus animales mobili et expanſiva ſua natura fibras inflant, ſicque illas abbreviant et diſtendunt, adeoque quod longitudini illarum decedit, craſſitiei accedit. Equidem figura, non moles in muſculo tumeſcente mutatur.

9 Uti in veſica incluſus aer dilatatus ingentia pondera attollere ſolet, ſic quoque vi ſpirituum fibræ muſculorum dilatatæ trahunt per tendines ſuos oſſa.

10 Ad motum in muſculis & fibris motricibus exerendum non ſolum requiritur influxus ſufficiens ſpirituum animalium, ſed et ipſius ſanguinis ſpirituoſi laudabilis, hinc arteria partis ligata tenſus et motus partis expirat.

11 Omnes partes, vaſa, quæ ex muſculoſis fibris conſtant, motu gaudent tenſivo, qui, quando in ſtatu naturali eſt, dicitur tonicus, quando autem hic motus viſcerum naturalis læditur, vel nimis tenditur, fit ſpaſmoticus, aut ſi nimis relaxatur, maxima incommoda motus inordinarii et morbi oriuntur.

12 A ſpecifico hoc tonico partium motu læſo inordinariæ excretiones, varii morbi oriuntur, uſus viſcerum invertitur et actiones vitales depravantur.

13 Spiritus animales fluidum ſunt ſimpliciſſimum puriſſimum, cui facile imprimi poteſt idea certi ac determinati motus, quam etiam diu et exacte certoque tempore, menſura et numero ſervare ſolet, uti id teſtantur periodicæ excretiones, morbi &c.

14 Spiritus animales ſunt naturæ mobiliſſimæ, puriſſimæ, hinc ſi heterogenei quid ipſis immixtum eſt, illud ſtatim motu ſuo inteſtino et elaſtico ad extremas partes propellunt, non ſecus

ac flumen motu vorticoſo gaudens heterogenea immiſſa ad ripam pellit.

15 Quando fibræ nerveæ vel muſculoſæ ſtimulantur & irritantur a quadam materia, non ſolum concitatus ad hanc partem ſpirituum fit affluxus, verum etiam ſenſus & perceptio quædam certa ab objectis ipſis imprimitur.

16 Spiritus animales non movent ſolum corpus, ſed et ſentiunt, quæ ſenſatio tamen ſine motu fieri nequit.

17 Ab objectis ſaltim certi motus fiunt in organis, & ex varietate motuum mens rerum ſenſibilium differentias varie percipit.

18 Objectis, quæ in nobis ſenſus movent, nihil attribuimus, niſi poteſtatem, quæ ex figura, motu & partium diſpoſitione fluit, varie organa & his mediantibus mentem afficiendi.

19 Calor, odor, ſapor, omneſque qualitates non fiunt in objectis externis, ſed variæ ſenſationes excitatæ in mente noſtra.

20 Inſtrumentum omnis ſenſus, in quod objectum impellit, eſt nervus vel ejus extremitas, quæ vel in membranam vel in papillam deſinit, in hac varium objectum irruit, variumque excitat motum, qui motus beneficio ſpirituum animalium transfertur ad ſenſorium commune, ubi perceptio fit.

21 Nulla pars corporis humani tangi vel moveri poteſt, quin eo ipſo moveatur fluida et ſpiriruoſa nervorum ſubſtantia et conſimilis motus ad ſenſorium cum undulatione vel preſſione quadam traducatur.

22 Ad tactum omnes referri ſenſus poſſunt, eſt ille univerſaliſſimus, reliqui ſunt ſaltim diverſi tangendi modi.

23 Organon ſunt papillæ nerveæ perfuſæ ſpiritu animali et quo copioſiores ſunt in parte, eo exquiſitior fit ſenſus.

24 Pro objectorum itaque diverſa impreſſione vel motu variæ et diverſæ fiunt perceptione, quæ frigoris, caloris, ac humiditatis nomine veniunt.

25 Viſus omnium ſenſuum eſt præſtantiſſimus; objectum ejus eſt lux, ſive a corpore luminoſo radiis imperturbatis, id eſt, preſſione globulorum æthereorum rectilinea ſive a corporibus opacis refracta, ſeu varie repercuſſa tranſeat ad tunicam oculi retinam, ubi pro diverſitate impreſſionum vel ſenſum luminis vel coloris producit.

26 Organon viſus eſt oculus, qui nil niſi camera obſcura eſt, quoniam omnibus gaudet requiſitis.

27 Viſio fit non in nervo optico, ſed in leſa tunica retina, quæ eſt nervus opticus expanſus.

28 Tunica ſclerotis poroſa eſt, & minimis lymphaticis vaſculis ſtipata, quæ oculorum humores reſtituunt et nutriunt.

29 Auditus abſolvitur aure externa & interiori, extrinſeca pars eſt cava, interior convexa, & obliquum illum anfractuoſum meatum, quem auditorium vocant, efficit.

30 Auris interior duplici conſtat cavitate, anterior dicitur concha et eſt tympani membranæ quædam concameratio, tribus oſſiculis ſibi mutuo articulatis et duobus muſculis conſtat; altera cavitas eſt labyrinthus, ubi os petroſum miro artificio in varias ſpiras contortum eſt.

31 Datur ductus quidam ex aure interiori ad ipſum palatum, qui ex adverſo oppoſitum eſt meatu auditorio.

32 Meatus auditorius oblique & per varios flexus ad tympanum fertur, quo aer percuſſus meatum illum copioſus ingredi et per tot ejus anfractus varie reflexus & quaſi in tuba auctus, tympani membranam eo validius perceſſere poſſit.

33 Tremulus aeris motus oſſiculis communicari debet, quæ ita ſunt fabricata, ut motum a tympano acceptum propagare, aerique in concha contento imprimere valeant, iſque tandem motus mediante illo aere nervos acuſticos expanſos penetret, ſonumque in nobis producat.

34 Auditus objectum eſt ſonus, qui ex tremulo aeris colliſi reſilientiſque motu tympanum nervoſque auditorios et ſpiritus in illis undulantes feriente producitur.

35 Obje-

35 Objectum odoratus eſt odor, qui conſiſtit in ſubtiliſſimis ſalino ſulphureis corporum effluviis & atomis aeris vehiculo ad nervos narium translatis.

36 Organon olfactus eſt papilloſa membrana, quæ ex nervis olfactoriis ex oſſe cribroſo prodeuntibus conſtat & nares inveſtit interiores: hæc membrana madida ſemper obſervatur, quo melius ſolvi et ſic penetrare poſſint effluvia illa ſalino-ſulphurea.

37 Objectum guſtus ſunt particulæ ſapidæ, quæ fiunt ex ſalinis cum ſulphureis et terreis varie modificatis ac mixtis, & hinc diverſitas oritur ſaporum.

38 Organon guſtus conſtituuntur papillæ illæ nerveæ, quæ ex fibrillis nervorum naſcuntur, abeuntibus in ſuperficie linguæ inſtar cornuum in rotundas papillulas, et ubi copioſiores papillulæ illæ ſunt, ibi magis viget ſapor uti in linguæ apice.

39 Quoniam ſalia non agunt niſi ſoluta, hinc ore ſaliva præſens eſt, ut hujus beneficio extrahantur particulæ illæ ſalinæ ſapidæ.

40 Olfactus organon multum ſimul facit ad guſtum, hinc naribus obſtructis vel olfactu læſo, non vera ſaporum dignotio eſſe poteſt.

41 Ubi omnium perceptionum concurſus eſt, ille locus dicitur ſenſorium commune, non autem eſt glandula pinealis, ſed potius centrum ſic dictum ovale ſeu fundus ventriculorum cerebri, ubi omnia corpora ſtriata terminantur, et ex quibus nervi originem ſuam petunt.

42 In ſenſorio communi tanquam in ſupremo tribunali omnes rerum externarum impreſſiones beneficio ſenſuum conveniunt, & a mente percipiuntur, et rurſus ex hoc ceu ſupremo regiminis loco pro arbitrio & nutu mentis ſpiritus animales ad omnes partes ſenſu ac motu animandas determinantur et emittuntur.

43 Quando ſenſorium hoc turgidum eſt ſpiritibus animalibus, ita ut mens pro nutu ſuo ſpiritus in nervos determinare, item motus externos organis impreſſos percipere poſſit, tunc dicimur vigilare.

44 Quando deficit ſpirituum animalium in nervorum ac fibrillarum tubulis copia, ita ut rite tubuli iſti inflentur ac expandantur, ſed in ſemet blande concidant ac relaxentur, ut non recipi poſſint conſuetæ objectorum impreſſiones in ſenſoriis, nec in cerebro percipi vel ſpirituum determinatio in partibus fieri poſſit, talis ſtatus dicitur ſomnus.

45 Motus animales duplicis ſunt generis vel voluntarii vel involuntarii ſeu automatici, qui citra animæ imperium nobis inſciis perficiuntur, hi fiunt in cerebello, illi in cerebro.

46 Si ad veſtigia præteritæ impreſſionis attendat mens, & corpora abſentia ſibi præſentia ſiſtat, tunc dicitur memoria.

47 Quando per varios motus ſpirituum releguntur veſtigia rerum per ſenſus impreſſarum, tunc in mente ſimiles cogitationes excitantur, ſicque fit phantaſia.

CAP. VII.

De uſu Viſcerum, Secretione animali & Nutritione.

I.

VIta noſtra conſiſtit in motu & calore partium fluidarum æquali ac temperato, motus autem & calor ſemper diſſipat et depaſcit fluidas partes quæ debent reſtitui, quod fit nutritione, nutritio autem requirit alimenta.

2 Aſſumimus alimenta ſtimulati per appetitum, qui interpres eſt indigentiæ noſtri corporis & quando cibum deſiderat, fames, quando potum, ſitis appellatur

3 Appetitus non debetur venarum ſuctioni, ſed potius blando orificii ſiniſtri ſtimulo & ſpirituum animalium in ventriculo & ejus tunicas influxui.

5 Alimentorum in ventriculo digeſtio fit ſolutione & extractione.

5 Alimenta quo magis ſunt diviſa & comminuta, quod accidit maſticatione, eo facilius poſſunt ſolvi.

6 Verùm menſtruum gaſtricum, quod ſolvit & extrahit ciborum nutritias partes, eſt ſaliva & lympha pancreatica ac inteſtinalis.

7 Oeſophagus, ventriculus & inteſtina eadem gaudent ſtructura, iiſdem tunicis, & ſimul unum conſtituunt canalem alimentarium, qui dicitur primæ viæ.

8 Inteſtina magis ſunt officina chyli quam ipſe ventriculus, qui ſaltim inteſtini cavi & latioris pars eſt.

9 Tonus & robur ventriculi et inteſtinorum naturale dependet ab influxu legitimo et naturali ſpirituum animalium in tunicam ſic dictam carneam, quæ ex variis fibris motricibus ſibi invicem intertextis conſtat.

10 Perperam docetur, œſophagum per diaphragmatis nervoſum centrum tranſmitti, perforat potius illius muſculoſas partes, hinc diaphragmate moto, œſophagi finis movetur et contra.

11 Chyli ſecretio filtratione mechanica in inteſtinis peragitur per villoſam ſpongioſamque cruſtam, ubi vaſa lactea in inteſtina obliquo ductu inſerta excipulorum vices gerunt.

12 Chylus per venas lacteas et ductum thoracicum premitur ac pellitur tam propria ſua gravitate quam continuo diaphragmatis alliſu, compreſſione muſculorũ abdominis et beneficio motus inteſtinorum periſtaltici: ſicque ab una valvula ductus thoracici ad aliam promovetur, donec in venam intret ſubclaviam.

13 Meſenterium colligendis ac tuendis chyliferis ſanguiferiſque ductibus, ut liquoribus meatus præbeatur, deſtinatum eſt.

14 Organon ſanguificationis non ſecundum veteres hepar eſt, vel ſecundum recentiores cor, quod magis inſtrumentum circulationis ſanguinis et motus inteſtini vitalis quam ſanguificationis eſt.

15 Ipſe ſanguis vitali motu et calore præditus chyli particulas ramoſas ſulphureas ſola digeſtione diuturna vertit in ſanguinem.

16 Cor eſt principale et eminens machinæ noſtræ movens, et quod motu perpetuo, dum vita eſt, gaudet, et ab hoc reliqui dependent omnes motus.

17 Cor motum principale inſtrumentum circulationis ſanguinis eſt.

18 Sine circulatione ſanguinis animal vivere non poteſt, dependet ab illa primo fluiditas, craſis et intima particularum tenujum cum ſolidis partibus mixtio, ſecundo nulla nutritio, excretio nullus motus vel ſenſus ſine circulatione ſanguinis fieri poteſt.

19 Sanguinis circulatio α ex ligaturis vaſorum, β ex poſitura valvularum, γ ex refluxu aquæ per venam in arteriam injectæ, δ ex oculari demonſtratione in pediculo vel anguillæ cauda beneficio microſcopii patet.

10 Sanguis non ſolum motu progreſſivo & circulari, ſed & inteſtino gaudet, motus autem inteſtinus prior eſt circulari & ab inteſtino dependent ſpirituaſcentia, robur & ipſæ vires.

21 Motum ſanguinis inteſtinum ſuſtinent particulæ ſubtiles aeris elaſticæ, quæ in ſanguineis variis ratione figuræ ac magnitudinis particulis turgeſcentiam quandam vitalem efficiunt, a qua turgeſcentia dependent corporis vires & motus ſimul ipſius cordis.

22 Particulæ æthereæ elaſticæ per reſpirationem hauſtæ turgeſcentiam vitalem efficere nequeunt, ſi ſanguis nimis eſt craſſus & particulis fixis abundat, vel ſi nimis fluidus, rarus ac ſubtilis eſt, hinc vires requirunt ſanguinem temperatum.

23 Non ſolum cor, ſed ipſæ arteriæ, venæ imo omnia vaſa, viſcera ac muſculi ad ſanguinis motum progreſſivum & localem faciunt, illumque augere vel imminuere, æqualem vel inæqualem reddere poſſunt.

24 Succenturiatum cordis motus organon ſunt ipſi pulmones, quorum corpus ex meris aereis fiſtulis & membranis veſiculoſis una cum ramificatione arteriarum & venarum conſtat, per has ſanguis venoſus omnis trajicitur & materia ſubtiliori aerea impregnatus, tranſit ad ſiniſtrum cordis ventriculum.

25 Totum abſtrauſum reſpirationis negotium a muſculis thoracis atque abdo-

abdominis actione procedit, & alternata utriuſq; ventris dilatatione ac ſubſidentia dependet, hinc reciproco aeris in pulmones ingreſſu expulſioneque peragitur.

26 Quando augetur pectoris cavitas ob diaphragmatis deſcenſum & coſtarum elevationem, tunc ob æquilibrium aeris interioris cum externo ſublatum, aer gravitate ſua ruit in aſperam arteriam & ei annexos pulmones; quando autem thorax in fornicem ſuum iterum redit, & coſtæ concidunt, tunc aer expellitur: non ſecus ac ſi follium latera deducuntur, aer impellitur & contra lateribus conciſis aer iterum expellitur.

27 Reſpiratio actio eſt, quæ ſemel incepta nunquam ceſſat.

28 In reſpiratione comprimuntur vaſa pulmonum & ſanguis exprimitur, in exſpiratione autem recipitur: hinc in inſpiratione pulmones albeſcunt, & in exſpiratione rubeſcunt.

29 Aer externus gravior propria vi inclinat ingredi pulmones & ſpatium thoracis propter aerem inibi calefactum & rarefactum, quem propria virtute reſtituere conatur.

30 Aeris portio ſubtilior ſanguini communicatur, quia colorem acquirit alium ſanguis in vena pulmonali.

31 Veſiculæ pulmonales inſerviunt ſubtiliori particularum aerearum ſegregationi, quę ſanguini intermiſcentur, particulæ autem aqueæ craſſiores per exſpirationem iterum rejiciuntur.

32 Subtilior aeris portio elaſtica vi donata globulos ſanguinis diſgregat & a ſe invicem propellit, motum ſeu fermentationem inteſtinam, fluiditatem, calorem vitalem & colorem producit purpureum.

33 Aer non refrigerat, ſed calefacit, hinc quo major eſt inſpiratio, uti in motu & exercitio, eo major adeſt calor.

34 Bronchiorum pulmonalium veſiculæ ſive cellulæ ita ſunt conformatæ, uti ex trachea in illas proximas & ex illis in vicinas & ex his iterum in alias pateat tranſitus, donec in communem pulmonum membranam deſinant, ſicque omnes expandantur.

35 Ex ſanguine cum ſero mixto originem habent ſpiritus animales, & ipſe ſuccus nutritius & natura unice generationem horum fluorum ex ſanguine intendit, in cujus finem conſpirat omnium viſcerum uſus.

36 Succus noſter nutritius, cujus partes ſubtiliſſimæ volatiles ipſis ſpiritibus prębent animalibus materiam, ex particulis fluidis globoſis, dulcibus, gelatinoſis temperatis conſtare debet.

37 Particulæ viſcidiores fixæ, acidę, ſalinę, ſulphureę, acres, ſucci nutritii generationem & ſpirituum animalium materiam ingredi non poſſunt.

38 Uſus pene omnium viſcerum eo conſpirat, ut ex ſanguine & ſero particulæ ſalinę, rigidiores, terreæ, viſcidæ ſeparentur & craſſiores ſubtiliſentur.

39 Viſcera ſegregationem humorum excrementitiorum non peragunt fermento quodam, quod nimirum præcipitet humores ſecernendos, ſed omnis ſecretio bilis, urinæ, ſudoris, pituitæ ſalivę mechanica ratione & certo filtrationis modo peragitur.

40 Hepatis glanduloſi pori & vaſcula ſeparant a ſanguine particulas amaras ſulphureas, quæ collectæ in veſicula fellea bilem conſtituunt.

41 Renes, qui ex minutiſſimis conſtant canaliculis, ſerum ſalſum, quod urina vocatur, a ſanguine colant ac filtrant.

42 Minutiſſima cutis vaſcula, glanduląe & pori vaporoſum illud ſalſum ſerum, quod ſudoris nomine venit, ſequeſtrant.

43 Cutis totius corporis emunctorium eſt juxta *Galenum*.

44 Cutis tranſpirationem vaporum moderatur, ſine qua homo vivere non poteſt.

45 Conformatio pororum cutis talis eſt, ut poſſint claudi & aperiri, & modo faciliorem, modo difficiliorem tranſitum concedere, in tono itaque curis naturali modus tranſpirationis noſtræ maximam partem conſiſtit.

46 Cruſta villoſa ipſius ventriculi & inteſtinorum ex minutiſſimis vaſculis & poris conſtans, ſeparat pituitam viſcidam ex ipſo ſanguine: ſimili modo ductus naſi, qui ad palatum abit, ex tunica glanduloſa & poroſa conſtans mucum viſcidiorem ſeparat,

47 Glan-

47 Glandulæ conglomeratæ ſalivales pancreaticæ ſerum ſalivale tranſcolant, illudque ductibus committunt ſalivalibus.

48 Glandulæ atrabilariæ, ſi interius microſcopio ſubjiciuntur ex minutiſſimis glandulis conſtant, quæ liquorem ſeparant alkalinum, qui infuſus ſanguini retrogrado a renibus, illum a coagulatione præſervat.

49 Cerebrum conſtat ex ſubſtantia corticali, cinerea, glanduloſa, & ex medullari albiſſima, illa ſpiritus animales ſeparat, hæc autem filtratos ſpiritus recipit.

50 Quod viſcus ſingularem ac certum humorem ſecernat, male adſcribitur variæ diſpoſitioni pororum ratione figuræ ac magnitudinis, glandularum enim porri interni non ſunt figuræ diverſæ in diverſis corporis loci pro diverſitate partium ſecernendarum.

51 In glandulis non ſecernuntur minima fluidorum ſolida, ſed ipſa fluida parva licet portione: fluida autem non requirunt figuram ſingularem cum ea ſe cuivis figuræ accommodent & in cujuſcunque orificium penetrant, hinc non opus eſt peculiari orificii figura, ſed quælibet ſufficit, modo ſit ſatis ampla.

52 Orificia vaſorum et pori glandularum circulares ſunt, verum amplitudine differunt.

53 In tunicis arteriarum pori ſunt ſecretorii, qui pori orificiis naſcentium excretoriorum adnati ſunt, hinc vaſa excretoria annumeranda ſunt ramulis arteriarum.

54 Glandulæ nihil aliud ſunt quam curvaturæ arterioſæ.

55 Singularis eſt ſtructura & uſus venæ portæ, recipit illam omnem ſanguinem ex abdominis viſceribus & deducit illum ad hepar, cum tamen hic impulſus debitus deficiat: hinc circulatio ſanguinis in vena portæ impedita magna incommoda inducere poteſt corpori noſtro.

56 Plurima viſcera ex minutiſſimis & arenatis vaſculis conſtant, uti excarnationes & injectiones mercurii in ipſa vaſa ſatis id clare demonſtrant.

57 Quo minora adſunt vaſcula, per quæ ſanguis tranſire debet, eo magis ſubtiliſatur, ne autem in illis vaſculis ſtagnet, nervi ſpiritus advehunt animales, ut illorum motu et ſubtiliſatione promoveatur motus ſanguinis et obſtructio impediatur.

58 Lien nihil a ſanguine ſeparat, ſed ex innumeris cellulis & fibris conflatus eſt, quæ ad conquaſſationem, comminutionem et intimiorem ſanguinis ſubtiliſationem multum contribuunt.

59 Subſtantiam lienis tranſit ſaltim arteria, non autem vena.

60 Obſervatum eſt, canes, quibus lien exſectus fuit, triſtes, ignavos ac pingues factos fuiſſe.

61 Ureteres fibris muſculoſis ſunt inſtructi; hinc non ſolum pondere tranſit urina, ſed adjuvatur conſtrictione.

62 Veſica urinaria umbilico per urachum connectitur, hinc magnus illorum eſt conſenſus.

63 Veſica non eſt membranacea, ſed pluribus prædita eſt fibris tranſverſis, quarum beneficio conſtringi poteſt ad expellendum ſuum contentum, propter immodicam itaque fibrarum tenſionem illa ſe amplius contrahere nequit, ſicque graves fiunt urinæ ſuppreſſiones.

64 Nutritio eſt particularum abſumtarum roſtauratio: auctio autem fit, quando ultra abſumptarum reſtaurandarum molem acceſſio eſt.

65 Nutritio animalis cum ejuſdem generatione convenit, et eadem eſt materia generationis ac nutritionis.

66 Motus uti partes fluidas atterit et conſumit, noſtrumque depaſcit corpus, ſic quoque illud ipſum conſervat, dum non ſolum materia nutritionis ad partes advehitur, verum etiam illo ipſo partes ad illam recipiendam et aſſimilandam diſponuntur.

67 Propter rapidi ſanguinis localem motum et inteſtinum adauctum excitatur calor, qui non niſi vehementior motus eſt particularum ſubtiliſſimarum, hic depaſcit partes fluidas, illas diſſipat in auras, & ipſas ſolidas liquefacit.

68 Quo major itaque calor eſt in ſanguine, eo magis conſumuntur partes, quo autem motus & calor magis eſt temperatus et blandus, nutritio quoque melior fit.

69 Materia nutritionis non eſt ſanguis

nec lympha vel ſuccus nervorum, ſed ſerum γλυκχρὸν gelatinoſum dulce ac temperatum.

70 Omnes partes corporis ſolidæ, oſſa, cartilagines, membranæ, fibræ coctæ præbent gelatinam.

71 Serum ſanguinis ſuper ignem calore mediocri in gelatinoſam ſeu glutinoſam offam congelatur.

72 Cauſa efficiens nutritionis non eſt ſingularis nutriens facultas propria partibus ac connata, nec fermentum quoddam tranſmutatorium, nec pororum ſola configuratio diverſa hic ſufficit, ſed eſt naturæ ſeu animæ ſenſitivæ motus determinatus ad certum ordinem, menſuram, numerum, uno verbo, vis plaſtica.

73 Nutritio autem illa, ubi jam tota machina et ejus partes ſunt confectæ, peragitur ſolo impulſu ſeri nutritii ad poros partium et inibi facta ſtagnatione ac aſſimilatione.

74 Spirituum animalium influxus et concurſus ad laudabilem nutritionem eſt neceſſarius.

75 Spiritus animales non ſolum virtualiter ad nutritionem concurrunt partes actuando et vigorando, verum etiam materialiter, certo reſpectu, quatenus ſerum nutritium ſubtile, vitale et ſpirituoſum efficiunt.

CAP. VIII.

De Conceptione, Generatione & partibus illi inſervientibus, &c.

1.

UT omnia animalia ex ovo, ſic quoque homo ex eo pronaſcitur.

2 In ovo totius animalis ideæ rudimenta et lineamenta depicta ſunt.

3 Teſtes muliebres nil niſi ovarium ſunt, conſtant ex corpore inæquali et ex veſiculis varie compoſito, non abſimili veſiculis virorum ſeminalibus; veſiculæ hæ vera ſunt ova et pellucidam lympham continent, quæ ſi per microcoſpium inſpiciuntur, varias lineas depictas ac delineatas ibi videbis.

4 Unum poſt alterum ovum ſucceſſive fit maturum, et ſi duo ova ſimul ſunt matura et ſimul fœcundantur, tunc gemelli fiunt.

5 Ovum ad generationem aptum fœcundari debet, quod fit ſubtiliſſimis ſpirituoſis effluviis ſeminis maſculini, quæ novum vitalem inteſtinum motum introducunt in ovuli contentas partes fluidas, quo motu turgeſcentia et rarefactio fit vitalis, quare pelliculæ ovi diſtenduntur, fluidæ partes ſpumaſcunt, ſicque a fibroſis teſticulorum vinculis ovula convelluntur.

6 In parte illa ovarii, ubi ovulum decidit obſervata fuit ab occulatioribus anatomicis cicatricula quædam.

7 Ovum fœcundatum per tubas Fallopianas ad uterum defertur, quæ delatio peragitur contractione muſculoſarum fibrarum, ex quibus illæ conſtant partes.

8 Ovulum fœminæ continet principium materiale prolis, ſemen autem maſculinum concurrit formaliter, contactu tamen corporum, quatenus inſitum illud principium actuatur et movetur.

9 Mares, qui ad generationem proni ſunt, teſticulis inſtructi eſſe debent, quibus exſectis impotentes redduntur.

10 Teſtum ſubſtantia non glandulоſa nec medulloſa eſt, ſed canaliculoſa, totum enim illud corpus in infinitas fibrillulas pilorum inſtar tenuiſſimas deduci poteſt, ut præter nervoſum corpus nihil in medio reliquum maneat, ab hoc in albugineam tunicam plura minora corpora nervea obſervare licet; ipſum altera extremitate continuatum eſt cum epidydime.

11 Epidydimis quamvis membrana involuta teres aliquod corpus inflexum videatur, contextus tamen plurimorum vaſorum eſt, ſi ſeparatio illius membranæ fiat.

12 Veſicularum ſeminalium ſubſtantia mere vaſculoſa eſt, hiant in illa vaſa deferentia, et ex illis ſemen fertur in urethram.

13 Proſtratæ fere ſunt glanduloſæ et ita adhærent urethræ, ut unum videatur eſſe corpus.

14 Ner-

14 Nervorum et teſticulorum ingens conſenſus eſt, hinc unius diſpendium alterius efficaciam mirum enervat.

15 Teſticulorum conformationem cerebri ſtructuram analogam eſſe dixit *Borellus*, imo ſemen et fluidum nerveum maximam habet affinitatem et conformitatem, utrumque fluidum magno impetu determinato tamen et ordinato, non tumultuario agit.

16 In ſeminis virilis ſpiritu omnes partes maris illarumque ideas delineatas eſſe, nullum eſt dubium.

17 Seminis maſculini ſubtiliſſima effluvia non per tubas et vaſa ſanguinea, ſed per uteri poroſam ſubſtantiam tranſeunt ad ipſum ovarium, ubi in ovo maturo motum inteſtinum fermentativum vitalem, qui fœcundatio dicitur, excitant.

18 Poſt conceptum non ſolum uterus, ſed et partes ambientes magis intumeſcunt et a calore ac ſanguine ſpirituoſiore perfunduntur.

19 Quando punctum ſaliens adeſt in fœtu, tunc tam ſubtiles ſunt fibræ, ut vix ſenſibus pateant.

20 Fibræ ſunt quaſi prima ſtamina ac columnæ ipſius fœtus, ex fibris fiunt membranæ et ex membranis cartilagines, ex his oſſa.

21 Oſſificatio in centro ſemper incipit, deinde ad latera.

22 Uterus dividitur in cavitatem et vaginam uteri, eſt ſubſtantia ejus maxime ſpongioſa, tortuoſis ramificationibus venarum et arteriarum, vaſorum lymphaticorum prædita diſtenditur et craſſeſcit maxime in gravidis, detumeſcit autem effluentibus lochiis.

23 De vago uteri per abdomen et tandem in thoracem motu, popularis eſt error, uti mulierculis condonandus, ſic in medicina non tolerandus.

24 Fœmina omni menſe per vaſcula in uteri vagina exiſtentia ſanguinem emittit, qui fluxus poſt annum decimum tertium vel decimum quartum incipit, et circa annum quinquageſimum deſinit.

25 Sanguis menſtruus immediate infantem non nutrit, ſed ſuccus nutritius fœtus alendi cauſa ad ipſum uterum cum ſanguine derivatur, hinc ſæpe etiam citra noxam ſanguis fluit menſtruus in gravidis.

26 Sanguinis et ſucci alimentarii plenitudo in fœminis periodici hujus fluxus ſtimulus eſt primarius.

27 Fœminarum corpus per ſingularem habitudinem ſummus Creator a maſculino diſtinctum voluit, ut nimirum in illo abundent ſucci, quo concipiendo et geſtando fœtum fiant aptæ.

28 Natura per ideam certam ſibi impreſſam et actum conſuetudinis emittit ſuperfluum ſuccum per uterum, qui copioſiſſimis vaſculis eſt inſtructus, quique propter ſingularem ſtructuram evacuationi hujus admodum congruus eſt.

29 Tempore menſtruationis ſanguis per arterias et venas non rite circulatur, ſed ob copiam ſanguinis impeditior tunc per venas uteri fit refluxus, hinc ſtagnat ſanguis, diſtendit lumbos.

30 Quando uteri textura cavernoſa ac ſpongioſa facta fuit tempore prægnationis, ſanguis, majus ſpatium in utero nacto, dilatat tubulos uterinos.

31 Placenta uterina non ſtatim primo obſervatur menſe, quando autem adeſt, imbibit ſuccum nutritium ab arteriis matris allatum et per venam umbilicalem in fœtus hepar defert.

32 Secundinarum ſubſtantia maxime ſpongioſa ac poroſa eſt, hinc flatu per tubulum immiſſo non aliter ac lien diſtendi poteſt; ſeparat ac colat ſuccum chyloſum ex ipſis arteriis uterinis, quo ipſe nutritur fœtus.

33 Membranæ fœtus in homine duæ ſaltim obſervatæ ſunt, Chorion et Amnion, chorio adhæret placenta et hæc utero, non tamen ita, ut vaſa umbilicalia ſive arteriæ ſive venæ matris vaſis adhæreant.

34 Fœtum ultimis menſibus per os nutriri, abſurdum non eſt.

35 Humor, qui proxime fœtum ambit, videtur alimentarius, quoniam in quibusdam animalibus imminuitur ante excluſionem, imo perit.

36 Hiante ore fœtus animalium in aqua ſua ſæpe videntur, et duodecimo ab incubatione die pullus, humori ſuo innatans, roſtrum aliquoties deduxiſſe obſervatum fuit.

37 In fœtu tranſit ſanguis ex ventriculo dextro ad ſiniſtrum, non per pulmones, ſed per foramen ovale, quod eſt intra venam cavam & venam pulmonalem.

38 Fœtus in lucem editus, membranis ſuis involutus, per aliquot horas ſub aquis vivus ac ſalvus manere poteſt ſine aere, quod ſi autem ſemel reſpiraverit, tunc iſta reſpiratio ſemper continuari debet, alias hac ceſſante, ſtatim moritur.

39 Quando oſtiola vaſorum uterinorum a placenta obdurata reſerantur in partu, ſanguis & humores, geſtationis tempore intra vaſa & uteri ſpongioſam ſubſtantiam collecti, educuntur, ſicque fiunt lochia.

40 Fœtus propter aeris defectum affectat exitum.

PATHOLOGIÆ MEDICÆ.

CAP. I.

De morbis in genere & illorum cauſis.

I.

UTi vita & ſanitas conſiſtit in debito actionum vitalium exercitio: Sic morbus in exercitio illo depravato vel imminuto; mors autem in totaliter illo deſtructo conſiſtit.

2 Quando actiones vitales, quæ verſantur in motu, ſenſu & nutritione machinę, læſæ ſunt, tunc dicitur adeſſe morbus, ſeu præternaturalis machinæ noſtræ conſtitutio.

3 Uti actiones vitales immediate dependent a motu laudabili ac æquali partium fluidarum, maxime ſpirituum animalium rectaque ſolidarum conformatio, ſic imminutæ & depravatæ a læſo illo motu humorum pravaque ſolidarum conformatione originem ſuam petunt.

4 Mors ex totali deſtructione temperiei & motus fluorum machinæ noſtræ naturaliter conſtitutorum oritur: & quo magis temperies vel motus humorum eſt deſtructus, eo morbus eſt gravior & periculoſior.

5 Quodcunque lædit vel deſtruit temperiem & motum laudabilem ſanguinis & fluidi nervei, vel partium ſolidarum conformationem, quæ conſiſtit in debito ſitu, numero, figura, illud titulum cauſæ meretur morbificæ.

6 Intemperies in partes ſolidas non cadit, niſi quatenus dependet a partibus fluidis, hinc antipraxia viſcerum antiquum eſt commentum medicorum.

7 Viſcerum præternaturalis conſtitutio & debilitas conſiſtit in pororum tubulorumque inconſtantia & obſtructione.

8 Intemperies partium fluidarum emergit ex læſa mixtura corpuſculorum illas conſtituentium.

9 Partes fluidæ ex variis ratione molis, figuræ et ſitus particulis conſtant, et ſi volatiles, fluidæ ac ſpirituoſæ cum fixis, terreis mucilaginoſis rite invicem ſunt mixtæ et in æquilibrio poſitæ, temperies adeſt, et vice verſa, ſi mixtio hæc eſt inæqualis, intemperies emergit.

10 Intemperies ad duo genera optime referri poſſunt, vel enim particulæ mobiles, volatiles, ſalinæ, ſulphureæ in ſanguine et humoribus prædominantur, et tunc intemperies calida, ſalina, acris exſurgit; vel particulæ mucilaginoſæ, acidæ, fixæ prædominium habent, et tunc intemperies frigida, acida et melancholica reſultat.

11 Intemperies ſine materia merum eſt figmentum.

12 Sanguis et humores non peccant primis qualitatibus, ſed calore dicuntur peccare, ubi tenuia, ſpirituoſa, ſalina corpuſcula prę levioribus ramoſis et aqueis palmam habent: frigiditate autem delinquunt, ubi terreſtres, aquoſæ, fixæ, viſcidæ particulæ partes volatiliores ac mobiliores ſub jugo habent; ſiccitate peccant humores, quando referti ſunt ſalinis, regidis et fixis particulis; humiditate autem, quando abundant particulæ lubricæ, aqueæ.

13 Intemperies maligna ſive totius ſubſtantiæ oritur a mixtura corpuſculorum ſanguinis, ratione ſitus, motus et ordinis penitus deſtructa, et quo magis

vin-

vinculum particularum fixarum cum fluidis, mobilibus eſt deſtructum, eo pejor & periculoſior eſt ſtatus.

14 Intemperies partium fluidarum principalis & efficiens cauſa morborum eſt.

15 A conſtitutione & mixtione corpuſculorum ſanguinis maximam partem tam circularis quam inteſtinus ſanguinis & humorum motus dependet.

16 Si particulæ viſcidæ, fixæ, aquoſæ in humoribus prævalent, tunc motus tam inteſtinus quam circularis eſt magis imminutus & tardus; Si autem volatiles, ſpirituoſæ; magis motus citatus et auctus eſt.

18 Morbi optime dividuntur in chronicos et acutos; in acutis motus humorum magis eſt fortior, in chronicis autem magis depreſſior.

18 Quo humorum motus ſunt fortiores et auctiores, eo naturæ magis ſunt infenſi.

19 In omni itaque morbo motus ſanguinis et partium fluidarum vel imminutus vel auctus eſt.

20 Dantur quam plurimi morbi, ubi in una parte motus auctus, in altera autem eſt depreſſus et qui dependent ab inequalis ſanguinis circulatione.

21 Cauſa morboſæ intemperiei & remota morborum utplurimum eſt obſtructio, quæ in partibus ſolidis facile fieri poteſt.

22 Obſtructiones in partibus fluidis eſſe non poſſunt, ſed in partibus ſolidis et vaſculis: et in quibus partibus vaſcula ſunt minora et anguſtiora, eo facilius ibi obſtructiones generari poſſunt.

23 Obſtructiones partium vel morbum præcedunt vel ipſum ſequuntur, hinc morbus alium morbum generare facile et producere poteſt.

24 Obſtructiones vaſorum inæqualem motum ac circulationem efficiunt, dum enim in parte obſtructa motus eſt imminutus, tunc in tubulis apertis magis creſcit et incrementum ſumit.

25 Omnes obſtructiones æquilibrium motus tollunt.

26 Quando vaſa ſanguinea & minutiſſima obſtructa ſunt motus ſanguinis tam inteſtinus quam progreſſivus in reliquis vaſis augetur: hinc inflammationes, ebullitiones, febres, calor præternaturalis, ruptiones, diſtenſiones venarum, hæmorrhagiæ et catarri oriuntur.

22 Quando in ſyſtemate nervoſo tubuli quidam obſtructi ſunt, neceſſe eſt, ut per tubulos reliquos apertos intenſius moveantur ſpiritus ſic dicti animales, quo motu partes ex panduntur et cum dolore contrahuntur, ſicque fit ſpaſmus.

28 Videntur plurimi morbi oriri a ſpirituum animalium et ſanguinis per minutiſſima vaſcula inæquali et impedita circulatione.

29 Obſtructiones non ſolum fiunt a particulis lentis, viſcidis et motu humorum tardo, ſed etiam a motu nimis aucto et impetuoſiori.

30 Non raro ſubtiliſſima, ſalina, acria corpuſcula membranas vellicantia cauſa majoris affluxus et σπασμος eſſe poſſunt.

31 Spaſmoticæ partium contractiones frequenter ſunt obſtructionum fabri.

32 Humores ſtagnantes ex mora corrumpuntur et diſcraſiam peregrinam induunt, et ſunt inſtar fermenti, quod maſſam ſanguineam in ſua mixtura admodum turbare aptum eſt.

33 Humor in corpore noſtro qualitate eminentiori inſtructus, reliquos facile ad ſuam diſponere poteſt indolem.

34 Vitiatis ac diſtortis moris ac meatibus partium ſolidarum non humores ſolum ſtagnant, ſed & vitiantur, uti ſtrumæ, excreſcentiæ, ſcirrhi cancroſa ulcera id teſtantur.

35 Vitioſæ collectæ particulæ in vitiatis poris preſſione cavitatem ſibi formant, unde oriuntur tumores, hydatides, excreſcentiæ.

36 Cauſa morborum non ſolum eſt intemperies et humorum vitioſa qualitas, ſeu dicta cacochymia, ſed illorum quantitas aucta vel imminuta.

37 Plethora ad vires nunquam infenſa eſſe poteſt corpori, ſed ſaltim illa ad vaſa: non ſolum autem datur plethora ſanguinis, ſed etiam ſeri et lymphæ, hinc plethora ad vaſa non venæſectione ſolum, ſed purgantibus etiam, diureticis et ſudoriferis tollitur.

38 Quando humores per vaſa ſua con-

grua non rite circulari et evolvi poſſunt, ſtagnant, corrumpuntur et excrementitii humores detinentur, hinc plethora intemperies, obſtructiones et per conſequens plures generantur morbi.

39 Nimiæ ſanguinis ac lymphæ effluxiones a plethora ſæpiſſime originem ſuam petunt, diſtendente ac rumpente vaſa.

40 Non ſolum aucta humorum quantitas & deficiens morbos producit graviſſimos, quod patet ex illis morbis, qui immoderatos fluxus humorum, ſanguinis ac ſeri ſequi ſolent.

41 Ex pituita, bile & ſucco pancreatico omnes deducere morborum cauſas, inſufficiens eſt.

42 Bilis raro quantitate aucta, magis autem qualitate peccat.

43 Morbi conformationis conſiſtunt in quantitate vitioſa ſecundum numerum ac magnitudinem, vel in qualitate vitioſa ſecundum figuram in longitudine & latitudine ſuperficie.

44 Ad morbos ſolutæ unitatis non ſpectant ſolum vulnera et ulcera, ſed & contuſiones, fracturæ ac luxationes.

45 Dolores male referuntur ad morbos ſolutæ unitatis, potius debentur nervorum et membranarum contractioni ſpaſmoticæ.

46 Morbi ſunt vel contagioſi & non contagioſi, vel maligni & benigni, acuti & chronici, eſſentiales & ſymptomatici endemii & epidemici periodum, vel illum non ſervantes.

47 Non omnes maligni morbi ſunt contagioſi, nec omnes benigni non contagioſi.

48 Quivis morbus habet ſua tempora & ordinem, nimirum initium, ſtatum, progreſſum & declinationem.

49 In peſte morbis malignis & epidemicis obſervantur non raro certa tempora, ita ut hi morbi in principio leniter invadant, poſtmodum valde increſcant & denique iterum vehementia illorum decreſcat.

CAP. II.

De cauſis morborum remotis.

1.

UTi ad temperiem et naturalem ſanguinis ac fluidi nervei conſtitutionem, ipſamque ſanitatem faciunt parentes, nativitas, ſolum, ætas, ſexus, vitæ ratio: ſic quoque ad ſanguinis intemperiem, & ipſorum morborum genetationem concurrere poſſunt.

2 Multi magni morbi fiunt a diſpoſitione hæreditaria.

3 Quemadmodum intervallum rectarum inter ſe mutuo inclinantium linearum, quod vix ſenſibile eſt, in appropinquationis puncto vaſtiſſimum deſcribit ſpatium, ſi in infinitum lineæ hæ producantur: Ita exigui a ſtatu naturali deceſſus in utero incrementum inſigne accipiunt, infans dum adoleſcit.

4 Quodvis clima, quævis ætas & uterque ſexus ſuos habet peculiares morbos.

5 Solis & Lunæ poſitiones, ſitus & motus magnam poſſident vim in corpora noſtra, hinc in ſolſtitiis & æquinoctiis inſignis accedit corpori mutatio.

6 Anni tempora variorum morborum cauſæ eſſe ſolent, hinc vere, illi morbi, qui ex multis fiunt humoribus, autumno illi, qui ex corruptis fiunt, frequentiores.

7 Spirituum, qui machinam noſtram dirigunt, ac ſanitatem efficiunt, indoles dependet maximam partem a ſanguine, ſanguinis autem conſtitutionem variam reddunt aer, cibus, potus, ætas &c.

8 Aer non ſolum humiditate, ſiccitate, calore & frigore varie corporis noſtri humores, parteſque ſolidas afficere poteſt, verum etiam pro diverſitate effluviorum magnam vim habent texturam ac temperiem ſanguinis immutandi.

9 Cuivis ferme regioni & loco familiares ſunt certi morbi propter diverſam aeris conſtitutionem.

10 Ab inæqualitate & ſubita aeris mutatione ſanguis varie afficitur, & machina

china noſtra in ſuis operationibus ingentem in modum turbatur.

11 Aer de ipſis terræ effluviis participat, in mari eſt acido-ſalinus, in nonnullis locis nitroſus, bituminoſus & in aliis tenuis ſubtilis & purus, in aliis craſſus & impurus minuſque mobilis.

12 Aer quo calidior, eo magis infenſus eſt vitę & ſanitati noſtræ, uti id teſtatur Hiſpanicus, & Italicus aer.

13 Aer calidus expandit, dilatat ac rarefacit humores corporis noſtri, ita ut majus affectent ſpatium, frigidus autem illos condenſat, & coarctat; aer humidus fibras reddit laxiores, ſiccus autem eas facit rigidiores.

14 Aeris qualitates ac virtutes dependent maxime a ſolis & lunę poſitione, & uti Sole præſente aer tenuior, calidior ac ſubtilior; ſic in plenilunio humidior, gravior, denſior & frigidior eſt.

15 Tempore verno alii fiunt morbi, alii tempore autumnali & hyemali, & ſic quoque nonnulli morbi de nocte, alii de die magis ſumunt incrementa.

16 Conſtitutio aeris multum dependet a ventorum agitatione, ſic Eurus & Boreas particulas magis rigidas & acutas aeri communicat; Auſter autem & Zephyrus particulis magis tenuibus, alcalinis calidis aerem impręgnant, & illi frigidiores, hi autem calidiores ac humidiores ſunt.

17 A ventorum mutatione machina noſtra varias percipit alterationes.

18 Aer craſſus, frigidus, particulis ſalſis acidis repletus, inflammationes cauſatur, illaſque adauget, circulationem & excretionem humorum retardat, tranſpirationem inhibet, morbos reddit efficaces ac diuturnos, nervoſoque generi admodum eſt hoſtilis.

19 Aer calidior, tenuior ad ebullitiones ſanguinis, putredines, dolores, humorum præternaturales effluxiones, & motus magis eſt proclivis, ſpirituumque craſin efficit acriorem.

20 Aer mutatus magnorum ſæpe morborum remedium eſt.

21 Aer eſt vehiculum effluviorum & miaſmatum morboſorum, omniſque morbus contagioſus propagatur beneficio aeris.

22 Ab aeris conſtitutione dependet ſpirituum animalium tenuitas, mobilitas, item fixitas tarduſque motus omneſque pene animi actiones ac motus, hinc quævis regio pecularia profert hominum ingenia.

23 Quorum genus nervoſum admodum debile & ſenſibile eſt, illi ſtatim omnes mutationes in aere occurrentes percipere poſſunt, & tempeſtates ſæpe prænunciare.

24 Ab ingeſtis, cibo nimirum & potu, ſanguinis temperies, & conſtitutio maximam partem dependet, qualis enim eſt cibus, talis chylus, qualis chylus, talis ſanguis, & qualis ſanguis, tales ſunt ſpiritus & ſanitas.

25 Quantitas ciborum interdum plus nocet quam qualitas; qui enim multum comedunt, plerumque non adeo ſani ſunt, & vorocitas cruditatum mater eſt.

26 Omnes cibi eminenti qualitate pręditi, uti ſalſi, viſcidi, acidi, pingues acres in copia aſſumpti, intemperiem ſanguini inducere apti ſunt.

27 Intemperies ſanguinis ſive acida, ſive viſcida, ſive ſalſa acris multum dependet a cibo & potu aſſumpto.

28 Cibi viſcidi, ſaliti, indurati, acidi obſtructiones, ſcorbutum, febres intermittentes diuturnas, hydropem, inflammationes graviſſimas excitant.

29 Cibi calidi, ſpirituoſi, acres, nimis tenues, hæmorrhagias, dolores, febres inflammatorias, continuas, ebullitiones varias & putredines generant.

30 Cereviſiæ tenues, facile aceſcentes, maxime in regionibus frigidis, & ubi victus craſſus locum habet ad morbos chronicos, ſcorbutum, malum hypochondriacum &c. diſponunt; cereviſiæ autem inebriantes, ſpirituoſæ magis morbos excitant acutos.

31 Omnes ſpirituoſæ & lupulatæ cereviſiæ nervis & capiti nocent.

32 Spiritus vini, & vini abuſus magnorum morborum fœcunda mater eſt.

33 Vina calida, uti Hiſpanica, Francica, Hungarica in copia & immoderato uſu aſſumpta, ſanguinem inflammant, graviſſimas febres inflammatorias, malignas, hæmorrhagias, dolores producere poſſunt,

34 Uti

34 Uti vinum et ſpiritus vini moderate ſumpti ventriculum confortant, et ſpirituaſcentia ſanguinis et humorum promovent: ſic intempeſtive et intemperate aſſumpti, chylificationem lædunt ac ventriculum totamque ſanguinis temperiem deſtruunt.

35 Aquæ vivæ aliquot horis poſt cœnam vel prandium largius aſſumptæ lædunt chylificationem, quoniam ſpiritus vini præcipitat ipſum chylum.

36 Vina acida, quæque copioſum tartareos, ut calculum, artrithidem, podagram maxime diſponunt.

37 Ex conſtitutione ac indole ipſius aquæ cibus ac potus varias acquirunt qualitates, varieque modificantur ac alterantur.

38 Vigiliæ immoderate acrimoniam ſanguinis et humorum adaugent, et motum inordinatum partibus fluidis intemperiemque introducunt.

39 Somnus immoderatus ſpirituaſcentiam ſanguinis & humorum impedit, tardumque ac torpidum ſanguini ac ſpiritibus injicit motum.

40 Vigiliæ immodicæ plus nocent ac enervant quam ſomnus largus.

41 Somnus et quiete intemperies acres ſanguinis et humorum motuſque ſpirituum inordinati egregie corriguntur.

42 Motus corporis uti moderatus egregie excitat ſpiritus et humorum motum, ſic nimium excedens enervat ac debilitat.

43 Excrementa, extra ſphæram corporis evacuari ſolita, retenta magnos morbos producere apta ſunt, hinc alvi obſtructio, urinæ ac mucinarium, item ſudoris, menſium, hæmorrhoidum ſuppreſſio graviſſimorum morborum cauſæ exiſtere ſolent.

44 Retentione longiori excretorum ſucci corporis noſtri inquinantur, illorum temperies deſtruitur, & circulatio motuſque illorum ordinatus læditur.

45 Nihil intimius ſimul et celerius ſanguinem noſtrum alterare, ejuſque mixturam deſtruere, ac motum inæqualem ſpiritibus introducere aptum eſt, quam ira, terror & triſtitia.

46 Pulſus inordinatus ſemper ſequitur affectum intempeſtivum uſum.

47 Nihil magis accendit ſpiritus, quam ira et amor, mœror autem et triſtitia illos ipſos figit.

48 Affectus animi immediate agunt in ſpiritus animales, ſpiritus in corporis noſtri fluores, hi in partes ſolidas.

49 Nihil magis ad vitæ facit abbreviationem et morborum accumulationem, quam affectuum præpoſterum uſum.

50 In ira ſanguis mirum agitatur, hinc ſucci pancreatici et bilis ingentes fiunt effuſiones, quibus ſupervenit diarrhæa, cor tremet et palpitat, facies mox pallet, mox rubet, os ſpumat, reſpiratio adeſt difficilis.

51 Ira furor brevis eſt.

52 Ira non raro malignos morbos producere ſolet, quatenus fermentum, quoddam latitans in partibus quietum fortiori humorum motu excitat, quod deinde ſanguini mixtum alias producit efferveſcentias.

53 Quorum ſanguis particulis ſalinis, volatilibus eſt onuſtus, illi ad iram procliviores ſunt illis, qui ſanguinem craſſum habent et melancholicum.

54 Terror ſpirituum animalium inæqualem motum efficit et circulationem ſanguinis debiliorem, hinc pulſus parvus, frequens, et inæqualis a terrore fit, et fluxus ſanguinis nimii non raro terrore ſiſtuntur.

55 Ira frigidis remedio eſt.

56 Affectuum immoderatus uſus mixtionem ſanguinis et humorum turbat, ſpirituum inæqualem efficit motum, intemperiem ac obſtructiones producit, ſicque magnorum morborum cauſa exiſtere ſolet.

CAP. III.

De Febribus.

I.

NUllus morbus tam univerſalis eſt, et omnibus ſeſe aſſociat morbis, quam ipſa febris.

2 Spiritus, qui regit machinam microcoſmicam, potentia motrice, electiva tamen inſtructus, contra illud, quod infenſum & con-

& contrarium vitali motui eſt, impetuoſo motu inſurgit ad illud amoliendum.

3 Omnis febris eſt vel continua, vel intermittens, hæc vel quotidiana, tertiana vel quartana, illa acuta vel benigna, ſive ardens vel maligna, hæc vel cum exanthematibus, vel ſine illis.

4 Febris non raro duplicatur, hinc datur tertiana & quartana duplex.

5 Febris eſt vel idiopathica vel ſymptomatica, ſymptomatica eſt, quæ accedit morbo, vulneri, ulceri, doloribus gravioribus, arthritidi, malo iſchiatico, capitis doloribus, podagræ, eryſipelati.

6 Febris eſt vel critica, ſive cum criſi & ſeparatione certa, vel ſine criſi, ſeu ſine ſeparatione, cum criſi ſeu ſeparatione fit ipſa podagra, eryſipelas, angina, pleuritis, bubones, & hæc critica iterum eſt benigna vel maligna, maligna in petechiis, febribus peſtilentialibus obſervatur.

7 Omnis motus ſpiritus ſic dicti ſenſitivi animalis contra cauſam morbificam fit in muſculis & cum cor muſculorum ſit princip aliſſimus, hinc in omni febre & motu naturæ critico pulſus celer vel frequens adeſt.

8 Uti motus cordis & arteriarum naturalis dependet a particulis elaſticis ſubtiliſſimis, tam ſpirituum animalium, quam ipſius ſanguinis: Sic quoque præternaturalis, & qui in febre fit, ab eodem fonte derivandus eſt.

9 Motus cordis adauctus & pręternaturalis mixturam ſanguinis turbat, & tam circulationem, quam inteſtinum ſanguinis motum inæqualem reddit.

10 Turbatur ſanguis in mixtura, quando corpuſculorum ſanguinem conſtituentium magnitudo, figura, ordo & ſitus pororum naturalis invertitur, & vinculum particularum ſeroſarum cum ſanguineis læditur.

11 Impulſu cordis & arteriarum aucto, æther in ſanguinis poris hoſpitans in motum celerrimum circularem excitatur, qui deinde inordinate corpuſcula ſanguinis exagitat, fluidas & mobiles diſſipat, ſanguinem inſpiſſat &c.

12 Sicuti calor naturalis debetur inteſtino particularum ætherearum, in poris ac inteſtitiis ſanguinis motui, ſic præternaturalis & fortior a violenta & celerrima ætheris per eoſdem trajectione oritur.

13 Vigiliæ, ſitis, urina rubicunda, pauca, delirium, dolor capitis vehementiſſimo particularum ætherearum in ſanguine motui, & attritioni ſive calori præternaturali adſcribenda ſunt.

14 Quemadmodum nulla fermentatio proprie ſic dicta in ſanguine naturaliter conſtituto datur, ſic quoque illa nullum locum invenit in febribus.

15 Intemperies calida nihil facit ad naturam febrium, utpote febris omni intemperiei ſupervenit, nec in quartana ſanguis acida, in quotidiana pituitoſa, nec in tertiana bilioſa laborat intemperie.

16 Intemperies poteſt adhuc eſſe, curata febre.

17 Non in tota maſſa ſanguinea latitat cauſa febrium, alias non tam cita poſſet fieri curatio.

18 Sanguis intemperatus & viſcerum obſtructio diuturniores & curatu difficiliores ipſas reddit febres.

19 Obſtructio glandularum inteſtinalium, pancreaticarum & meſeraicarum non ſemper requiruntur ad productionem febris.

20 Fermentum ſui multiplicativum, quod in minima mole ſuccos vitales inficere poteſt, & certo tempore agit, deinde quieſcit, non datur in febribus intermittentibus.

21 Glandularum & minutiſſimorum vaſculorum arterioſorum in cute exiſtentium obſtructio a cauſa interna facta nimirum a materia viſcida vaſculis excretoriis ſudoris incongrua cauſa eſt febrium intermittentium.

22 Vaſculis ac cutis poris obſtructis, ac obduratis ſanguinis & humorum ſtaſis, vellicatio ac irritatio fibrarum nerveârum ac muſculoſarum fit, hinc a copioſiori ſpirituum animalium influxu ſpaſmoticæ illarum partium fiunt contractiones.

23 Symptomata calori præcedentia nimirum pandiculatio, corrugatio cutis, dolores artuum, dorſi, vomitus, ſuppreſſio ſudoris, urinæ, rigor, frigus, concuſſiones ac tremores partium cutis & mu-

muſculorum cuti ſubſtratorum ſpaſmoticæ contractioni debentur.

24 Qui decedunt febribus intermittentibus, ſemper in ipſo frigore convulſionibus adauctis fatis cedunt.

25 Extremis corporis vaſculis coarctatis & compreſſis ſanguis omnis ex illis exprimitur retrocedit, & influxus ejus in cutis corticem impeditur, unde ſenſus frigoris adeſt, partes extremæ frigent, ungues liveſcunt, venæ, quæ antea turgebant, in ipſa cute fiunt minores & ſenſum fugiunt.

26 Frigus fit ab influxu ſanguinis ceſſante ad ipſas partes extremas, hinc cucurbitulæ in ipſo frigore parum ſanguinis ex cute eliciunt.

27 Quando in frigore ſanguis a circumferentia ad centrum fertur, ſanguis cum particulis ſuis elaſticis comprimitur, & pori ac interſtitia ejus minora fiunt: hinc æther compreſſionis impatiens, vi ſua elaſtica liberum ſuum affectat ſpatium & ſe reſtituere in priſtinum ſtatum nititur, hinc poros ſanguinis perrumpit, ejus particulas in circulum gyrat, unde inteſtinus ſanguinis motus augetur, pulſus celerior fit, ſicque tam motu inteſtino ſanguinis adaucto, quam impulſu cordis & arteriarum fortiori facto, calor intenſiſſimus oritur corporis.

28 Falſum eſt in febribus circulationem ſanguinis eſſe adauctam, quamvis enim cor cum arteriis fortius pulſet, motui tamen per minutiſſimas venas reſiſtit craſſus, & humido ſuo ac fluido depauperatus ſanguis.

28 In omni febre circulatio ſanguinis eſt inæqualis, & quando æqualis motus ſanguini reſtituitur, apertis nimirum vaſculis antea obſtructis, in cutis cortice exiſtentibus, paroxyſmus ceſſat.

29 Declinante paroxyſmo, tranſpiratio augetur, ſudor longe largior fluit.

30 Notabile eſt, in omnibus affectionibus & contractionibus ſpaſmoticis ac intenſis doloribus levem præcedere horrorem, rigorem & deinde ſubſequi incaleſcentiam corporis cum pulſu celeri.

31 Materia febrilis, cutis vaſcula propter irregularitatem figuræ, & majorem molem obſtruens de novo ſemper ſuggeritur per ſanguinem, qui certo temporis ſpatio ibi apponit juſtam quantitatem, quæ ad paroxyſmum de novo ſuſcitandum ſufficit.

32 Fomes materiæ morboſæ utplurimum latet in primis viis, & magno inteſtinorum canale, maxime autem in valvulis inteſtini duodeni & jejuni, & illorum corpore villoſo ac mucoſo, ubi peregrinus, viſcidus, acidus humor hærens chylum tranſeuntem inquinare & characteriſare poteſt.

33 Vitium bilis & ſucci pancreatici digeſtionem turbare & fomitem morboſum febrilem conſtituere apte poteſt.

34 Cibus cum nauſea aſſumptus & male digeſtus in tunicis inteſtinalibus hærens, mineram febris facile producere poteſt.

35 Aer pro diverſitate varie agitatus a ventis varieque conſtitutus ratione & poſitione ſolis, multas, irregulares ſalinas corpori & poris cutis particulas communicare poteſt, quæ mixturam ſanguinis turbando, & poros obſtruendo, ſæpiſſime febres producunt epidemicas, quæ tamen citius & facilius curari poſſunt illis, quæ ex obſtructione viſcerum & graviori digeſtionis vitio naſcuntur.

36 Quæcunque extrema vaſculorum cutaneorum obſtruunt & tranſpirationem impediunt, febrem facile producere poſſunt.

37 Recidivæ febrium creberrime fiunt a tranſpiratione prohibita, quando quis verſatur in locis humidis & craſſiori aere plenis.

38 Retentio excrementorum, digeſtio & chyloſis depravata febrium fœcunda mater ſunt.

39 Familiare in praxi eſt, a cibo cum nauſea aſſumpto, item poſt fortiorem animi motum capto ſubnaſci febres.

40 Prout materia febrilis quantitate & qualitate delinquit & vel magis vel minus copioſa, acris, vellicans, acida, ſalina exiſtit, generantur vel febres quotidianæ, vel tertianæ, vel quartanæ, & vel longiores, vel breviores illarum ſunt paroxyſmi.

41 In quotidianis & tertianis major acredo materiæ febrili immixta eſt quam

in

in quartanis, et quæ tardius recurrunt, ubi major viſciditas et copia delinquere debet.

42 Quo acrior et mobilior eſt materia morbifica, eo citius vellificat fibras, illaſque ad contractiones ſpaſmoticas adigit, ſicque paroxyſmum febrilem citius accerſit & vice verſa.

43 Tempore verno & æſtivo magis fiunt febres quotidianæ & tertianæ, illæque facilius ſanantur: In autumno autem et hyeme magis quartanæ et hæ ſunt contumaciores.

44 Illi, qui ſanguine craſſo et acido præditi ſunt, magis quartana corripiuntur, qui autem ſubtiliori et bilioſo, magis quotidiana et tertiana laborant.

45 Febres quotidianæ citius curantur ipſis quartanis, materia morbifica illarum longe mobiliori exiſtente.

46 In quartanis acidum & viſcidum delinquere, exinde liqueſcit, quoniam emetica & purgantia in illis vix operantur et fortiori appetitu gaudent.

47 Quemadmodum pro diverſa conſtitutione materiæ febrilis febrium typi vel accelerantur vel retardantur: ſic alterata et mutata materiæ morbificæ figura, mole ac motu, febrium datur tranſmutatio.

48 Febres ſtato die ac hora recurrere ſolent, præſuppoſita generatione materię febrilis certa quantitate ac qualitate præditæ, quæ fibrillas cutaneas vellicare & ſpaſmotice afficere apta eſt.

49 In omni paroxyſmo, cum maxima materiæ morbificæ pars diffletur, neceſſe eſt, ut requiratur certum quoddam tempus, quo iterum fiat certa collectio apta ad vellicationem.

50 Uti in tota rerum natura, ſic quoque in noſtro microcoſmo omnia certo numero, pondere, menſura & tempore fiunt.

51 In morbis periodicis multum conſuetudini, naturæ ſeu ſpecifico ac determinato motu ſpirituum animalium per actus repetitos ipſi contribuendum eſt.

52 Facile ſpiritibus certa motus idea imprimi poteſt, quæ etiam firmiter retinetur, ita, ut tunc inordinatos ſuos juxta illam efficiant motus.

53 China chinæ ſpecificum in febribus intermittentibus eſt remedium, quoniam particulis ſuis amaris, terreis, leniter adſtringentibus & reſinoſo-balſamicis vitioſam materiæ febrilis qualitatem corrigit, ſanguinis texturam ac craſin, ne materiam taliſmodi febrilem dimittat, roborat, et ipſos porulos ac vaſcula ſubcutanea nimis laxa et ad ſtaſin humorum diſponentia blanda conſtrictione firmat, ipſiſque novum robur ac vigorem inducit.

54 Utilis nonnunquam eſt febris propter motum ſpirituum fortiorem & inteſtinum ſanguinis adauctum, cujus beneficio cruditates ſanguinis corriguntur & viſcoſæ ad motum ineptæ particulæ comminuuntur et attenuantur, ſicque obſtructiones ſolvuntur.

55 Febres intermittentes a continuis differunt in hoc, quod in illis per vices et ſucceſſive mixtura ſanguinis lædatur et motus inteſtinus illius non ſit continuus: In continuis autem mixtura hæc ſanguinis turbata & motus inteſtinus ſemper continuetur.

56 Febres continuæ ſunt vel benignæ vel malignæ, benignæ fiunt a motu concitato, p. n. copioſiori ſpirituum in cor et omnis corporis muſculos influxu, turbante mixturam ſanguineam.

57 Concitatior & præternaturalis ſpirituum influxus fit vel a ſale ſubtili, acri, peregrino, irregulari, ſpiritibus animalibus nupto, vel in maſſa ſanguinea, lympha ſtabulanti & fibras nerveas muſculoſas et carneas ſtimulante ac vellicante, hinc a gravioribus doloribus, inflammationibus propter vellicationem et irritationem majorem factam naſcuntur febres continuæ et dicuntur ardentes.

58 Febres continuæ et acriores ſanguinis ebullitiones ſcorbuticis et hypochondriacis, & quorum humores colluvati ſunt ſalinis ſcoriis, admodum ſunt familiares.

59 In numerum febrium continuarum benignarum referendæ quoque ſunt catarrhales, quæ a ſalibus lymphæ et ſanguinis extricatis et membranas vallicantibus, cum ſtagnatione ſeri & lymphæ circulatione impedita oriuntur.

60 Raucedo, tuſſis, coryza, dolores & omnia ſymptomata, quæ febribus catarrhalibus complicantur, ſtaſi ac ſtagnationi ſeri & vellicationi fibrarum nerveārum a ſale factæ debentur.

61 Ex continuarum numero eſt quoque febris lenta & hectica, quæ oritur vel ex vitio primarum viarum & humoribus acido viſcidis, peregrinis, in inteſtinis ſtabulantibus & maſſam chyloſam deturpantibus, vel ex inflammatione & ſuppuratione partium internarum graviori.

62 Fit itaque febris hectica, partes ſolidas & fluidas conſumens, ab inteſtino ſanguinis motu inordinato & ſemper adaucto propter particulas irregulares & mixturæ ſanguineæ improportionatas ipſi continuo affuſas.

63 Febris continua eſt vel cum exanthematibus vel ſine illis, exanthemata ſunt vel variolæ, morbilli, petechiæ, purpura.

64 Omnes variolæ & morbilli oriuntur cum febre continua & magna ſanguinis ebullitione.

65 Variolæ oriuntur a ſale cauſtico, acri certi generis, quod extricatum & ſequeſtratum a particulis ramoſis & oleoſis ſanguinis & cum fluido nerveo mixtum concitatius cor & arterias non movet ſolum, ſed mixturam etiam ſanguinis turbat, hincque febrem producit.

66 Spiritus machinæ noſtræ in vorticoſo & impetuoſo motu exiſtentes illud quod irregulare & heterogeneum ipſis, non aliter, ac flumen ligna injecta ad partes extremas dejicit, cum autem ibi non congruos inveniat poros, quibus eliminari poſſit, ſtagnat, puſtulas ac ulcuſcula efficit.

67 In variolis ſal acidum magis vel minus cauſticum delinquere, probabile videtur.

68 Sal variolarum ſæpe tam acre eſt, ut fiſtulas, ulcera in partibus oſſeis & membranaceis exciter, & non ſolum externas, ſed & internas partes occupet.

69 Quo ſanguinis & humorum circulatio eſt liberior, eo promptius ſuccedit ſecretio partium heterogenearum omnium, & ſic quoque variolarum; hinc ante eruptionem anxietates adſunt præcordiorum, inquietudines.

70 Variolæ ſæpe ſub ſpecie febrium catarrhalium infeſtant homines & indicant lympham ſtagnantem & acriorem factam.

71 Sal variolarum ſpecificum rectius ab impuris, acidis nutrimenti, quo fœtus in utero utitur, particulis, ſanguine intime nuptis oritur: his vitioſis impuritatibus maſſa ſanguinea paulo laxior facta certoque æthere ac aere influente, ſeſe liberare motu quodam, fermentationi æmulo, natura ſtudet.

72 Materia impura, morboſa diu in ſanguine hærere & illius conſortio ac vinculo citra aliquod incommodum uti poteſt, donec tandem certa diſpoſitione ſanguinis certoque aeris influxu ſeceſſionem a ſanguinis vinculo ac jugo efficiat.

73 Contagium, vehementiores animi & corporis motus, certaque diſpoſitio aeris ſal variolarum ſanguini intricatum, extricare & in motum deducere quam facillime poſſunt.

74 Morbilli ſunt maculæ rubræ ſine exulceratione, cum febre, erumpentes ortæ identidem a ſale quodam ſpecifico cauſtico, in maſſa ſanguinea ſine noxa contento & certo tempore ab illa ſecedente cum magna humorum ebullitione motuque impetuoſo.

75 Sal morbillorum videtur originem ſuam ducere a depravata lactis qualitate tempore lactationis aſſumpti.

76 Purpura ut & febris purpurata puerperis familiaris a ſale ſanguinis peregrino ſcorbutico, cauſtico identidem ortum ſuum ducit.

CAP. IV.

De morbis malignis.

1 MAligni dicuntur morbi, qui actiones vitales ſubito deſtruunt, mentem turbant, vires proſternunt & totam maſſam ſanguineam in motu ac craſi alterant, hinc vera malignitatis indicia ſunt, virium ſubita proſtratio, mentis turbatio, pulſus debilis & actionum vitalium exſtinctio.

2 Morbi maligni dicuntur etiam venenati & qui oriuntur a parvo & minutiſſimo prin-

principiō venenato, quod inſtar fermenti ſeſe multiplicat & ſpirituum ac ſanguinis motum penitus invertit ac deſtruit.

3 Venenum dicitur illūd, quod ſubito & in pauca quantitate actiones vitales deſtruere, motum ac craſin ſpirituum invertere aptum eſt.

4 Venena triplicia ſunt; vel corroſiva, quæ in partes ſolidas agunt corrodendo & inflammando; vel vaporoſa, quæ effluviis hoſtilibus minutiſſimos nervorum tubulos replent & ſpiritibus animalibus intime ſeſe inſinuant, illos obnubilando & obfuſcando, uti ſunt napellus, opium, narcotica; vel fermentativa, quæ magnam ebullitionem excitant & ſale volatili, acerrimo, mobiliſſimo ſpiritus animales inficiunt, & talis eſt ſaliva inordinato ac furibundo ſpirituum animalium motu imbuta & ſanguini communicata in morſu animalis rabidi.

5 Venenum ex animalibus proficiſcens exactam motus determinati ideam continet, ſecundum quam ſe multiplicat in ipſos ſpiritus animales immediate agendo illorumque motum æqualem deſtruendo, & ſimilem idealem motum efficiendo.

6 Ipſi inordinati animalium ut & hominum affectus & ſpirituum motus totam maſſam ſanguineam cum humoribus alterare poſſunt.

7 Quivis homo fabricare ſibi ipſe poteſt in corpore venenum immoderato affectuum uſu.

8 Nullum datur in animalibus venenum, niſi quod ex turbulento & inordinato ſpirituum motu exſurgit, & per morſum communicatur.

9 Terror de certo morbo in diſpoſitis facile ſimilem morbum corpori inducere aptus eſt.

10 Contagio plures deberi morbos malignos, ipſa teſtatur experientia.

11 Contagium conſtat ex ſubtiliſſimis effluviis, a corpore morboſo exhalantibus, quæ beneficio aeris ſpiritibus & ſanguini intimata inſtar fermenti illos ad ſuam indolem & naturam induendam diſponunt, & ſimilem ipſis motum introducunt.

12 Saliva miaſmatum malignorum vehiculum eſſe ſolet, cum qua tranſit ad ipſum ventriculum, ubi primas ſuas tragoedias ludere ſolet.

13 Uti fermentum non agit niſi materiam ad fermentandam aptam habeat, ſic quoque contagium non agit, niſi ſanguis ad motum talem recipiendum ſit idoneus.

14 Quorum ſanguis particulis pituitoſis, mobilibus, minus tamen ſpirituoſis abundat & ubi primæ viæ muco & amurca ſalivali obſeſſæ ſunt, ibi contagium venenatum fomitem facile reperit.

15 Purgatio primarum viarum crebra. ſalivæ excretio & uſus balſamicorum medicamentorum a morbis contagioſis optime præſervant.

16 Quo magis maſſa ſanguinea in mixtura & motu æquali eſt deſtructa & ſeceſſio elementorum ſanguinis, nimirum particularum volatilium, ſalino-ramoſarum a craſſioribus, terreis, aqueis plus eſt facta, eo major adeſt malignitas, majuſque periculum.

17 Peſtis omnium morborum eſt malignißima, quia ſubito tam ſpirituum animalium quam ſanguinis craſin ac motum deſtruit & actiones exſtinguit vitales.

18 Mixturæ ſanguineæ deſtructio fit, dum globoſus ſanguinis contextus prorſus reſolvitur, particulæ ſalinæ, acres, fluidæ a conſortio reliquarum ſeparantur, ſicque vinculum elementorum ſanguinis penitus deſtruitur.

19 Quando mixtura elementorum ſanguinis læſa eſt, æquilibrium motus naturalis penitus deſtruitur, & in una parte motus mirum in modum increſcit, in altera autem valde eſt depreſſus.

20 Utplurimum origo malignitatis quærenda eſt in ipſis corporibus, hinc qui in nonnullis individuis eſt benignus morbus, in aliis malignitatis notam induit.

21 Affectus animi inordinati, prava victus ratio craſin ac motum partium fluidarum deſtruendo quam prompte malignitatem morbis addunt.

22 Quæcunque corpora bilem onuſtam acrioribus cauſticis corroſivis ſubtilibus ſalibus habent, illa malignos morbos producere aptiſſima ſunt.

23 Aer ſumme æſtuans & calidus, inſecto-

ctorum ſalibus volatilibus, cauſticis repletus, peſtem & morbos malignos facile gignere poteſt.

24 Petechiæ nihil aliud ſunt, quam ſal illud cauſticum, hærens in cutis tubulis & per totum corpus diſperſum, ſi autem conjungitur & unitur illud ipſum ſal anthraces, bubones & carbunculi fiunt, ibique magnam uredinem & acredinem efficiunt, non aliter, ac radii ſolis diſperſi, in vitro cauſtico uniti, ſtupenda vi operantur.

25 Morbi maligni ſunt vel acuti vel chronici, acuti ſunt peſtis, febres malignæ, petechiales & illi morbi acuti, qui in corporibus ad malignam diſpoſitionem humorum diſpoſitis, oriuntur; chronici autem ſunt ſcorbutus & lues venerea.

26 Morbi acuti maligni admodum ſunt periculoſi & facile necant; non ita chronici.

27 In ſcorbuto confirmato omnes corporis noſtri fluores diatheſi peregrina, ſalina imbuti ſunt & de craſi ſua naturali dejecti.

28 Scorbutus nil niſi maxima impuritas & pravitas lymphæ & ſanguinis eſt, hinc origo & fons innumerabilium morborum.

29 Symptomata ſcorbutica a ſpaſmoticis nervorum contractionibus maximam partem derivanda ſunt.

30 Si malum confirmatum eſt, fluidum nerveum inquinatum ac collutulatum eſt & motu anomalo deliquit.

31 Malum ſcorbuticum ab impuro aere, qui immediate ſpiritus animales afficere ſolet, originem ſuam petit, datur etiam contagioſum.

32 Lues venerea eſt inſignis corruptela ſucci nervei & lymphatici quoad craſin & motum.

33 Cauſa luis venereæ eſt fermentum impurum, ſeminale, ſpirituoſum, quod ex conſymboliſmo corpori communicatum, ſpiritus animales & lympham immediate alloquitur illos de ſtatu ſuo dejiciendo, coagulando & prava corroſiva diatheſi imbuendo.

34 Cuncta in lue venerea contingere ſolita pathemata debentur lymphæ viſcidæ, coagulatæ & in illa hoſpitanti ſali ſumme acri, corroſivo.

35 Contagioſus morbus eſt & ex impuro coitu progerminat dicta gallica lues.

CAPUT V.

De morbis ex circulatione ſanguinis inæquali & impedita ortis.

UTi potiſſimum momentum vitæ & ſanitatis in circulatione ſanguinis verſatur: ſic etiam origo multorum morborum inde quærenda venit.

2 Ex ſanguinis circulo inæquali & ſuffl aminato oritur ſyncope, quæ eſt exſtinctio actionum vitalium motu cordis & arteriarum ceſſante.

3 Motus cordis, uti eſt primaria cauſa & fundamentum circulationis ſanguineæ: ſic illo exſtinctio, illa ceſſat & omnes actiones, quæ ex vita fluunt, ſimul tolluntur.

4 Uti ad motum cordis non ſolum influxus ſpirituum animalium ſufficiens, verum etiam inteſtinus ſanguinis motus & mixtura ſanguinis proportionata requiritur: ſic ceſſante illo ſpirituum influxu & inteſtino ſanguinis motu ac mixtura ſublata, tollitur & ipſe motus.

5 Affectus animi inordinati ac immoderati, ſanguis congrumatus & nimis coagulatus ut & nimis tenuis & rarefactus ſyncopen generare facillime poſſunt.

6 Polypus cordis in ventriculis vel illorum auriculis ſubſiſtens ſæpius cauſa eſt ſyncopes lethalis.

7 Polypus non eſt ſanguis congrumatus, ſed corpus coagmentatum ex fibris & lamellis craſſioris ſeri nutritii.

8 Succus nutritius in arteriis & venis non raro ita concreſcit, ut pene abeat in carnem, fibris & ſanguineis vaſculis inſtructam.

9 A circulatione ſanguinis impedita oritur quoque aſthma convulſivum, ſyncope cardiaca, catarrhus ſuffocativus.

10 Uti ad circulum ſanguinis liberum multum contribuit reſpiratio & thoracis dilatatio & conſtrictio: ſic quando nervi reſpirationi inſervientes ſpaſmotice ſunt conſtricti & obſtructi, tollitur circulatio.

11 Sanguis non ſolum per vaſa, ſed etiam per minutiſſima anfractuoſa capillaria circulari & moveri debet, ubi facile in curſu ſuo ſiſti & impediri poteſt.

12 Multi & magni morbi ex circulatione ſanguinis per minutiſſima vaſa impedita oriuntur.

13 Ex circulatione ſanguinis per minima vaſcula impedita oriuntur tumores, ſcirrhi, inflammationes, exulcerationes, hæmorrhagiæ, ſuppreſſiones excretionum conſuetarum.

14 Inflammatio eſt tumor dolorificus cum calore, rubore ac pulſatione ſæpe conjunctus febre.

15 In omni inflammatione adeſt obſtructio pororum & vaſculorum a materia viſcida, rigida.

16 Quando ſanguis in motu ſuo retrogrado impeditur & non circulatur per minima vaſcula, accidit, ut dum ipſi multum ſanguinis communicatur, tumor enaſcatur.

17 Quando materia ſubtilis libere partes obſtructas pertranſire nequit, vehementiſſime per vacua ſpatiola movetur, & hoc motu mire exagitat ſanguinis particulas, unde calor, rubor ac dolor ortum ſuum trahunt.

18 Pulſatio partis inflammatæ oritur, dum ſanguis impetu quodam propellitur ad partes, ad quas minus libere tranſire poteſt, hinc ſequitur arteriolas magis extendi, ſicque inſignem oriri diaſtolem, quam neceſſario debet comitari ſyſtole.

19 Sanguis in vaſis capillaribus & partium ſpatiolis hærens & ſtagnans coagulatur & in minori quantitate ſucceſſive inſenſibiliter evaneſcit & diſcutitur in contuſionibus, caſu ab alto &c.

20 Quando uberius colligitur ſanguis in minimis vaſculis ibique ſtagnat, doloris & caloris moleſtum producit ſenſum, donec ſenſim corruptus in pus vel ſaniem abeat, quorum prima mutatio vocatur inflammatio ſeu φλεγμονὴ, poſterior vero abſceſſus ſeu apoſtema.

21 Inflammationis cauſa utplurimum eſt ſal irregulare, lancinans & figura angulari præditum, quod fibras nerveas ac membranaceas moleſte vellicat, ſpaſmotice contrahit, venas coarctat capillares, ſicque circulationem ſanguinis ſuffla minat.

22 Sanguis ad motum circularem in minimis vaſculis ineptus redditur, quando ab acido quodam vitioſo ad coagulum pronus eſt, hinc in ſubitaneo frigore aut hauſtu frigido poſt nimium corporis motum & incaleſcentiam prompte inflammationes oriuntur.

23 Graviores contuſiones, arctæ partium compreſſiones, fracturæ, luxationes, nimiæ ligaturæ, atroces dolores, frequentiſſime inflammationem cauſantur.

24 Quando faucium illa pars, quæ pharyngis & laryngis muſculos tam internos quam externos conſtituit, inflammatione corrigitur, dicitur angina.

25 Quando partes internæ thoracis & maxime pleura, quæ coſtas cingit, inflammantur, ibique ſanguis hæret extravaſatus, dicitur pleuritis, quando ſimul pulmones, morbus dicitur peripneumonia.

26 Non ſolum lateraliter afficitur pleura, ſed ſimul muſculi intercoſtales interni & plerumque ſimul pulmonis pars in illo latere.

27 Frequentiſſimæ hæ ſunt inflammationes, quoniam ſanguis in pulmonibus alterationibus aeris eſt expoſitus, hinc ſanguis alteratus promptiſſime loca thoracis lateralia & alias ejus partes afficere poteſt.

28 Si inflammatur diaphragma, cui ordinario ſupervenire ſolet delirium, paraphrenitidis nomine venit morbus.

29 Plerumque ſanguis, qui e vena ſecta pleuriticorum & peripneumoniacorum emittitur, ſemigrumoſus & promptiſſime coagulabilis prodit, ſero ſupernatante glutinoſo exiſtente.

30 Quando impeditur ſanguinis circulus in tunica oculi adnata, quæ copioſiſſimis vaſculis & arteriolis eſt inſtructa, tunc illa inflammatio dicitur ophthalmia.

31 Si in viſceribus v. gr. ventriculi ac inteſtinorum tunicis, hepate, renibus, utero, veſica ſanguinis circulatio impeditur & in minimis vaſculis ac porulis corum-

rumpitur, oriuntur pro diverſitate partium variæ inflammationes.

32 Non omnes inflammationes ſunt a ſanguine, ſed non raro a ſero acri, quæ leves ſunt, nec ſtipatæ tantis ſymptomatibus.

33 Si major ſanguinis in parte ſtaſis, corruptio & omnis refluxus impeditus eſt, gangræna oritur, quæ ſaltim ab inflammatione differt gradu, quando autem ſanguis penitus cadaveriſatur & pars omni influxu ſpirituum deſtituitur & mortificatur, tunc dicitur ſphacelus.

34 Quodcunque itaque profundiorem obſtructionem ſanguini in partibus cauſatur & illius circulum impedit, id gangrænam concitare quam promptiſſime poteſt v. g. magna contuſio, ſummum frigus, fortior ligatura, gravior dolor, ingens ambuſtio &c.

35 Si ſanguis extravaſatus corrumpitur & ſuppuratur in quadam corporis cavitate, empyema fit, a vomica diſtinctum, quæ eſt collectio puris in quodam viſcere, hinc ſi id colligitur in pulmone, vomica pulmonum, ſi in renibus, vomica renum audit.

36 A contuſione, vulnere, caſu ab alto, & graviori inflammatione facile epyema oriri ſolet.

37 Inflammatio ut plurimum præcedit ulcera, quod ſi enim penetrantia minus ſalia ſunt, inflammationes ſolæ oriuntur, ſi vero rigidiora & validiora illa fuerint, diſciſſiones ac dilacerationes fibrillarum fiunt, unde ulcera naſcuntur.

38 In ulceribus humores propter dilacerationem vaſculorum ac fibrillarum & hinc impeditam circulationem ſtagnant, acceſcunt, corrumpuntur & in pus vertuntur.

39 Pus non oritur ex præcipitatione ſanguinis beneficio acidi & alkali facta, ſed nihil aliud eſt, quam ſuccus nutritius oleoſus, ab acido ulceris fermento corruptus & albo imbutus colore, non ſecus ac oleum olivarum cum aceto vel ſolutione lythargirii mixtum ac conquaſſatum album evadit.

40 Si pulmonum veſiculæ membranaceæ & minora vaſcula eroduntur a ſtagnante ſanguine acriori, oritur ulcus pulmonum.

41 Nimiæ ſanguinis effuſiones & hæmorrhagię ex æquilibrio ſanguineæ circulationis ſublata repeti quoque debent.

42 Quando ſanguis non æqualiter movetur per totum corpus, ſed ob partem obſtructam vel ſpaſmotice contractam non rite curſum ac iter ſuum abſolvere potis eſt, hinc regurgitat, majus affectat ſpatium, vaſcula minima & illorum orificia dilatat, ſic qua data porta erumpit.

43 Rara ſanguis textura ad expanſionem nimiam apta ejuſque acrimonia præternaturalem hanc fluxionem auget.

44 Fundamentum omnes hæmorrhagiæ maxime pertinaces habent in vaſis obſtructis vel ſpaſmotice contractis, hinc ſanguis affectibus animi vel ab alia cauſa interna & externa nimium in motum excitatus & in motu ſuo circulari turbatus, per inſolitas vias non raro exitum affectat.

45 Hæmorrhagiis complicati ſæpiſſime ſunt dolores tenſivi in hypochondriis, flatulentæ primarum viarum contractiones, anxietates præcordiales, excrementorum, alvi ſuppreſſiones &c.

46 Adſtringentia & ſtyptica motumque ſanguinis retardantia intempeſtive adhibita non raro in ingens periculum ægros præcipitant, & hamorrhagiam largiorem efficiunt.

47 Sanguis copioſus & rarus motu ejus inteſtino vel a bile acriori, vel a febre, inflammatione, affectibus inordinatis, ab uſu ſpirituoſorum nimis adaucto rarefit, majus affectat ſpatium, hinc diſtendit & expandit minima vaſorum orificia, ſicque p. n. fiunt ſanguinis effuſiones.

48 Si ſanguis nimium fluit per vaſa uteri, menſium fit nimius fluxus, ſi per arteriolas in narium tunica exiſtentes, vocatur hæmorrhagia narium, ſi vaſa ventriculi aperiuntur, fit vomitus cruentus, ſi apertio arteriæ pulmonalis, fit hæmophthiſis: ſi vaſa ad anum tendentia referantur, hæmorrhoidum fluxus, ſi vaſcula renalia nimis diſtenduntur, mictus cruentus exſurgit.

49 Si-

49 Sicut ab æquali & libero ſanguinis per tubulos corporis influxu ac refluxu dependent omnes ordinariæ & conſuetę excretiones, nimirum ſudoris, urinæ, muci narium, ceruminis aurium, ſalivæ, menſium, hæmorrhoidum; ſic excretiones ſupprimuntur ab obſtructione vaſculorum minimorum & inde nata debiliore vel plane ceſſante ſanguinis circulatione.

50 Quando ſanguis craſſior redditus limoſitates in vaſculis minimis excretoriis ac glanduloſis deponit, ſupprimuntur inde excretiones ordinariæ.

51 Menſes pertinaciter ſubſiſtunt a polypoſa vaſorum uteri obſtructione.

92 Polypoſa ſanguinis & ſeri nutritii concretio in venis vel arteriis, turbando ſanguinis curſum, dyſpnœam, peripneumoniam, catarrhum ſuffocativum, ruptiones vaſorum, hæmophthiſin facillime cauſari poteſt.

53 Maculæ cutis rubicundæ, cœruleæ, flavæ, nigræ a læſa circulatione ſanguinis & facta ibi ſtagnatione ſanguinis oriuntur.

54 Quando adeſt ſanguinis abundantia, ita ut vaſa illum capere nequeant, impeditior ejus fit motus, ſtaſis, corruptio & magnorum morborum origo, ubi V. S. locum invenit.

CAPUT VI.

De morbis ex motu aut vitio lymphæ ac ſeri ortis.

1 SIcuti abundantia ſanguinis in venis & arteriis motum ejus ſufflamina re, ita quoque plenitudo lymphæ in vaſis lymphaticis ejus motum retardare & varios concitare morbos poteſt.

2 Si vaſa lymphatica turgent & diſtenta ſunt copioſa lympha, tardior ejus fit motus ac facilis ſtagnatio ruptioniſque periculum imminet.

3 A circulatione debita ipſius ſanguinis dependet etiam lymphæ motus, hinc quando tardior eſt evolutio ſanguinis per minima vaſa, tardus quoque exiſtit lymphæ motus.

4 Lympha inducens lentorem & coagulum, in anguſtiſſimis tubulis ac canaliculis ſtagnat, & quia materia tam contumax eſt, ut in pus converti non poſſit ob calorem continuo exſiccantem, tandem ita induratur, ut exinde fiat ſcirrhus.

5 Scirrhus non ſolum occupare ſolet partes externas, glandulas, ſed & internas, uterum, hepar, lienem.

6 Si glandulæ fiunt ſcirrhoſæ a materia corroſiva acida, tunc fit cancer, qui ſi exulceratur, incurabilis eſt.

7 Si partes ſeroſæ ſanguinis per minutiſſimos glandularum & fibrarum carnearum poros & tubulos non rite circulantur, ſed inibi ſtagnant ac vaſcula illa diſtendunt & ampliant, tunc oriuntur, tumores, qui pro diverſitate partium varium ſortiuntur nomen, hinc tumor teſtium, mammarum, tonſillarum, parotides, rana ſublingualis, tumor pedum, glandularum, colli ſeu amygdalarum, inguinalium ortum ſuum trahunt.

8 Quando ſanguinis ſerum ſalſum per glandulas ſubcutaneas illarumque poros non rite circulatur, ſed ibi ſubſiſtit, tunc diſtenſionem, eroſionem ac ſuppurationem efficit, unde fit ſcabies.

9 Prout major vel minor acrimonia ſeri vel ſalſedo ipſius variat & ſerum magis vel minus particulis ſubſtantificis, chyloſis, nutritiis eſt imbutum, majores vel minores oriuntur puſtulæ fitque ſcabies vel ſicca vel humida.

10 Si ſerum nimis corroſivum & acidum eſt, & major partis cujuſdam eſt obſtructio, tunc oritur herpes.

11 Ex circulatione ſeri ſanguinei impedita per tenuiſſimos canaliculos oriuntur varia ſudamina, phlygtenes, ſyrones, puſtulæ variæ, gutta roſacea &c.

12 Gutta roſacea eſt rubor faciei tuberoſus ac puſtuloſus, interdum guttis ſanguineis ſimilis, naſum ſæpe inæqualiter ac valde augens.

13 Cauſa guttæ roſaceæ eſt ſerum ſanguinis ſalſum, craſſum, per faciei cutim diſperſum & in circulatione ſua impeditum, eroſionem ac tumorem efficiens.

14 Lepra eſt ſcabies conſummata & maligna, oritur identidem ab obſtructio-

ne & deſtructione tubulorum carneorum profunda a ſero vapeſcente acri.

15 Si ſerum abundat particulis ad mutuum contactum & quietem aptis, quæque plures planas ſuperficies habent, facile in partibus membranoſis frigidis, uti in articulis, in renibus, ureteribus, veſica in gypſeam & lapideam duritiem concreſcere ſolent, unde tophi in arthritide, & calculus renum, veſicæ urinariæ & felleæ originem ſuam nanciſcuntur.

16 Omnes catarrhi ſive decubitus lymphæ fiunt ex circulatione impedita lymphæ, & quicquid motum retrogradum lymphæ impedit, id occaſionem catarrhis præbet.

17 Caput, quoniam infinitis glandulis & vaſis lymphaticis eſt obvium, frequentes catarrhales patitur affectus.

18 Inæqualitas aeris nimirum calidi in frigidum & contra frigidi in calidum defluxuum catarrhalium fœcunda mater eſt.

19 Non omnis catarrhalis affectus originem ſuam ducit ex capite juxta veterum ſententiam.

20 In pulmonibus & arteria aſpera innumera ſunt vaſa lymphatica, in quibus ſi motus lymphæ impeditur & hæc qualitate acri eſt imbuta, excitatur tuſſis, raucedo.

21 Si continua talis eſt effluxio & lympha ſcorbuticis acribus ſpiculis eſt imbuta, eroſio pulmonum & ipſa phthiſis creari poteſt.

22 Prout lympha magis craſſa eſt & viſcida, vel magis acris, tunc tuſſis, vel ſicca vel humida eſt.

23 Prout lympha ſalina, acri, maligna, & corroſiva qualitate eſt ſaturata, varia emergunt ulcera mali & boni moris, fiſtulæ, carcinomata, cancri &c.

24 Si vaſcula lymphatica nimis ſunt diſtenta, aperta vel eroſa, magnaque quantitas lymphæ profunditur, hinc ptyaliſmus, in viris gonorrhœa, in mulieribus fluor albus originem ſuam petunt.

25 Vaſa lactea, quæ nil niſi vaſa ſunt lymphatica, ſi vel in principio, nimirum cruſta villoſa inteſtinorum, vel in medio, uti in vicinia glandularum meſeraicarum ſunt obſtructa, ita ut chylus circulari ac evolvi non poſſit, tunc oritur atrophia & diarrhœa chyloſa, quæ maxime locum habet in ipſis infantibus.

26 Omnia viſcera & omnes corporis partes ſolidæ, maxime ubi magna adeſt nutritio, gaudent vaſis lymphaticis, quæ ſuperfluam a nutritione lympham revehere debent, hæc ſi ſunt obſtructa, ut ſuo fungi officio non poſſint, magnus fit ſeri in ipſis partibus decubitus, hinc tumores, dolores partium internarum & externarum oriuntur.

27 Si ex vitio circulationis ſanguinis tardioris propter viſciditates copioſas, balſamicas & ſulphureas depreſſas lympha non circulatur & revehitur, ſerumque ſanguineum in partibus ſtagnat, illaſque diſtendit, oritur tumor quaſi univerſalis, qui anaſarca dicitur ſeu leucophlegmatia.

28 Hydrops aſcites dicitur, quando extravaſatio lymphæ & collectio ipſius fit in cavitate abdominis a ruptione vaſorum lymphaticorum.

29 Obſtructis vaſis lymphaticis novo continuo ſero accedente ampliantur illa & intumeſcunt, & quoniam ob valvularum ſitum non retrogradi lympha poteſt, fiunt hydatides ſeu magnæ veſicæ, a quibus ruptis magna lymphæ fit extravaſatio, hinc ſubito hydrops oriri poteſt.

30 A loco collectionis diverſo hydrops varia ſortitur nomina, ſi in abdomine fit extravaſatio, fit aſcites, ſi in capite, hydrocephalus, in ſcroto, hydrocele, in pectore, hydrops thoracis; præter has ſpecies obſervatus adhuc eſt hydrops uteri, tubarum uteri, ovarii, pericardii.

31 Hydrops frequenter tumores ſcirrhoſos, ganglia, tubercula & meſenterii, uteri, lienis, hepatis, &c. obſtructiones ſubſequitur.

32 In cadaveribus hydropicis diſſectis frequentiſſime obſervatæ fuerunt magnæ veſicæ.

33 A circulatione lymphæ impedita ex partibus & chyli in ventriculo in ipſum ſanguinem dependent omnia hydropicis obvenire ſolita ſymptomata, nimirum,

rum, ācrimonia ſanguinis, et ob hanc eroſio partium, atrophiæ partium ſuperiorum, urina intenſe rubicunda, ſitis, calor p. n. pulſus frequens etc.

34 Serum extravaſatum, ſi leniter igne conquaſſatur, concreſcit in albuminis ovorum ſubſtantiam, indicio, partes nutritias chyloſas ibi deponi, nec tranſire in ſanguinem et ad ipſas partes.

35 Quod a lymphæ motu retrogrado per venas et vaſa lymphatica impedita extravaſatio ſeri et per conſequens hydrops oriatur, evincit *Loberus* experimento; ſi enim in vivo cane vena cava ſuper diaphragma ligetur, canis in abdomine magna quantitate ſeri collecta morietur hydropicus, eodem modo ligatis in cane venis jugularibus tota capitis regio intumeſcit et fit hydrocephalus; quæcunque enim magnam coagulationem lymphæ inducunt et circulationem ejus ut et ſanguinis imminuunt, cauſam antecedentis hydropis inſtituunt.

36 Tympanites non eſt ſingularis hydropis ſpecies, ſed potius tumor eſt flatulentus ortus ab obſtructione pororum in inteſtinis, meſenterio, pancreate, ventriculo, hinc cum vapores et effluvia primarum viarum non rite hos poros partium ſubire et tranſire poſſunt, mirum has partes diſtendunt et expandunt, ut pulſæ tympani ſonum edant.

37 Cachexia ſeu nutritio partium depravata ex circulatione ſeri nutritii per minima vaſcula ſuppreſſa et obſtructa oritur.

38 Quando non rite ſanguinis aſſimilatur chylus et excrementitiæ partieulæ viſcidæ non rite ſegregantur, fiunt obſtructiones in venis capillaribus, et ob particulas balſamicas deficientes oritur depravata corporis nutritio ſeu cachexia.

39 Cachexia ſcorbutica fundamentum pene eſt omnium morborum chronicorum, dicitur ſcorbutica, quoniam propter obſtructionem vaſculorum minimorum in viſceribus ſanguinis depurationi inſervientibus excrementa ſalina in fluoribus noſtris remanent, et inſignes tragœdias ludunt.

CAPUT VII.

De morbis ex vitio & motu impedito ſpirituum animalium ortis.

1 QUemadmodum ad actiones vitales in partibus celebrandas laudabilis & proportionatus ſpirituum animalium influxus requiritur, ſic illo ceſſante vel præpedito actionum illarum abolitio fit.

2 Spiritus animales per cerebrum, ſpinalem medullam & nervos & ex illis contextas tenuiſſimas fibrillas & membranas in ſtatu naturali æqualiter moventur: Si autem illorum motus extra ordinem fit, vel minuitur, vel plane aboletur, morbi oriuntur graviſſimi.

3 In apoplexia, quæ eſt ſenſuum tam externorum quam internorum extinctio & motus voluntarii abolitio & deſtructio, fluidi nervei ſeu ſpirituum ſic dictorum animalium per cerebrum motus plane interceptus eſt.

4 In cadaveribus apoplecticis ſectis extravaſatus & congrumatus ſanguis vel coagulum ſeri obſervatur, hinc apoplexia eſt vel ſanguinea vel pituitoſa.

5 Opiata, fumi carbonum, particulæ fulminis & omnia vaporoſa, narcotica ſpirituum animalium craſin vitiando ad apoplexiam & ſtuporem diſponere ſolent.

6 Sanguinis motus ad cerebrum deficiens vel obſtructione exiſtente in carotidibus vel cordis motu ceſſante omnis motus & ſenſus perit, itidem accidit a fortiori ligatura arteriarum carotidum.

7 A corporibus polypoſis ſinus cerebri oppilantibus obſervata ſæpius fuit apoplexia.

8 Apoplexia eſt quaſi paralyſis univerſalis, paralyſis autem apoplexia particularis.

9 Paralyſis ſedes eſt ipſa ſpinalis medulla, quæ in dextram & ſiniſtram partem divaricata eſt, & ſi in una parte obſtructio fit, oritur hemiplexia ſeu paralyſis dextri aut ſiniſtri lateris.

10 Paralyſis eſt vel perfecta vel imperfecta, in perfecta & motus & ſenſus læduntur, in imperfecta imminuuntur tantum.

11 Apoplexia & paralyſis non ſemper fiunt ex obſtructione tubulorum ſpirituum animalium influxum ſufflaminante, ſed ſæpiſſime a ſpaſmotica contractione membranarum medullam ſpinalem inveſtientium, unde fortiori conſtrictione tubulorum motus ſpirituum animalium ad partes intercipitur & talis paralyſis non tam periculoſa eſt quam illa, quæ fit ab obſtructione.

12 Lethargus, coma, carus omneſq; ſoporoſi affectus ab obſtructione cerebri & influxu ſpirituum animalium impedito oriuntur.

13 Plerumque in affectibus ſoporoſis facta ſectione cortex cerebri ſero obrutus deprehenditur.

14 Cerebri meatuum ac tubulorum laxior facta diſpoſitio ſerum corporis viſcidum facile admittit, maxime ſi vel febre vel alio ſanguinis fortiori motu, v. gr. intempeſtivo ſudorum, balneorum uſu in motum cieatur, ut anguſta cerebri vaſcula ingredi poſſit.

15 Affectus ſoporoſi poros & tubulos cerebri invertunt ac deſtruunt, & ſemper ferme debilitatem cerebro inducunt ac memoriam auferunt.

16 Si cum febre ſomnus profundus irruit, dicitur lethargus.

17 Si in ſomno ſpirituum ad thoracis muſculos influxus quodammodo inhibetur, reſpiratio fit difficilis propter impeditam circulationem ſanguinis, hinc oritur anxietas circa præcordia cum ſenſu ponderis thoracem incumbentis & ſuffocationis metu, & hic affectus dicitur Incubus.

18 Coma eſt vel vigil vel ſomnolentum, & ſomnolentum & carus ſunt unum idemque: vigil eſt nimia in ſomnum propenſio, ſed cum dormiendi impotentia, & fit a muco tubulos cerebri obſtruente propter acredinem vero continuo irritante.

19 Coma vigil oritur etiam ex nimia debilitate ſpirituum, tubulorum moleſta irritatione, & in morbis diuturnis, in febribus malignis, nimiis doloribus & immodicis evacuationibus locum habet.

20 Catalepſis eſt ſoporoſus affectus ortus ex ſublato commercio mentis cum corpore propter defectum ſpirituum animalium in corpore calloſo & centro ovali, ubi ſenſorium commune poni debet, exiſtentium.

21 Si ſenſorium commune ſpiritibus animalibus eſt deſtitutum, mens impreſſiones factas externas in ſenſorio nec percipere, nec ſpiritus determinare poteſt ad certos motus edendos in partibus.

22 Prout corporis iſtius calloſi major eſt obſtructio, eo graviora exiſtunt ſymptomata & morbus periculoſior eſt.

23 Sæpe accidit propter nimios & inordinatos ſpirituum animalium motus in affectibus intempeſtivis ſenſorium commune ſpaſmotice contrahi, ſicque quaſi ad tempus ſpirituum animalium influxum impediri & tunc fit catalepſis levior & imperfecta minuſque periculoſa.

24 Ad catalepſin referenda eſt ἔκστασις, quæ vel theologica vel medica, in illa mens abſtrahitur a corpore per immediatas quaſdam divinas impreſſiones ac ſpeculationes, hæc autem nil niſi catalepſis eſt, quæ etiam mediate & remote ex nimia triſtitia, mœrore animi vel nimio gaudio ab audito verbo divino excitari poteſt.

25 In catalepſi non eſt juxta veteres congelatio ſeu coagulatio ſpirituum animalium.

26 Quemadmodum ſomnus p. n. ex nimia pororum cerebri ſubſidentia & motu ſpirituum animalium lentiorem ortum ſuum habet: ſic nimiæ vigiliæ ab illorum tubulorum p. n. apertione & concitato ſpirituum animalium motu exſurgunt.

27 Sulphur & aqua ſunt ſomni materiale principium, ſulphur ramoſum ac vaporoſum nimis inviſcans & copioſum competibus ſuis ſpiritus irretiens, ῥάχωσιν inducit.

28 Placidus ſomnus ordinatum ſpirituum motum, lympham roſcidam blandam requirit, hinc quodcunque ſpiritibus inordinatum introducit motum &

ro-

roſcidum blandum humidum abſumit, vel illud acre reddit, pervigilium excitare poteſt.

29 Cerebrum & totum nervorum ſyſtema temperatum eſſe debet, nec nimis ſiccum nec nimis humidum, ſi temperies hæc læditur, ſtatim imbecillitas & morbus nervorum præſto eſt.

30 Si circulatio & motus rectilineus ſpirituum animalium per cerebri tubulos impeditur & propter obſtructos poros vorticoſo motu agitantur ſpiritus, objecta ſimili cieri motu apparent menti juxta conſuetudinem judicanti, ſicque fit vertigo.

31 Quoniam omnis motus eſt rectilineus, & ſi a linea deflectit, fit circularis & ellipticus; quare ſpiritus animales, cum motum ſuum rectum in nervorum tubulis obſtructis ſervare nequeant, neceſſario reflectuntur & tandem in orbem aguntur ac inde radiationes ſpirituum, quæ proveniunt a veſtigiis cerebro impreſſis & omnes externæ imagines animæ rotantes exhibentur.

32 Senſus noſtros falli poſſe & illos nos quoque fallere, vertiginis natura abunde docet.

33 Humorum craſſities vel ſpirituum nimia denſitas cauſa vertiginis eſſe poteſt.

34 Uti ratio humana, ſic quoque ipſius abſentia ſeu delirium ex vinculo, quod menti cum corpore intercedit, optime explicari poteſt.

35 Recta hominis ratio conſiſtit in hoc, ut mens ſeu anima ideas objectorum cerebro inſcriptas ad ideas connatas menti inſculptas dirigat, conferat, & ratio nil niſi additio & ſubtractio eſt, donec inveniatur æquilibrium & proportio idearum influentium externarum cum ideis inſitis primis, hinc ratio mere algebraica & ſtatica eſt.

36 Mens ſeu anima non agere & recte cogitare ſeu proportionem & æquilibrium invenire poteſt, niſi mediante ſpirituum animalium non modo laudabili temperie verum etiam æquabili & moderato motu gaudentium, quibus ſenſorium commune, quod in centro ovali ſtatuimus, ſit inſtructum.

37 Qualis eſt ſpirituum & humorum motus ac temperies in corpore, tales etiam in mente fiunt inclinationes & cogitationes; ſic furibundus motus ſpirituum furioſas celerrimas efficit cogitationes, lentior autem & tardus timidas, triſtes & meticuloſas in mente producit cogitationes.

38 Imaginatio nihil aliud eſt quam idearum, quæ ab objectis externis ſenſibus communicantur, in fibrillas ac porulos cerebri impreſſio.

39 Qualis itaque eſt cerebri conſtitutio, talis quoque eſt impreſſio & imaginatio; hinc qui cerebrum moſle & laxum habent, in illis vis imaginationis viget & memoria optima, qui autem cerebro præditi ſunt craſſiori & ſolidiori, in illis difficulter imprimuntur veſtigia, aſt diutius tunc retinentur.

40 Mens inſtructa conſortio ſpirituum aaimalium in ſenſorio communi, ideas vel extrinſece advenientes a ſenſibus vel cerebro inſculptas perſpicit illaſque diſtinguit & recte connectit, vel ſimiles addendo vel diſſimiles ſubtrahendo, ſic enaſcitur ratiocinatio & mens ſana eſt.

41 Quando autem illæ ideæ cerebro inſculptæ propter apertos cerebri poros a cauſa interna involuntaria excitantur, non autem a mente, quæ vel deſtituta eſt ſpirituum animalium laudabili quantitate, uti in ſomno, vel motu illo p. n. inverſo, ut in morboſis conſtitutionibus, tunc oritur ratio perverſa ſive delirium, quod nil niſi imaginatio fortior eſt, a directorio rationis aliena.

42 Delirium ſeu ratio perverſa in cogitatis & dictis fit, quando animæ ideo non reſpondent illis veſtigiis idearum cerebro impreſſis, ſed quando hæ dominium habent in illas.

43 Motus externi a ſenſoriis excitati ſpirituum animalium beneficio; illorum radiatione ad cerebrum delati ibi veſtigia ſeu characteres relinquunt.

44 Quando a cauſa vel interna relictæ hæc veſtigia denuo aperiuntur, ideæ earum rerum neceſſario redeunt ad mentem.

45 In insomnis profundiora et familiariora vestigia facilius aperiuntur, hinc ideæ poris cerebri inscriptæ, cum ob confusionem et copiam a mente in sensorio communi spiritibus animalibus destituto tempore somni non dijudicari et distingui possint, confusas tales instituunt comœdias, quæ dicuntur insomnia.

46 Deliria sunt insomnia vigilantium.

47 Quando anima se ad nihil determinans per se sequitur saltim segniter ideas cerebri vestigiis impressas vel denuo apertas fit phantasma, sive vigilemus sive dormiamus.

48 Delirium est vel melancholicum vel maniacum, utrumque sine febre, illud cum tristitia et metu sine causa manifesta, hoc cum furore et audacia conjunctum.

49 In melancholicis spiritus obscuriores fixi et quasi ad acetosam naturam accedentes, stabiles ac fixas non solum ideas in cerebri poris relinquunt, sed et prompte aperiunt vestigia similia nim. idearum tristitiæ, terroris, metus &c.

50 In maniacis spiritus magis sunt sulphurei, furibundi magisque actuosi, hinc ideas in cerebro ponunt fluxiles et vestigia ipsis similia aperiunt.

51 Dum vestigiis illis, quæ a spiritibus aperiuntur, tota mens inhæret nec perceptione extremorum vacat, perversum enascitur judicium.

52 Mania in melancholiam et vice versa melancholia in maniam facile transire potest, quoniam in utroque affectu constitutio pororum cerebri vitiata est, spiritus autem acetosi fixi facile naturam igneam et sulphuream induere et vehementissimo motu excitari possunt et contra.

53 Ἀστόχησις plerumque vitio phantasiæ laborant et melancholici magis suffocatione ac strangulatione, maniaci autem gladio vel præcipatione fatalem sibi diem accersunt.

54 Plures adhuc dantur cognitioni Medici occulti morbi et affectus phantasiæ.]

[53 A motu inordinato spirituum in febribus ardentibus, a nimia ebrietate in phrenitide, a morsu canis rabidi in hydrophobia vestigia idearum cerebri præter nostram voluntatem facile aperiri possunt.

56 Sensus externi actiones mixtæ sunt nimirum corporis et mentis, corporis quatenus idearum impressiones fiunt in cerebro, mentis, quatenus a mente illæ ideæ dijudicantur: hinc sensus proprie dicti non cadunt in bruta.

57 Uti ad sensum externum efficiendum requiritur non solum apta organi dispositio, verum etiam debitus spirituum animalium influxus, quo organon illud animari non possit et motiones ac passiones externæ factæ ab objectis mediantibus spiritibus ad sensorium commune transferri sic sensuum illorum abolitio vel exstinctio fit vitio vel in organo vel in motu spirituum existente.

58 Si spirituum animalium influxus per nervos opticos illis vel obstructis vel compressis sufflaminatur, fit cœcitas, dicta gutta serena.

59 Cætera omnia oculorum vitia dependent a tunicarum, humorum, spirituum et nervi optici aliorumque vasorum vitio.

60 Quando humores nimis crassi fiunt et diaphaneitatem amittunt, tunc visus imbecillitas oritur.

61 Particulæ ramosæ terrestres limosæ si innatant humori aqueo vel vitreo, suffusio spuria fit et muscæ, insecta conspiciuntur in aere volitantia: si autem copiosæ fiunt hæ irregulares opacæ atomi et congrediuntur, tunicam solidam constituunt sicque fit cataracta.

62 A poris arteriolarum, quæ oculorum humores restituunt, nimium apertis suffusio facile fieri potest.

63 Surditas fit ab obstructione nervi acustici item post febres acutas, morbum hungaricum, casum ab alto, contusionem.

64 Tympani membrana laxa nimis et flaccida ac tensionem debitam amittens, quod fit a sero, vehementiori madore et humiditate nimia vel ab improvide instillatis medicamentis vel ab aere pluvioso ac nebuloso auditum reddit difficilem.

65 Quan-

65 Quando hæc tympani membrana ſpaſmotice nimis tenditur vel in affectu hypochondriaco flatulento vel a nimio dolore capitis in febribus, ſoni acuti non ſolum intollerabiles redduntur, verum etiam tinnitus et ſurditas in auribus excitatur.

66 Si tympanum craſſeſcit rumpitur vel perforatur & exulceratur, graviſſime quoque læditur auditus.

67 Quando meatus auditorius a cerumine nimis tenaci inſpiſſato obturatur, auditus impeditur.

68 Cerumen auris ad coagulationem & lapideſcentiam gypſeam aptum eſſe, teſtantur obſervationes.

69 Aphonia non modo ab obſtructis nervis ad linguam tendentibus, verum etiam recurrentibus fit, ſi catarrhis obſidentur, quod ſæpe fit in infantibus.

70 Si canibus nervi recurrentes abſcinduntur, non amplius poſſunt latrare.

71 Sapor tollitur vel immitatur a papillulis nerveis in lingua deſinentibus ab amurca viſcida obſtructis, quod fit in calore p. n. &c.

72 Sapor maximam partem dependet ab odore, hinc naribus obſtructis in coryza vel obturatis illis nullus ſpecificus & accuratus ſapor percipitur.

73 Quod ſi proceſſus mammillares vel tunica internas nares veſtiens a ſordibus pituitoſis obſtructa impedit ſpirituum influentiamus, odor perit.

74 Quemadmodum ad excretiones naturales tonus partium naturalis requiritur, qui fit a debito & moderato ſpirituum influxu, ſic ſi influxus ille deficit vel ceſſat, fibræ partium laxæ ac flexiles fiunt, tonus & robur partium dejicitur & ſic nimiæ & involuntariæ fiunt excretiones.

75 Quando ſphincter alvi & urinæ ſpirituum animalium influxu deſtituitur, nimia debilitas et laxitas inducitur, ſicque involuntaria urinæ & alvi excretio fit.

76 Si pori cutis et vaſcula ſudoris ob denegatum ſpirituum influxum nimis laxantur, ſudor copioſus et colliquativus fit: ſi autem ſpaſmotice contrahuntur ob nimium et inordinatum illorum influxum, ſuppreſſio ſudoris contumax exſurgit.

77 Ab ureterum, veſicæ, inteſtinorum, uteri, ſpaſmotica contractione pertinaciſſimæ fiunt ſuppreſſiones urinæ, alvi excrementorum et menſium fluxus.

78 Virilis potentia & membri erectio potiſſimum dependet a ſufficienti et laudabili ſpirituum animalium in corpus penis nervoſum influxu, qui ſi ceſſat, impotentia oritur.

79 Quando copioſius ſpiritus animales in partes muſculoſas ac nerveas membri virilis influunt, tunc illæ inflantur, diſtenduntur & majus ſpatium occupant, quando autem illi ceſſant, tunc labaſcunt & in arctius ſpatium coguntur illæ ipſæ partes.

80 Convulſiones, ſpaſmi, concitatiores & inordinati ſunt ſpirituum in nervis et muſculis motus, qui ſenſorii communis determinationi, ut par eſt, non obtemperant.

81 Convulſiones a plicaturis valvularum in nervis exiſtentium oriuntur, quæ ſi violento motu a ſpiritibus rumpuntur, illius violenter ſubtilia nervorum filamenta perrumpunt et ingentes dolores ac ſpaſmus pariunt; Si hæ plicæ nulla arte iterum contrahi poſſunt, lethales fiunt convulſiones.

82 Validiorem fibrarum ac nervorum concuſſionem ac vellicationem ab acribus humoribus productam ſubſequi ſolent motus ſpaſmotici, conſtrictivi ac dolorifici, dum enim fibræ ita tenduntur ac premuntur, placidus ſpirituum motus turbatur, et irregularis, inordinatus & concitatior fit.

83 Omnes dolores convulſivi et ſpaſmotici aliquid in ſe habent, excitantur, ſi ex fibrarum lancinatione, ab humorum acredine orta, triſtis ac moleſtus in mente ſenſus ob turbarum ſpirituum motum fit.

84 Uti in omni ſenſu preſſionis quædam ſpecies concipienda eſt, ſic quoque in doloribus fibrillarum tenſione ac preſſione ſpiritus ad motum concitatiorem ac inordinatum perficiendum incitantur ac impelluntur.

85 Omnis dolor fit vel ab obſtructione

vel

vel diſtenſione, et conſequenti partium vicinarum membranacearum ac nerveārum preſſione, vel a particulis rigidis, irregularibus ſalinis, vellicantibus ac lancinantibus contextum fibroſum ac nerveum.

86 Quo ſalia ſunt magis rigida, acria, fixa vel volatilia et ſubtiliora et prout pars magis vel minus ſubtilioribus membranis ac fibris eſt inſtructa, eo variat ipſe dolor et eſt vel gravativus, ſcindens, pungens, tenſivus, oſtocopus et pulſatorius.

87 *Gravativus* fit a craſſis humoribus, *tenſivus* a flatulentis vaporibus, *ſcindens* ab acido, *pungens* ab alkali, ὀξύχοως ab humore acri perioſtium et fibras medullares vel oſſeas vellicante; *pulſatorius* ob vicinam arteriam in membrana inflammata.

88 Ob concitatiorem ſpirituum animalium in doloribus vehementioribus motum non ſolum febris accendi, ſed & delirium excitari poteſt.

89 In omni dolore conſtrictio ac contractio quædam eſt partium nervoſarum, hinc in doloribus atrocibus evacuationes ſupprimi ſolent, nimirum alvi, urinæ, ſudoris ſanguinis.

90 Si vaſa minutiſſima capitis vel interna vel externa in membrana obſtruuntur a particulis inæqualibus, exiles vaſorum meatus tranſgredi neſcientibus, diſtenſio, partium vicinarum preſſio et conſequenter dolor capitis exſurgit.

91 In dolore capitis magis externæ membranæ et pericranium affectum eſt quam internæ ſive meninges.

92 Quoniam pericranium oculorum orbitam cingit, dolores etiam capitis externi eo pertingunt.

93 Hemicrania fit, dum in una parte capitis, obſtructis minimis venis et arteriis in alteram partem ſanguis majori cum impetu ruit, diſtenditque vaſa, ſicque dolorem efficit.

94 Quodcunque itaque ſanguinem particulis pluribus viſcidis, inæqualibus, rigidis onuſtum in inteſtinum et rapidiſſimum motum concitare ſolet, uti omnes febres, ſpirituoſa largius aſſumpta, ebrietas, vaporoſa, id graves capitis dolores excitare valet.

95 In notabilioris ſanguinis impetuoſitate et difficiles reſpirationes et capitis dolores frequentiſſime obtingunt.

96 Si crudus chylus, id eſt, non ſatis diviſus in parvos globulos cum reliquo ſanguine ad caput defertur, veniens ad venarum anguſtiores extremitates hinc particulis non reſpondentibus motui et poris, particulæ ibi hærent et a ſubſequente arterioſo ſanguine hi in exiles illos meatus impelluntur, hinc obſtructio, diſtenſio et dolor oritur.

97 Hypochondriacis et illis qui ventriculi imbecillitate ac vaſorum impuritate laborant, capitis dolores frequentes ſunt.

98 Si diſtenduntur vaſcula et particulæ rigidiores ſalinæ hærent in perioſtio, panericium & graviſſimi dolores partium oriuntur, ſi in nervea membrana meatum auditorium cingente, tunc crudeliſſimus auris dolor fit; ſi in membrana nervea radices dentium inveſtiente, atrox odontalgia, ſi in articulis pedum, podagra, in manibus, chiragra, ſi in oſſe coxendicis iſchiadicus, ſi in ureteribus et illorum principio dolor nephriticus; ſi in orificio ſuperiori vel inferiori ventriculi cardialgia, ſi inteſtinorum Ilei vel oculi membrana, paſſio iliaca et colica ortum ſuum habent.

99 Diſtinctio inter motum convulſivum et convulſionem nulla eſt, cum nulla detur convulſio, quæ non ſit motus convulſivus et contra.

100 Omnes convulſiones ſunt dolorificæ, hinc epileptici poſt paroxyſmum conqueruntur de doloribus totius corporis et tunc carnes dolent ac ſi fuſtibus eſſent exceptæ.

101 Convulſio eſt vel univerſalis vel particularis, convulſio univerſalis eſt, quando totum ſyſtema nervoſum convellitur ac contrahitur & dicitur epilepſia: particularis autem dicitur κατ' ἐξοχήν motus convulſivus ſeu ſpaſmaticus.

102 Nervi conſtant ex infinitis filamentis, quæ porulos ac tubulos relinquunt, qui inter ſe ſunt æquales et uniformi-

formes, per hos ſi circulantur æqualiter ſpiritus, tunc anima eſt quieta & motus ſpirituum eſt placidus; ſi autem ordo ac ſitus filamentorum tenuiſſimorum turbatur, inæqualitas etiam tubulorum exſurgit; hinc aliqui majores & ampliores, nonnulli autem minores & anguſtiores fiunt, ſicque inæqualis quoque fit motus & æquilibrium ſpirituum animalium tollitur, dum per poros apertos & majores nervorum rapidiſſimo motu influunt, ſicque partes nervoſas & muſculoſas plus juſto inflant, diſtendunt, abbreviant & contrahunt.

103 A punctione & vellicatione violenta fibrillarum ſitus & ordo in ipſis nervis mutatur, ſicque inordinatus ac inæqualis ſpirituum animalium influxus inordinate contrahens partes muſculoſas ſuſcitatur.

104 In epilepſia inæqualis quoque eſt influxus ſpirituum animalium per totum ſyſtema nervoſum, dum in ipſa medullari ſubſtantia & principio nervorum obſtructio ingens fibrillarum cerebri, quoad unam partem fieri debet, hinc per alteros poros apertos eo rapidius & vehementius influunt ſpiritus animales, ſicque univerſalis partium fit convulſio.

105 Conſtitutio cerebri humida & pituitoſa ad epilepſiæ generationem contribuere multum ſolet.

106 Quo obſtructio in cerebro eſt pertinacior, diuturnior ſeu magis habitualis, eo curatu difficilior eſt epilepſia.

107 Quando corpori humoribus pituitoſis viſcidis onuſto motus vehementior introducitur v. gr. per affectus animi, per morbos, per ebullitiones, variolas, nimios dolores, humores hi pituitoſi facile anguſtæ mollique glandularum fibrarumque cerebri fabricæ vim inferre poſſunt, dum majori impetu intruduntur ac impelluntur in minutiſſimos illarum poros, ubi obſtructionem pariunt.

108 Palpitatio cordis fit a præternaturali muſculi cordis conſtrictione, dum ſanguis ob acredinem ſalinam viſcidam cor immediate convellit.

109 Plerumque poſt paſtum palpitatio cordis ingraveſcit, prout nimirum chylus a nova fermentatione acrior ac ſalſior accedit, preſſioque major tunc efficitur.

110 Polypum in cadaveribus palpitatione cordis emortuis repertum potius hujus concuſſionis productum & effectum quam cauſam cenſemus, quoniam a particulis ramoſis, terreſtribus ibidem præcipitatis faciles concretiones in ramis proximarum venarum contingere poſſunt.

111 Syncope non modo a motu inteſtino ſanguinis ceſſante, verum etiam ab influxu ſpirituum animalium deficiente in cor deducenda eſt, uti id liquet ex inordinatis animi affectibus, morbis ſpirituum, malignis & venenatis.

112 Ex validiori fibrarum uteri concuſſione ſeu convulſione abortus oriri ſolet, quem diarrhœæ, hæmorrhoides, purgantia, dolores & vicinarum utero partium irritationes ac inordinati ſpirituum per affectus intempeſtivos motus cauſari ſolent

113 Abortus fieri nequit, niſi ipſe uteri fundus violenter convellatur, hinc purgantia & alia abortum provocantia ſpecifica non facile abortum procurare poſſunt, niſi diſpoſitio uteri ſit ad talem contracturam ſpaſmoticam.

114 Singultus eſt violenta aeris impulſio ſuſcitata a convulſione diaphragmatis & violento ejus deſcenſu.

115 Cauſa ſingultus utplurimum latitat in ventriculo, qui propter conſenſum afficit diaphragma.

116 Sternutatio eſt violenta aeris expulſio ſeu exſpiratio a convulſione diaphragmatis orta ob conſenſum membranæ narium nimium irritatæ.

CAP. VIII.

De morbis ex vitio primarum viarum ortis.

1 SUb primis viis comprehenduntur œſophagus ventriculus inteſtina cum pancreate meſenterio, hepate, bile & illis annexis vaſis.

2 Quemadmodum ad alimentorum ſolutionem debitam & digeſtionem bonam requiritur ſaliva temperata ſeu menſtruum ſalivale non nimis ſalſum nec acidum, tenue dilutum ſed temperatum, activum tamen;

tamen; deinde calor naturalis ab influxu ſanguinis debito dependens & tandem robur & tonus ventriculi ab æquali ſpirituum animalium in ventriculum & inteſtina influxu exſurgens: ſic digeſtio depravata ex vitio horum reſultat.

3 Actio ventriculi eſt ſyſtematica & dependet a totius machinæ conſtitutione, hinc ſi craſis et motus vel ſanguinis, lymphæ aut ſpirituum animalium vitiatus eſt, appetitus et digeſtio ſtatim vacillant.

4 Quando ſaliva, quæ verum menſtruum ventriculi eſt, nimis acida exiſtit, nimia fit appetentia multæque cruditates generantur acidæ et viſcidæ; et quando nimis appetitus urget, morbus dicitur fames canina, quæ ſi cum deſiderio rerum inſuetarum et vitio phantaſiæ conjuncta eſt, nuncupatur Pica.

5 Si fermentum ventriculi nimis tenax et viſcidum eſt, et calor imbecillis, anorexia ſeu inappetentia cum nauſea conjuncta et intemperies ventriculi frigida exſurgit et cruditas pituitoſa; ſi autem ſaliva nimis ſalſa et bilioſa eſt, cruditas dicta nidoroſa conjuncta cum ructu putrido oritur.

6 Vomitus eſt periſtalticus ventriculi motus inverſus a violenta conſtrictione ejus orificiorum ortus et productus ab humore quodam acri irritante.

7 Nauſea eſt vomitus intentatus et quaſi in fieri et oritur a contractione et ſtrictura quadam p. n. ventriculi et ipſius œſophagi.

8 Vomitus diuturnus creberrime obſtructione quadam graviori in primis viis exiſtente ſuſtentatur.

9 Quando perſpiratio effluviorum ex digeſtione natorum per inteſtina propter occluſos illorum poros inhibetur, fiunt flatus, qui mirum diſtendunt tunicarum inteſtinalium fibrillas et ſic oritur dolor, qui dicitur colica.

10 In colica non ſolum inteſtina craſſa ſed et tenuia affecta ſunt.

11 In dolore colico peccat etiam humor acidus, acris bilioſus, mordax fibras inteſtinales convellens et contorquens, hinc effluvia intus contenta inteſtina et abdomen dolorifice diſtendunt.

12 Alvi conſtipatio, vomitus, tormina, item diarrhœa colicæ juncta indicant ſpaſmoticam contractionem.

13 Si motus periſtalricus inteſtinorum pervertitur propter nimiam convulſionem, ita ut fœces alvi per vomitum rejiciantur cum maximo ventris dolore, et alvi conſtipatione, tunc morbus dicitur paſſio Iliaca.

14 Quodcunque eſt colica in inteſtinis, illud eſt cardialgia in ſuperiori vel inferiori ventriculi orificio nerveo.

15 Sedes cardialgiæ non tantum eſt orificium ventriculi ſuperius ſed et inferius propter diverſorum ibi humorum factum concurſum.

16 Alvi obſtructio a bilis inertia, vel acido terreo conſtringente vel a fibris inteſtinalibus ſpaſmotice contractis oritur.

17 Diarrhœa eſt variorum liquidorum humorum per alvum excretio a continua glandularum et fibrarum inteſtinalium irritatione, facta a ſale acri cauſtico.

18 Tranſpiratio prohibita, aer nimis calidus, purgantium, acrium ſalinorum, fermenteſcibilium abuſus, depravata digeſtio acredinem bili et humoribus communicando, et tonum inteſtinorum labefactando diarrhœam promptiſſime inducere poſſunt.

19 In dolore inteſtinorum, diarrhœa, colica non irritatio ſemper eſt ab humore in inteſtinorum cavitate ſtabulante, ſed ſæpiſſime eſt in ipſa inteſtinalium fibrarum ſubſtantia latitat cauſa.

20 Si a ſale cauſtico corroſivo nimia fit eroſio et exulceratio inteſtinorum, ſicque ſanguis cum pure excernitur, dyſenteriæ nomen morbus accipit.

21 Quo major eſt exulceratio et eroſio inteſtinorum, eo gravior eſt dyſenteria.

22 Continuus et fruſtraneus egerendi conatus ob ſphincteris ani criſpaturam a muco quodam acri in glandulis inteſtini recti lenticularibus hærente excitatus, nuncupatur teneſmus.

23 Si vomitus cum diarrhœa ſimul conjunctus eſt et cum maxima ventriculi et inteſtinorum ſpaſmotica contractione, morbus dicitur cholera.

24 Malum hypochondriacum ejuſque ſymptomata unice debentur ſpaſmoticæ contractioni ac criſpaturæ partium nerveārum

ārum ac membranoſarum, quas primæ viæ complectuntur.

25 Idem morbus & eadem cauſa ac curatio eſt affectus hypochondriaci & hyſterici.

26 Fundamentum horum morborum eſt digeſtio primarum viarum & chyloſis penitus deſtructa, propter vitiatam ſalivalem & gaſtricam lympham, bilem digeſtionis præcipuam cauſam.

27 Obſtructio vel ſcirrheſcentia pancreatis, glandularum meſeraicarum, inteſtinalium, hepatis & obſtructio pororum inteſtinalium digeſtionem continuo turbando affectum hunc gignunt promptiſſime.

28 Illi, quorum genus nervoſum admodum debile eſt & qui ſpiritus ad motus convulſivos exerendos mobiliores & promptiores habent, hoc affectu gravius tentari ſolent.

29 Hypochondriacus affectus multorum magnorum morborum origo & fons eſt & maxime ipſius ſcorbuti.

30 Quando plexus meſenterici inteſtinales & muſculorum abdominis tendines in fœminis contorquentur ac conſtringuntur, ſicque partes conglobatę diaphragma ſurſum propellunt & aeris ingreſſum impediunt, morbus dicitur hyſterica ſuffocatio ſeu ſtrangulatio uteri.

31 Bilem, quæ in maxima copia ad inteſtinum duodenum deducitur, ceu humorem balſamicum utiliſſimum non per alvum omnem exterminari, ſed ejus partes ſubtiliores ſulphureas per poros venarum meſeraicarum foras intro ſpectantes in ſanguinem iterum tranſire, ſicque bilem circulari, variis rationibus & experimentis clarum reddi poteſt.

32 Quod ſi itaque bilis motus ad inteſtinum duodenum impeditur ſive obſtructo vel ſpaſmotice contracto ductu choledocho vel calculo in veſica exiſtente vel poris hepatis biliariis calculoſa viſcida materia oppletis, oritur icterus.

33 A bile peccante tam in quantitate, qualitate & motu ejus circulari multi magni morbi chronici, febres, cachexia, hydrops, pathemata hypochondriaca & hyſterica deducenda ſunt.

SEMIOTICES

CAP. I.

De ſignis morborum ex ſanguine, urina, pulſu & ſaliva petitis.

1 DIagnoſis conſiſtit in morbi & cauſarum, ejus exacta cognitione, facta per ſigna.

2 Qui bene cognoſcit, bene curat, hinc diagnoſis morbi eſt ſumme neceſſaria medico.

3 Uti omnis morbus ex intemperie & motu partium fluidarum p. n. fluit: ſic diagnoſis peti debet ex ſignis, quæ conſtitutionem humorum, illorum temperiem & motum aperiunt.

4 Signa morborum diagnoſtica ſunt duplicia vel ſunt ipſius morbi ſymptomata & accidentia, vel deſumuntur ex ægri natura, victu, ætate, ſexu, climate, excretis, retentis, conſtitutione parentum, pulſu, vigiliis, ſomno, ingenio, juvantibus, nocentibus &c.

5 Signa ſive ſymptomata morbum patefacientia ſunt vel eſſentialia a morbo inſeparabilia dicta pathognomonica, vel accidentalia & concomitantia ſeu ſeparabilia.

6 Ad morbi indolem indagandam omnia ſigna & ſymptomata attendi debent, nec illa ſeparanda, ſed potius invicem combinanda.

7 Temperiem & motus ſpirituum animalium principaliter elucet ex ſenſibus tam internis quam externis & maxime ex oculis, vi phantaſiæ & ingenii, vigiliis, ſomno, movendi potentia, ratiocinatione &c.

8 Ex pulſu, reſpiratione, tranſpiratione, ſanguine & urina, ſanguinis temperies ac mixtura dijudicanda venit.

9 Ex ore, ſaliva, appetitu, ſiti, excretis per os vel alvum menſtrui gaſtrici & digeſtionis primæ natura patefit.

10 Pulſus non tantum ſpirituaſcentiæ ſanguinis et ejus inteſtini ac circularis mo-

motus, verum etiam ſpirituum animalium conſtitutionis index eſt.

11 Pulſus eſt motus cordis per arterias continuatus & dependet tam ab influxu ſpirituum animalium quam ipſius ſanguinis ſpirituoſi.

12 Multæ ſuperfluæ ſunt pulſuum differentiæ.

13 Pulſus magnus indicat ſpirituaſcentiam ſanguinis & ſpirituum animalium copiam, quoniam magno impetu tunc dilatantur arteriæ.

14 Pulſus debilis a debiliori ſanguinis ſpirituaſcentia & inopia ſpirituum animalium oritur.

15 Spiritus addunt calcar ſanguini.

16 Pulſus celer indicat inteſtinum ſanguinis motum plus juſto adauctum, & tardus fit ab inteſtino ejus motu imminuto, & notat ſanguinem craſſiorem minuſque mobilem.

17 Pulſus frequens eſt, quando pulſus pulſum ſequitur exiguo ſpatio interjecto & fit vel a ſanguinis abundantia vel a vellicatione nimia muſculi cordis & arteriarum.

18 Pulſus intermittens ab inæquali particularum ſanguinis mixtura & ejus ſpirituaſcentia in corde paululum ſuppreſſa dependet.

19 Inæqualitas pulſus identidem male ſanguinis mixtioni debetur.

20 Sanguinis inſpectio ad ejus conſtitutionem & naturam indagandam multum facit.

21 Si ſanguis ſpumoſus emittitur, inteſtinam ejus agitationem adauctam, dolores, reſpirationem difficilem & pectoris affectus ſignificat.

22 Sanguis floridus & tenuis ſalis volatilis copiam & arthritidem volatilem, dolores ſcorbuticos vagos, hæmorrhagias præſagit.

23 Sanguis craſſus & nigricans ſero pauco ſtipatus diſpoſitionem ad melancholiam & ſcorbutum frigidum ac inflammationes graviores notat.

24 Sanguis per venam emiſſus, quo magis ſcatet ſero acri, eo plus denotat defluxiones catarrhales, dolores, hæmorrhagias &c.

25 Sanguis pleuriticorum utplurimum in ſuperficie firmam craſſam ac glutinoſam habet ſubſtantiam.

26 Sanguis viſcoſus & tenax faciliſque ejus grumeſcentia acorem indicat, & indicium eſt ſcorbuti, luis venereæ, paralyſeos.

27 Nitroſa, ſalia volatilia & fixa ſanguini infuſa illum reddunt floridum & tenuem; e contra acida & vitriolacea immiſſa illum condenſant, & colorem purpureum ejus deſtruunt.

28 Alium comeſtum eodem odore ſanguinem imbuit.

29 In morbis malignis & peſte in ſanguine ſæpe nullum apparet vitium externum, indicio: cauſam malignitatis magis radicari in ſpiritibus.

30 Urina conſtitutionem ſanguinis, ſeri ſaliumve in lympha contentorum, & primæ digeſtionis vitia patefacit.

31 Urina alia dicitur ipſius ventriculi, quæ ſtatim poſt cibum & potum excernitur, vel ipſius ſanguinis, quæ tempore matutino mingitur, hæc ad inſpectionem eſt optima.

32 In urinæ inſpectione attendenda ſunt quantitas, qualitas, pondus, color, odor, conſiſtentia & contenta.

33 Quantitas urinæ aucta ſeceſſionem ſeri a ſanguine vel ſudorem ſuppreſſum aut tranſpirationem impeditam indicat.

34 In morbis acutis & malignis urina ſæpe copioſa & tenuis profluit & peſſimum ſignum eſt.

34 Urina pauca notat vel vias urinarias obſtructas vel ſanguinis mixturam & circulum turbatum vel ſeri effuſionem aliorſum factam.

36 Pondus urinæ, quod inſtrumento ſtatico eſt indagandum, contenta ſalina terreſtria fixa ratione quantitatis manifeſtat.

37 Qualitatem ſalium & contentorum in urina, ſapor, odor & evaporatio, atque etiam deſtillatio igne facta & capitis mortui calcinatio patefacit.

38 Color urinæ rubicundus non ſemper dependet a calore ſanguinis, hinc in nonnullis frigidis morbis urina nonnunquam mingitur rubicunda, in magno æſtu autem tenuis & limpida.

39 Salia ſanguinis quo magis ſunt incocta et alcaliſata ac fixiora, eo urinæ intenſiorem colorem conciliant, & quo pauciora adſunt, illaque magis ſunt diluta a lymphaticis et aqueis, eo magis ad flavedinem et diaphaneitatem urinæ inclinant.

40 Urina intenſe rubicunda protinus flaveſcit et naturalem colorem acquirit ſufficienter diluta additione aquæ communis.

41 Urina rubra ſine febre notat ſcorbutum & ſalia copioſa terreſtria in lympha.

42 Urina rubicunda et tenuis in febribus vel ſcorbuto ſine ſedimento vel præcipitatione indicat ſalia ſylveſtria morboſa ſanguinis viſcoſis et ramoſis particulis non eſſe implicita et intricata, ſed illa ſatis ſpiculata libere vagari in fluoribus, parteſque ſolidas facile offendere poſſe.

43 Urina cum ſedimento in febribus præſagit materiam morboſam ſeu febrilem non adeo malignam vel aerem ac rebellem, ſed ſub involucris aliarum particularum fixarum illam eſſe; veteres dixerunt *coctionem*.

44 In malignis urina ſæpe ſanorum ſimilis eſt et hic valet illud: *urina bona, pulſus bonus & æger moritur*.

45 Urinæ craſſæ notant copiam viſcidorum humorum in ſanguine, & contra tenues & lividæ caloris nativi defectum & pravam digeſtionem ac ſpirituaſcentiam ſanguinis deficientem.

46 In acutis morbis lividæ & tenues urinæ delirium præſagiunt.

47 Urinæ quo magis ſunt oleaginoſæ & pinguedinem habent ſupernatantem rubicundo colore tinctæ, eo major ad corporis contabeſcentiam eſt proclivitas.

48 Urinæ, quæ continet arenas copioſas, calculum rerum; quæ viſcoſum album ſedimentum, calculum veſicæ, in infantibus vermes; quæ pus & ſanguinem, ulcus veſicæ & renum vel etiam mictum cruentum patefaciunt.

49 Urinæ nigræ non ſemper præſagiunt mortem, ſed utplurimum arguunt colliquationem acidarum terreſtrium fixarum particularum: melancholicis ſcorbuticis ac hypochondriacis familiares ſunt, ſi calore p. n. corripiuntur.

50 Urinæ turbidæ ſic ſtatim emiſſæ ſignificant copiam terreſtrium, viſcidarum particularum in ſanguine, quæ ætheri non innatant, vel ejus motui obſecundant.

51 Graviditatem, imprægnationem ex urina exacte cognoſci poſſe, item labem certi cujuſdam viſceris, falſum eſt.

52 Ab allio, aſparago, cepis, urina fœtida, e contra a nuciſta copioſe aſſumpta, oleo terebinthinæ, ſuccini, juniperi violaceum ac ſuavem odorem acquirit.

53 Pulſus & urina infida morborum ſigna ſunt & ex iis ſolis morbus judicari nequit.

54 Salivæ inſpectio & examinatio ſecundum qualitatem multum facit ad indagandam digeſtionem ventriculi & inteſtinorum, nec non ſpirituum animalium motum.

55 Pauca, ſpumoſa, alba ſaliva denotat efferatum ac impetuoſum ſpirituum animalium motum corporiſque incaleſcentiam.

56 Saliva tenax viſcida calorem, ſitim & æſtum ſanguinis p. n. indicat.

57 Saliva in copia emiſſa limpida præſentiam acidi, tranſpirationem impeditam & ventriculum frigidum arguunt.

49 Salivæ ſalia & contenta deſtillatione & putrefactione manifeſtantur.

50 Spirituaſcentia ſalivæ optime explorari poteſt beneficio antliæ pneumaticæ, ſi nimir. illa recipienti ab aere evacuato immittatur.

CAP. II.

De ſignis & differentiis morborum eſſentialibus.

1? FEbrium intermittentium certa ſigna ſunt frigus ſeu horror cum ſubſequenti calore p. n., pulſus celeri,

uri-

urina rubicunda & horum ſymptomatum per certum tempus intermiſſione.

2 Tertianæ ſigna ſunt præter ſuperius dicta, urina flammea & alterius diebus acceſſus.

3 In tertiana duplici poſt ſimplicem tertianam omni die recurrit paroxyſmus.

4 Tertiana notha dicitur, quando urina non tam flammea eſt & craſſa, nec calor corporis ita intenſus.

5 Quartanæ, quæ per duos continuos dies quieſcunt, invadunt magis cum pandiculationibus, oſcitationibus, horrore majori, pulſu inæquali.

6 Vera malignitatis tam in peſte, quam in febribus & petechiis indicii ſunt ſubitaneus & totalis virium lapſus, mentis ac ſenſuum turbatio, pulſus debilis et inæqualis, urina ſanorum ſimilis, variaque exanthemata.

7 Differunt petechiæ a pulicum morſibus, dum hi in centro dunctuum ſeu morſus veſtigium habent, ſecundo petechiæ compreſſæ totæ evaneſcunt, morſuum autem centra neutiquam, tertio petechiæ raro in facie conſpiciuntur, & non tam ampli ſunt quam morſi pulicum.

8 Differunt petechiæ a maculis ſcorbuticis, quod hæ abſque ſingulari malignitatis nota & cum prurito prodeant, ac magnitudine, colore ac rubore differant.

9 Febrium ſcorbuticarum ſigna ſunt ſymptomata ſcorbutica, artuum dolores, maculæ & urina ante febrem rubicunda.

10 Signa variolarum imminentium ſunt æſtus corporis maximus cum pruritu cutis, rubore & tumore oculorum, dolore dorſi, ſomno inquieto maxime illo tempore, quo graſſantur.

11 Variolæ differunt a morbillis, quod illæ pedetentim in tubercula creſcant, & in pus mutentur, hi autem paucos poſt dies inſenſibiliter evaneſcant.

12 Signa peſtis ſunt virium totalis proſtratio cum erumpentibus carbunculis, bubonibus, & intra paucos dies interitus.

13 Carbunculus gangrenæ inſtar partes vicinas inficit, donec pars mortificata excidat.

14 Febris lentæ ſeu hecticæ ſigna ſunt calor ardens maxime poſt paſtum, & tempore veſpertino cum pulſu frequenti, ſiti, debilitate et conſumptione corporis, urina pinguedinoſa et rubicunda.

15 Hectica ex ventriculo dignoſcitur, ſi poſt febres male curatas, vel erratum in diæta commiſſum invadit, et quando vomitu infeſtat ventriculus.

16 Hecticam ex viſcerum abſceſſibus et corruptela comitatur reſpirationis difficultas, tuſſis, dolor, ardor partis et pulſus p. n.

17 Scorbutus ſe ferme omnibus inmiſcet morbis, et pro diverſitate temperamentorum et partium affectarum varias induit larvas.

18 Scorbutum indicant dolores et contractiones ſpaſmoticæ partium fixæ vel vagæ, gingivarum putreſcentia hæmorrhagiæ, urina ſaturate rubicunda et maculæ ſcorbuticæ.

19 Lues venerea manifeſtatur ex laſſitudine corporis, dolore fixo et diuturno tam capitis, quam aliarum partium tempore maxime nocturno, ex tophis et concreſcentiis oſſeis, ulceribus palati et faucium, puſtulis putrilaginoſis in capite et partibus genitalibus, carunculis et difficiliori horum ſymptomatum curatione.

20 Inflammationis notæ ſunt dolor, rubor, calor, tumor, pulſatio arteriolarum in parte affecta et febricula.

21 Quando in eryſipelate dolor eſt profundior et pertinacior cum tumore, eryſipelas dicitur ſcorbuticum.

22 In pleuritide adeſt dolor lateris acutus cum tuſſi reſpiratione difficili atque etiam puris vel ſanguinis ejectione ac febre; ſi pulmo ſimul afficitur & præcordiorum totiuſque pectoris adeſt gravitas, ſpiritus difficultas et magna febris cum metu ſuffocationis, dicitur affectus peripneumonia.

23 Tumor tonſillarum cum calore et febre lenta inflammationem illarum indicat, et differt ab angina, quod hic longe acutior ſit febris et reſpirationis

ac

ac deglutitionis major difficultas et minor tumor.

24 Quando inflammationis signa in intensissimo gradu sunt, fit gangræna.

25 Polypum cordis occultum patefaciunt respiratio difficilis, palpitatio cordis, syncope & pulsus intermittens.

26 Syncope fit cum facie pallida, pulsu debili, vel plane intermittente & extremorum frigore.

27 Catarrhus suffocativus est, quando summa adest anxietas in pectore cum spirandi difficultate, stertore, pectoris elevatione, pulsu inæquali atque etiam intermittente et expectoratione suppressa.

28 Suffocatio uterina cognoscitur ex respiratione difficili, faucium strangulatione, quasi aliquid hæreat in faucibus, et sensu quasi globi in abdomine oberrantis, syncope etc.

29 Differt peripneumonia a catarrho suffocativo, quod in hoc cum impetu ad fauces et pectus ruat defluxio, in illa autem non.

30 In incubo sufflaminata est inspiratio, dormientibus imprimis ac dorso incumbentibus familiaris cum sensu ponderis præcordia prementis ac imminente suffocatione.

31 Incubus ab aliis epilepsia nocturna dicitur, quia similes fere convulsiones thoracis in incubo adsunt ac in paroxysmo epileptico.

32 Inflammatio renum cognoscitur ex calore et dolore pulsatorio gravativo lumborum, stupore cruris, febre vehementi, et mictione ardente, et si mictio hęc sanguinea est vel purulenta, ulcus adest renum.

33 Inflammatam vesicam ordinario comitatur tensio, durities, ardor, et dolor in regione vesicæ et pubis, urinam reddendi impotentia, tenesmus, febris, vigilia, delirium, interdum alvi suppressio.

34 Delirium grave cum febre ardente, facie rubicunda, dolore interno capitis pulsatorio, urina alba indicat phrenitidem seu inflammationem cerebri.

35 Ophthalmia est vel sanguinea vel serosa, illa est inflammatio tunicæ adnatæ cum rubore, ardore, dolore, tumore et lacrymis profluentibus; hæc vero, quæ proprie epiphora dicitur, est continua et copiosa lacrymarum destillatio ex oculo, comitata plus minus cum ejus dolore, morsu, ardore, rubore.

36 Ophthalmia distinguitur in veram et notham, biliosam et serosam, epidemicam et non epidemicam; in biliosa oculus quasi erysipelate affectus et lacrymæ sunt acerrimæ, in serosa, lympha lacrymalis magis est glutinosa viscida.

37 Inflammatur etiam hepar et quidem vel in parte gibbosa vel concava, si est in gibbosa parte, urgent magis symptomata pleuritidem mentientia; si in concava, magis symptomata ventriculi et intestinorum.

38 Hepatis inflammationem comitatur sensus ejus gravativus in dextro hypochondrio cum dolore simul obscuro et tensivo, qui sub suppuratione punctorius plus minus evadere solet, deinde adest febris acuta et lenta, tussis sicca, difficultas respirationis, decubitus in latere affecto difficilis.

39 Sanguinem congrumatum et collectum in abdomine præter vulnus penetrans imprimis insinuat abdominis tumor, durities, renisus, virium prostratio, impedita respiratio.

40 In pectore collectum et coagulatum sanguinem comitantur respirationis læsio, gravitas ac pondus circa nothas costas, extremorum frigus, febris et prægressa contusio, vel casus ab alto, aut vulnus in pectore.

41 In capite et sub ejusdem calvaria collectum sanguinem grumosum monstrant dolor gravativus, sensus pulsationis, rubor faciei, oculi nonnihil lacrymantes, sanguinis per os, aures vel nares exitus, mentis stupor et antecedens valida contusio vel incisio.

42 Hæmorrhagiæ ex plethora sunt, si evacuationes consuetæ suppressæ, si victus plenus et spirituosus fuerit assumptus et V. S. diu intermissa aliaque signa plethoræ adsunt.

43 Hæmorrhagiæ a turgescentia sanguinis fiunt post immoderatos animi affectus et inordinationes spirituum tem-

pore æſtivo, copioſo aſſumpto vino & in variolis & morbillis, febribus &c.

44 Hæmorrhagia ex acrimonia ſeri eſt, ſi ſigna ſcorbuti adſunt, vel acria varia aſſumpta vel externe applicata.

45 Hæmorrhagiæ a circulo ſanguinis & lymphæ impedito fiunt, quando ſcirrhoſæ adſunt viſcerum conſtitutiones, hypochondriorum tenſiones ac flatulentiæ, uti fit in hydrope, affectu hypochondriaco &c.

46 Hæmorrhagiam narium indicant imminentem dolor capitis & cervicis, rubedo oculorum, pulſus arteriarum, pruritus narium, irritatio in interiore pectore.

47 Menſes præſentes mox patefaciunt lumborum & regionis epigaſtricæ tenſio, gravitas, æſtus, tempus conſuetum, pulſus auctus.

48 Fluxus hæmorrhoidalis præſens eſt, ſi abſque fecum excretione etiam ſanguis ſincerus ſtillat ſine dolore abdominis, ſed cum tumore ac dolore hæmorroidum & teneſmo.

49 Hæmophthiſis a ſanguinis ſputo differt, quod illa cum tuſſi ſicca, reſpiratione difficili & impetu fiat, ſanguiſque floridus & copioſus ſit, ſputum autem cruentum magis ſit ſcreatu & tempore nocturno vel matutino & ſanguis magis obſcure rubicundus, qui ex faucibus læſis ortum ſuum ducit.

50 Sanguis, qui ex ventriculi vaſis prorumpit, excernitur vomitu, & nigricans utplurimum eſt.

CAP. III.

De cognoſcendis morbis ex vitio lymphæ, ac ſpirituum animalium ortis.

1 PHthiſis pulmonalis cognoſcitur ex reſpiratione difficili, dolore fixo in latere ſiniſtro vel dextro, anhelitus fœtore, materiæ purulentæ, ſanguineæ excretione & corporis conſumptione cum calore p. n. maxime poſt paſtum.

2 Phthiſin imminentem prænunciant ſubſtantiæ carnoſæ conſumptio, ſapor ſalſus, & putridus cinereus in ore, ſtimulus ad tuſſim, ſudor nocturnus copioſus & corporis debilitas.

3 Phthiſis pulmonalis ab illa, quæ fit ex obſtructione vaſorum, vitio ſtomachi & viſcerum differt, quod in hac materia purulenta non excernatur, nec reſpiratio difficilis aut anhelitus fœtor adſit, ſed ſaltim conſumptio & laſſitudo corporis cum tuſſi, calore p. n. appetitu dejecto, ſudore copioſo &c.

4 Lepra eſt vel Græca vel Arabrum, hæc dicitur Elephantiaſis, illa eſt univerſalis & inſtar ſquammarum piſcium ac furfurum decidunt cruſtæ & profundius depaſcit carnem ac difficulter eſt curabilis, Arabrum autem particularis eſt, quando v. gr. pedes livido vel nigricante tumore cum varicibus & ulceribus corripiuntur, & cutis tunc ſcabra aſpera & rugoſa inſtar Elephantum fit.

5 Catarrhales acres defluxiones, coryzam, tuſſim & dolores arthriticos prænunciant appetitus auctus, gravitas & laſſitudo corporis, horror cum pulſu p. n.

6 Tuſſis ſtomachalis a pulmonali differt, quod in hac raucedo & ſapor ſalſus ſit cum reſpiratione difficili & pectoris gravitate, illa autem magis pertinax cum ſpiratione facili abſque raucedine & excretione.

7 Calculus renum cognoſcitur ex dolore lumborum fixo, vomitu, ſtupore crurum & urina arenacea.

8 Calculus veſicæ palam fit ex difficili urinæ excretione, dolore, pruritu ac pondere in pube, teneſmo, urina mucilaginoſa & catheteris exploratione.

9 Gonorrhæa benigna a purulenta differt, quod in hac materia putrida, fœtida vario colore tincta ſit & major corporis debilitas, in illa autem leniora ſymptomata.

10 Anaſarca ab aſcite diſtinguitur, quod in illo tumor totius corporis ſit æqualis, urina flava, calor imbecillis; in aſcite vero partes ſuperiores marceſcunt cum inferiorum tumore, urina pauca ac rubicunda craſſa eſt, cum calore & pulſu intenſiore & ſpirandi difficultate, & ſenſu fluctuationis aquæ in abdomine.

11 Hydrops ex febribus intermittentibus

tibus chronicis male tractatis, & ſpeciatim ex quartana diuturna, ex aſthmate humoroſo vel convulſivo item ex vitio renum vel viſcerum, ictero ac ſanguine p. n. excreto vel retento frequentiſſimus.

12 Hydropica a gravida differt ex colore faciei & oculorum vivido, ex fluctuatione et lapſu aquarum, quod non fit in geſtatione, ex ſiti, quæ hydropi juncta eſt; in imprægnatione autem non: ex tumore corpus gravante, non autem in graviditate.

13 Signa cachexiæ ſunt corporis a nativo colore in pallidum humidum flaccidum & ſubtimidum degeneratio, crurum & univerſi corporis laſſitudo ac anxioſus præcordiorum dolor, urina cruda, pulſus inæqualis, & debilis, & febris lenta; ſi ulcera, ſcabies dolores ac ſpaſmoticæ contractiones conjunctæ ſunt, dicitur cachexia ſcorbutica.

14 Signa apoplexiæ ſunt omnium ſenſuum tam externorum, quam internorum abolitio, facies rubicunda & pulſus adhuc ſalvus.

15 Paralyſis, quæ apoplexiam ſequitur, & ex cerebro vel ſpinali medulla læſa et nervis oritur, dicitur paraplegia, & ibi ſenſus ac motus partium perit.

16 Paralyſis remanente ſenſu dicitur pareſis, in qua muſculi & tendines magis ſunt affecti & ſequitur ſcorbutum, colicam convulſivam, & fumos ſaturninos copioſe hauſtos.

17 Lethargus manifeſtatur ſomno profundo cum delirio, febre lenta & oblivione.

18 Carus eſt ſopor profundus cum ſtertore, ut excitari ægri difficillime poſſint.

19 Coma ſomnolentum eſt ſomnus cum delirio.

20 Catalepſis dicitur ſenſuum tam internorum, quam externorum abolitio cum pulſu remanente, oculis apertis et quaſi torvorum videntibus, & quod affectus in illa poſitura ægrum relinquat, in qua ipſum deprehenderit.

21 Catalepſis eſt vel gravior vel levior, levior fit per paroxyſmos et breves, et poſt finitos paroxyſmos ægri varia narrant, quæ viderint; In graviori autem, paroxyſmi ſunt longiores et nihil ſciunt, quid in paroxyſmo cogitaverint.

22 Vertigo ſæpiſſime ex ventriculo oritur, indicium eſt: ſi jejunium ferre nequeunt, ſi in hypochondriis flatus ſunt, et hyſterica adeſt affectio.

23 Vertigo, quæ caduca dicitur, primus gradus eſt epilepſiæ, et eſt vertigo idiopathica.

24 Signa melancholiæ ſunt mœſtitia & timor ſine cauſa, cum anxietate animi, cogitatione fixa et forti circa aliquam rem & ſomno turbulento pauco; tempeſtate obſcura et humida pejus ſemper ſe habent.

25 Melancholia ex vitio hypochondriorum nata judicatur, ſi ſigna mali hypochondriaci adſunt.

26 Mania cognoſcitur ex delirio ſine febre conjuncto cum furore, viribus plus quam humanis, vociferatione, ſomno pauco, pudore depoſito, dilaceratione veſtium.

27 Cephalalgia diuturna eſt cephalæa, quod ſi capitis dimidium eſt affectum dicitur hæmicrania, quæ cum exacerbatione et per intervalla utplurimum invadit.

28 Si in una parte aut loco capitis dolor eſt, dicitur clavus.

29 Cephalalgia a cauſa frigida dicitur ubi dolor eſt gravativus, facies pallida cum frigore, pulſu tardo; quando autem calor & rubor faciei adeſt & ſanguis fervet, pulſus vehemens et celer, dicitur calida.

30 Cephalalgia ſæpius internis capitis membranis reſidet, et indicium eſt, ſi functiones cerebri non ſunt læſæ.

31 Quando adeſt tinnitus aurium, vertigo, dolor capitis, in ipſo cerebro malum latitare veroſimile eſt.

32 Arthritis calida a frigida differt, quod in hac tumor adeſt magis œdematoſus cum nullo vel levi ſaltim rubore, pulſu tardo paroxyſmo longiori; in calida autem paroxyſmus eſt brevior vel acerbior, colorque ac rubor manifeſtus magis: Idem valet circa omnes dolores.

33 Dyſpnœa dicitur, quando inſpiratio eſt depravata cum anxietate et difficul-

tate; ſecundus gradus dicitur aſthma; tertius orthopnœa, quia tales corpore erecto et expanſo reſpirare coguntur.

34 Adhma eſt vel ſtomachale, ſi ſtomachus inflatus et infarctus eſt flatibus et materia craſſa per intervalla turgeſcente; vel hypochondriacum et ſcorbuticum, ſi ſigna horum affectuum adſunt; vel hydropicum ſeu hyſtericum, ſi conjungitur affectibus.

35 Aſthma eſt vel humidum vel ſiccum ſeu convulſivum; humidi ſigna ſunt, ſi magis eſt continuum et reſpiratio cum ſonitu, profundo ſtertore, tuſſi et pituitæ copioſæ excretione; ſiccum autem ſive cunvulſivum eſt, quando diaphragmatis et nervos, et muſculos contractione ſine notabili excretione et per intervalla magis affligit, ſequiturque morbos ſpaſmoticos, v. gr. paſſionem hyſtericam, hypochondriacam, ſubluxationem vertebrarum, dorſi, epilepſiam.

36 Aſthma metallicum eſt quoque ſiccum, et fit in nervorum pulmonalium torulis propter copioſos ſaturninos vapores.

37 Imminentem iliacam paſſionem produnt alvus pertinaciter ſuppreſſa, inteſtinorum tenuium tormina crudeliſſima, et nauſea cum ſingultu.

38 Sæpius gravior colica pro iliaco morbo a timidis medicis habetur.

39 In diabete plus humidi excernitur, quam aſſumptum fuit, ſitis adeſt, ac debilitas membrorum, urina dulcescit, adſunt dolores vagi cum ſpaſmis, ſi malum gravius.

40 In affectione hypochondriaca poſt aſſumptum cibum gravitas ventriculi, ſputum pituitoſum ac copioſum, vomitus, ructus, flatus et dolores tenſivi in ſiniſtro hypochondrio, reſpiratio difficilis, phlogoſes, alvi adſtrictio, ſpaſmi partium nervoſarum, ebullitiones ſanguinis p. n. urgent.

41 Affectus hypochondriacus habet ſua certa intervalla, tempora ac paroxyſmos, quibus exacerbatur.

42 In hyſterica paſſione præfocatio faucium, difficultas reſpirationis cum motu ſuffocationis, ſyncope, cardialgia alvi adſtrictio, dolores abdominis acutiſſimi ſæpe ægros invadunt.

42 Icteri ſigna ſunt color flavus totius corporis maxime tunicæ adnatæ, urina crocea, feces albæ, præcordiorum anxietas et gravitas: ſi color ille in lividum vel viredeſcentem degenerat, icterus niger vocatur.

CAP. IV.

De prognoſi medica.

1 NIhil magis commendat medicum vel ipſi æſtimationem conciliat, quam prudens prognoſis.

2 In prognoſi caute ſe gerere debet medicus, famam enim ſuam prognoſi temeraria facile amittere poteſt.

3 Prognoſis eventum morbi judicat, qui differt ratione ſalutis et mortis, ratione longitudinis et brevitatis, ratione ſolutionis et madicamentorum operationis.

4 Prudens prognoſis addiſcitur non tam præceptis, quam ipſa experientia.

5 Quo temperies et motus partium fluidarum naturalis magis eſt deſtructus in morbis, eo periculum eſt gravius.

6 Turbatio maſſæ ſanguineæ, quo major eſt et ejus circularis motus, quo magis eſt imminutus, eo plus ſubeſt periculi.

7 Virium defectus in omnibus morbis quo major eſt, eo periculoſior eſt ſtatus.

8 Mens turbata cum febre peſſimum indicat ſtatum.

9 Pulſus debilis ſubitaneus virium defectus, turbatio mentis, ſyncope, exanthematum eruptiones ſigna malignitatis ſunt.

10 Excreta quo magis recedunt ratione quantitatis, vel qualitatis a naturali ſtatu, eo pejor res eſt.

11 Excretiones copioſæ illis in morbis, ubi ſerum laudabile deficit, ut in hectica phthiſi præſentiſſimum periculum prædicunt.

12 Omnis morbus, qui per intervalla recurrit, expers magis periculi eſt, quam qui continuo infeſtat.

13 Morborum recidivæ ſemper ſunt pejores ipſis morbis.

14 In

14 In omnibus acutis morbis prædictiones ratione ſalutis & mortis admodum ſunt incertæ.

15 Excretiones omnes naturales ordinariæ ſuppreſſæ morbum prænunciant.

16 Natura arte adjuta interdum facit miracula.

17 Tranſpiratio et reſpiratio, quo magis in morbo eſt libera et naturalis, eo melius inditium ſalutis.

18 Viſcus laborans quo nobilius, eo gravius malum metuendum.

19 Inflammationes nobiliorum partium morbis acutis ſupervenientes lethalem nanciſcuntur utplurimum eventum.

20 Vertigo, ſudor, frigidus pulſus debilis inſtantem lypothymiam prædicunt.

21 Dolores acerbiſſimi ſubito definentes et indolentes facti funeſti ſolent eſſe et ſphacelum indicant.

22 Tumores in atrophicis morbis et contra atrophiæ in morbis hydropicis vel aliis tumoribus periculum præſens indicant.

23 Omnes excretiones involuntariæ vel ſummam debilitatem, mentem turbatam aut ingens in nervis vitium ſignificant.

24 Omnis morborum curatio tempore verno ac æſtate non adeo fervida, in ætate juvenili, temperie exiſtente ſanguinea melius procedit, quam hyeme in ſenibus et melancholicis ac pituitoſis.

25 Plerique morbi chronici circa ſolſtitia, vel æquinoctia inſignem ac ſubitam alterationem acquirunt.

26 Tumores interni viſcerum diuturnos generant morbos.

27 Omnes excretiones criticæ ſuppreſſæ vel retropulſæ v. gr. in cute exanthemata, ingens diſcrimen ſanitati ac vitæ minantur.

28 Solvitur morbus atque etiam febris ſæpius notabili quadam excretione critica vel per ſudorem, urinam, alvum, ſalivam.

29 Febres male curatæ vel etiam diuturnæ corruptelam inſignem viſceribus & ſuccis vitalibus affricant, hinc affectus hypochondriacus, hydropis variæ ſpecies, digeſtionis vitia et alia inde propullulant.

30 Febres intermittentes et omnes morbi chronici, qui autumno invadunt, difficilius tolluntur, quam qui ſub vernum vel æſtivum tempus accedunt.

31 Intermittentes malignas dari ſine tali periculo, teſtantur obſervationes.

32 Ingentes ac præternaturales tam ſanguinis, quam aliorum humorum effuſiones comitatæ cum viribus proſtratis, corporis tabe, ſomno laborioſo, calore lento, appetitus dejectione funeſtum pronunciant eventum.

33 In morbis pectoris, quo reſpiratio eſt liberior, eo major affulget ſalutis ſpes, et contra.

34 Vertigo cum capitis dolore et aurium tinnitu in ſenibus apoplexiæ prodromus eſt.

35 Scorbutus, malum hypochondriacum, podagricum, arthriticum, ſi diu duravit, et ſuccos corporis notabiliter deturpavit, levari quidem, aſt perfecte ſanari nequit.

36 Ubi propter nimiam ingurgitationem aquæ vel ex menſibus aut hæmorrhoidibus ſuppreſſis hydrops naſcitur, curationis ſpes facilior eſt.

37 In ſenibus ac in omnibus morbis ſopores profundi multum periculi habent.

38 Senes, qui frequenter teneantur eryſipelate, tandem ex illo moriuntur.

39 Non omnis fluor albus ſteriles reddit fœminas.

40 Singultus et ſpaſmus nimiis excretionibus ſuperveniens non ſemper lethalitatem affert.

41 Pulſus intermittens non ſemper portendit magnum periculum.

42 Pulſus intermittens vel ſumme debilis manens, intra ſex horarum ſpatium mortem affert.

43 Dolores graviores maxime in corporibus tenellis, et quæ imbecilles nervos habent convulſionem, diarrhæam, febrem, ſomnum terroris plenum, ſudorem frigidum, ſyncopen, ſpirandi difficultatem et mortem non raro excitant.

44 Omnes morbi inveterati, et qui longas egerunt radices morbique ſenum curationem vix admittunt.

45 Omnes capitis contuſiones, cranii fiſſuræ multum periculi habent, præcipue ſi cum vomitu bilioſo, delirio, ſtupore conjunctæ ſunt.

46 Tendinum ac nervorum leviores ſaltim irritationes ac punctiones ſæpe maximum periculum inducunt.

47 Paralyſis ex nervorum dislocatione & luxatione ſanari vix poteſt.

48 Tuſſis antea humida ſubito in ſiccam deſinens cum pectoris gravitate pulmonum exulcerationem minatur.

49 Excretiones tam alvi, quam ventriculi per vomitum, & urinæ atræ, peſſimæ ſunt.

50 Qui quotidie vomunt, & quidem a paſtu, facile incidunt in hecticam.

51 Vomitus ſanguinis, qui eſt a menſium ſuppreſſione vel a nimia ſanguinis ebullitione, minus periculi habet.

52 Petechiæ dyſenteria comitatæ lethales eſſe ſolent.

53 Dyſenterici, quando veluti carunculas dejiciunt, magno in periculo verſantur.

54 Omnes affectus nervorum, ab illorum obſtructione nati et diuturni, inſanabiles judicandi.

55 Singultus, delirium, vigiliæ, animi deliquium, ſudor frigidus, anxietas maxima præcordiorum, pulſus debilis, ſi morbo vel acuto vel chronico ſuperveniunt, præſentiſſimum periculum adeſſe indicant.

56 Alvi pertinax obſtructio multorum morborum mater eſt & difficilem reddit curationem.

57 Tumores ſcirrhoſi viſcerum minantur hydropem, maraſmum, febrem lentam, icterum nigrum.

58 In omni tumore corporis urina pauca craſſa ac rubra, febris lenta, difficilis reſpiratio, marcor ſuperiorum partium funeſtum exitum ſignificant.

59 Hypochondriaca & hyſterica affectio terminatur utplurimum in morbos ſpaſmoticos convulſivos vel in apoplexiam, melancholiam, phthiſin, hydropem.

64 Facilius ulcera faucium et pedum curantur, quam ani.

61 Ex inſpectione oculorum ſpirituum animalium conſtitutio & motus elucet.

62 Omnia exanthemata livida & nigra peſſima ſunt.

63 Surditas & obauditio in febribus malignis & acutis reconvaleſcentiam prænunciat, niſi mox auditus redeat.

64 Omnes febres malignæ, variolæ, morbilli tempore hyberno invadentes pejores ſunt.

65 Illi in majori verſantur periculo, quorum in familia exitiales fuerunt variolæ.

66 Si poſt eruptionem exanthematum vel variolarum ſymptomata ceſſant, bonum ſignum eſt, ſi exacerbantur gravior metus eſt.

67 Omnes confluentes variolæ et copioſæ præter gravioris inflammationis metum graviores ſunt.

68 Diarrhœa in principio variolarum accedens non ſemper mala eſt.

69 Variolæ, quo profundiores in cute latent, eo majorem excitant inflammationem, et contra.

70 Urina ſanguinea in omnibus inflammationibus peſſimum ſignum præbet.

71 Variolæ et morbilli non raro terminantur in phthiſin, ulcera cocoethica, cæcitatem &c.

72 Surditas aurium ex morbis acutis non raro provenit.

73 Inflatio ventriculi, quæ fit in reconvaleſcentibus, mali prioris recidivam ſignificat: ſi diu durat, diſponit ad hydropem ſiccum ſeu tympanitidem.

74 Mulieres quando non rite fluunt menſes, vel quando ſunt cupidæ virorum vel gravidæ patiuntur ſæpe vomitus.

75 Quoties ſudores fluunt in malignis, vel ſaliva, anxietates remittunt, et ſudore ſuppreſſo vel ſaliva iterum invadunt.

76 In omnibus morbis ſpaſmoticis alvus ſolet eſſe adſtricta.

77 Diarrhæa ſuperveniens omnibus inflammationibus periculoſa eſt.

78 Incubus vigilantibus ſuperveniens cum tremore cordis & ſyncope, peſſimus morbus eſt.

79 Dolores multum recidivare ſolent:

80 Fluor albus curatu difficilis eſt & tabem et hydropem inducere poteſt.

81 Abortum non raro cauſatur contumax alvi adſtrictio.

82 Om-

82 Omnes morbi acuti puerperarum multum habent periculi.

83 Larga mictio in acutis non ſemper eſt tuta.

84 Vermes per vomitum ejecti in malignis monſtri quid alunt.

85 Qui ſæpius ſine cauſa manifeſta tentantur ſyncope, tandem illa moriuntur.

86 Omnes perſonæ pinguiores majori periculo expoſitæ ſunt in morbis quam macilentæ.

87 Somnus morbis ſuperveniens et vires reficiens optimum ſemper præbet ſignum.

88 Puerperæ, quando lacte penitus deſtituuntur, graviori verſantur in periculo.

89 Hæmorrhoidibus cœcis male tractatis facile ſupervenire fiſtula poteſt.

90 Cholera ſæpe terminari ſolet in ardorem urinæ.

91 Omnes morbi hæreditarii difficilius ſanantur.

92 Morbus qui per conſenſum fit, facilius curatur, quam qui per eſſentiam.

93 Epilepſia ante pubertatem magis admittit curationem quam poſt illam.

94 Hernia carnoſa non facile ſanabilis: inteſtinalis, iliacum malum minatur.

95 Ubi frigent exteriora et interiora ardent, peſſimum indicium eſt.

CAP. V.

De Criſi.

1 CRiſis dicitur mutatio naturæ in melius vel deterius, ſive eſt ſubita aliqua vel ad mortem, vel ad ſanitatem mutatio.

2 Criſis bona ſive ad ſanitatem fit a laudabili motu ſanguinis & ſpirituum per minutiſſima capillaria vaſa & viſcera excretoria.

3 Criſis peſſima fit a motu ſufflaminato ſpirituum.

4 Bona criſeos indicia ſunt coctio, materiæ ſeparatio et melior ægri ſtatus; lethalis autem criſeos indicia ſunt excretio et coctio ſuppreſſa materiæ morboſæ, et pejor ægri ſtatus die critico.

5 Spiritus uti ſunt morborum medicatrices, ſic quoque ſubjectum ipſius criſeos, et quo illorum craſis ac motus minus vel magis deſtructus, eo melior vel pejor exſpectanda eſt criſis.

6 Uti influxus aſtrorum in ſpiritus operantur: ſic maxime hoc faciunt tempore conceptionis et generationis, item in ægris, ubi ſpiritus ſunt debiles.

7 Uti ad ſolem collata luna quadris ſuis potiſſimum mutationes ſubitas tempeſtatum facit; ita etiam in ægris varie operatur.

8 Quo acutior morbus, eo citior criſis.

9 Non religioſæ ſemper exſpectandæ ſunt criſes.

10 Motus criſeos duplex eſt, vel enim fit per manifeſtam aliquam excretionem v. gr: per ſudorem, alvum, hæmorrhagiam; vel per μετάστασιν & transſationem, quando humor vitioſus in partem aliquam ſolidam effunditur, ibidemque tumorem, bubonem et abſceſſum producit; quo autem illa pars ratione uſus ſui eſt ignobilior, eo tutior etiam erit hæc translatio.

11 Criſis alia eſt ſalutaris & perfecta, alia non ſalutaris et imperfecta, ſæpe etiam infida.

12 Natura uti eſt menſuræ et numeri obſervantiſſima, ſic etiam certo ac ſtato die, quem criticum appellant, ſuas inſtituit operationes et motus.

13 Solſtitia et æquinoctia in corpora noſtra magnas mutationes et alterationes habent, hinc illo tempore vel in deterius vel pejus mutari poteſt morbus.

14 Annos climactericos multis perſonis eſſe funeſtos, obſervationes practicæ abunde docent.

HYGIEINES MEDICÆ

CAP. I.

De Regulis conſervantibus ſanitatem generalibus.

1 FAcilius eſt ſanitatem conſervare quam illam reſtituere.

2 Quivis et noſſe corpus ſuum, ejuſque robur ac vires, et eſſe ſuus medicus debet.

3 Propter conſtitutionum diverſitatem ſanitatis regulæ dari nequeunt univerſales.

4 Alimenta & res non naturales, quæ uni proſunt alteri ſæpe nocent.

5 Optima regula ſanitatis eſt; *quæ juvant & proſunt ſunt ſervanda, & quæ nocent ſunt fugienda.*

6 Omne nimium, quamvis ſit optimum, naturæ inimicum.

7 Conſuetudo altera eſt natura, hinc longo tempore conſueta non ſimul & ſemel ſunt omittenda.

8 Omnis mutatio ſubita periculoſa eſt.

9 Quæ deteriora vulgo judicantur, modice ſumpta, non ſolent nocere.

10 Medice vivere, id eſt, ſecundum rigoroſas & ſcholaſticas medicorum regulas vivere, eſt peſſime ac miſere vivere.

11 Abſtinentia a cibis & inedia præſervatio a multis magnis morbis, atque etiam illorum curatio eſt.

12 Uti ſummum jus eſt ſumma injuria: ſic exquiſita vivendi regula ſumma eſt miſeria.

13 Sanus homo & qui benevalet, nullis ſe obligare legibus debet, & varium habere vitæ genus & omnibus ſeſe aſſueſcere debet.

14 Qui a teneris aſſueti ſunt ferendo frigori & labori, minus in morbos prolabuntur, et facilius quoque ex morbis convaleſcunt.

15 Populi ſeptentrionales, qui a primis annis frigoris et caloris repentinas mutationes ſuſtinere coacti ſunt, vita longiori et ſanitate diuturniori gaudent.

16 Irritare nonnunquam ventriculum vomitu, ſudare vel paulo largius vinum optimæ notæ bibere, ad ſanitatem multum conducit.

17 Qui integra gaudent valetudine, ægre ferunt purgantia V. S. et omnia draſtica.

18 Qui bene ingerit, bene digerit et bene egerit, ſanus eſt.

19 Sanis omnia ſunt ſana.

CAP. II.

De ſex rerum n. n. vario uſu & abuſu.

1 QUalis eſt aer, tales ſunt ſpiritus. Et in aere maximum momentum ſanitatis noſtræ conſiſtit.

2 Aer mutatus magnorum ſæpe morborum remedium eſt.

3 Pro conſtitutione ſoli aer variat, variaſque in corpore efficit alterationes.

4 Aer temperatus nec nimis frigidus, nec nimis calidus, nec exceſſive humidus et ſiccus optimus eſt ſanitatis conſervator.

5 Sicca aeris conſtitutio emolumentum humidis, ſiccis autem damnum infert.

7 Quando borealis et ſiccus eſt autumnus, corpora multo ſero abundantia minus habent periculi, catarrhoſi autem et arthritici effectus tunc temporis mitius invadunt.

7 Sicuti hyems frigida et ſicca ſanguinem et vires corporis concentrat et colligit: ſic e contra humida ſpiritus et vires diſſipat, corpus debilitat et humores ad putredinem aptos reddit.

8 Humida hyems gravidis infauſta eſſe ſolet.

9 Aer ſiccus ſemper ſalubris magis eſt humido, quia perſpiratio magis promovetur et aer ſiccus ac ſubtilior ad motum vitalem magis aptus eſt.

10 Calidiſſimus aer in æſtate morbos, a frigida cauſa ortos, ſæpiſſime ſolvit.

11 Hyemi frigidiſſimæ, ſi ver ſuccedit humidum ac tepidum a frigore concentrati et collecti humores in præternaturales et morboſas fermentationes adiguntur.

12 Quorum ſanguinis motus eſt vehementior et calidior, illi bene ſeſe habent in hyeme, qui autem motum ſanguinis tardiorem habent, illis melius eſt in æſtate.

13 Salubrem aerem non facit ſolum cœlum ſerenum, ſed loci ſitus et ſoli natura, et hic attendendum eſt ad vicinos montes, ventos perflantes, flumina.

14 Aeris ſalubritas maximam partem dependet a ventis, adeo ut mutatis ventis ſubitus ſæpe ſequatur in ægrotantibus effectus.

15 Aqui-

15 Aquilo multum Auſtero eſt præferendus.

16 In conſervanda ſanitate ante omnia obſervandum eſt, ut temperies ſanguinis et lymphæ conſervetur, hinc omnia exceſſiva tam alimenta, quam medicamenta fugienda, temperata autem æſtimanda ſunt.

17 Cum temperies ſanguinis et lymphæ maximam partem deducenda ſit ex primis viis, hinc digeſtio ventriculi probe ſemper curanda eſt.

18 Quæcunque temperiem menſtrui ſalivalis conſervant et materiam boni chyli præbent, illa optima ſunt alimenta.

19 Quoniam chylus eſt proximum elementum ſanguinis et ſeri nutritii, et hic nil niſi emulſio naturalis eſt, conſtans ex particulis blandis ſulphureis oleoſis et aqueis dulcibus; hinc alimenta, quæ hæc duo chyli elementa nimirum ſulphur blandum ramoſum et ſerum dulce roſcidum continent, optima ſunt.

20 Omnia indurata, ſalita, acida, nimis pinguia, leguminoſa, ſpirituoſa chylum minus laudabilem producunt.

21 Quoniam ſanguis ex particulis innumeris et ratione figuræ ac molis diverſis conſtat, hinc varietas ciborum non adeo nociva, ſed magis eſt laudanda.

22 Largior ciborum ingeſtio plus negotii faceſſit, quam copioſior potus.

23 Lac inter alimenta eſt præſtantiſſimum, eſt requirit corpus purum, viſcera ſana et primas vias liberas.

24 Alimenta, quæ ſale volatili oleoſo pollent, admodum ſunt ſalubria.

25 Cibi qui facile in putrilaginem abeunt, uti ſunt mel, fructus horarii, ſaccharata, et facile fermenteſcibilia magna incommoda corpori inducere ſolent.

26 Saccharata ſcorbuticis et hypochondriacis inſtar veneni ſunt, quoniam humores corroſiviores reddunt.

27 Acidum et frigus hypochondriacis et omnibus, qui nervos habent imbecilles, admodum infenſum eſt.

28 Acida, dulcia, ſpirituoſa infantibus venena ſunt.

29 Lac nutricis nimis craſſum, butyroſum, ad coagulationem aptum infantibus peſſimum eſt.

30 Senes fugiant omnia acida, flatulenta, viſcida, frigida, ſed gaudeant cibis optimi ſucci.

31 Vinum generoſum parca manu datum, ſenum lac eſt.

32 Alimentorum magna vis eſt, utpote, quæ humorum et ſpirituum materiam præbent, et qualia ſunt alimenta, tales etiam ſunt humores, mores, ſpiritus et inclinationes.

33 Carnes aſſatæ meliores ſemper ſunt coctis.

34 Iuſcula ex bonæ notæ carnibus confecta plus nutriunt et ſtomacho minus negotii faciunt quam ipſæ carnes.

35 Bis de die edere quam ſemel præſtat.

36 Victus eſt vel plenus vel tenuis, plenus conſtat ex carnibus durioribus, infumatis, pane, vino generoſo, cereviſia craſſiori ac ſpirituoſiori:

37 Tenuis victus conſtat ex carnibus mollioribus, juſculis, vino rhenano et cereviſia tenui.

38 A victu pleno abſtinere debent omnes, qui debilioris ſunt ventriculi, ex morbis convaleſcentes, phthiſici, hectici.

39 Nec nimis tenuis, nec nimis craſſus victus ſit, ſed mediocris.

40 Corpora impuriora quo magis nutriveris, eo magis læſeris.

41 Duriores et concoctu difficiliores cibos præſtat prius aſſumere, deinde cæteros.

42 Prandium ſemper cœna ſit liberalius.

43 Tempore matutino aſſumpta valde alterant ventriculi fermentum, hinc ſtomachica hoc tempore aſſumpta multum faciunt.

44 In cœna liquidiora et facile reſolubilia commodius aſſumuntur, quoniam nutritio noctu melior, reſolutio autem ciborum difficilior eſt.

45 Medicamenta balſamica temperata inter cibos aſſumpta uſu continuato maximam vim poſſident in morbis chronicis alioquin rebellibus.

46 Aqua illa optima cenſetur, quæ cryſtallina, inſipida et levis eſt, nec facile in glaciem vertitur.

47 Ab aquæ ſalubritate et aeris maxima pars ſanitatis noſtræ dependet.

48 Aqua

48 Aqua uti verum eſt menſtruum macrocoſmicum ſic quoque microcoſmicum, & quo aqua eſt purior, ſalibus privata, eo melior generatur lympha in corpore noſtro.

49 Aqua potus eſt naturaliſſimus & illis, qui ipſi aſſueſcunt, admodum ſalutaris eſt.

50 Vinum temperatum eſt optimum, nec nimis acidum, nec tartareum, nec dulce, nec ſpirituoſum.

51 Vinum generoſum ac bonæ notæ parce ſumptum inter ſtomachica, cordialia & confortantia primum obtinet locum.

52 Vinum Franciçum, Hiſpanicum, Gallicum perſonis pituitoſis, ſanguinem viſcidiorem habentibus, magis ſunt convenientia; Moſellanum autem & Nekarinum illis ſalubre, qui ſanguinem habent ſubtiliorem.

53 Aquæ vitæ nimis ſpirituoſæ tempore matutino & ventriculo vacuo exiſtente ſumptæ damnum inferunt, temperatæ autem & ipſos inter cibos hauſtæ, fermentationem & ſpirituaſcentiam ſanguinis & chyli blande juvant.

54 Cereviſiæ illæ laudem merentur, quæ temperatæ ſunt, non facile aceſcunt, non caput replent & per primas vias facile tranſeunt.

55 Omnis potus matutinus & in ſera nocte factus ſanitati multum officit.

56 Potus calidi, ut infuſum herbæ Thee, Veronicæ calore, tenuitate ac fluiditate ſua humores viſcidos reſolvunt, ſanguinem fluidum ſervant, & ejus circularem motum promovent, acrimoniam ſalinam abſtergunt, illamque per ſudorem & urinam educunt.

57 Poſt potum calidum in copia aſſumptum ſtatim ventriculum cibis replere, & frigori ſe exponere, peſſimum eſt.

58 Infuſum Thee magis eſt temperans, Coffee magis deſtructivum acidi, ſuccoladæ nutriens & nervinum.

59 Potus calidi nimia in quantitate & uſu intempeſtivo hauſti tonum ventriculi laxant & corpus infirmant.

60 Motus & vigiliæ uti excitant ſpiritus, ſic ſomnus & quies illos magis ligat.

61 Æquilibrium uti in omnibus ſex rebus n. n. ſic quoque in ſomno, motu & quiete ſervandum eſt.

62 Somnus meridianus non omnibus nocet maxime aſſuetis, ſed tempore æſtivo magis prodeſt.

63 Sicuti ſtagnantes aquæ putreſcunt ſic etiam ſanguis immotus manens.

64 Ignavia enervat vires, excrementorum congerie quotidie in majus creſcente calor conſopitus languet.

65 Vigiliæ nimis exſiccant, ſpiritus conſumunt & vires enervant.

66 Motus fortior ante aſſumptos cibos melior quam poſt illos.

67 Somnus optimum eſt virium refectorium.

68 Mens tranquilla ad vitam longam optima eſt medicina.

69 Tranſpiratio, alvus libera & excretio urinæ ſemper procuranda eſt.

70 Gaudium moderatum eſt effectus ad vitæ prolongationem quam utiliſſimus.

71 Amare ſanitati magis prodeſt quam nocet.

72 Nihil magis vitam abbreviat, quam continuus mœror ac triſtitia.

73 Affectus animi æquilibrium ſpirituum animalium tollere ſolent, ſic ira, nimium gaudium, amor inſanus motum nimis augent, eundem autem imminuunt terror, mœror, triſtitia. &c.

CAP. III.

De regulis ſpecialibus in diæta obſervandis.

1 COrpora ſicca humidant labor minor quam ex conſuetudine, frequens balneum, cibus plenior, multa potio & poſt hanc ambulatio, vigilia, & omnia genera ciborum, qui gelatinoſam ac mucilaginoſam ſubſtantiam continent.

2 Corpora nimis humida ſiccant immodica exercitatio, fames, ſpiritus vini, balneum ſiccum, ſal immodicus & cibus exercitationi ſtatim ſubjectus, & is ipſe ex volatilibus ſalinis calidis particulis conſtans.

3 Inediam facillime ſuſtinent mediæ ætates, minus juvenes, minime pueri & ſenectute confecti.

4 Qui increſcit, maxime eget cibo.

5 Calida lavatio & pueris & ſenibus apta eſt.

6 Vinum dilutius juvenibus, ſenibus meracius confert.

7 Juvenum minus, quæ aſſumant, intereſt.

8 Hyeme plus edere convenit, aſt minus bibere & victu uti pleniori: æſtate convenit plus bibere, quam edere & victu gaudere debili.

9 Potus tenuis magis æſtate, ſpirituoſior magis hyeme convenit.

10 Verno tempore paulum cibo eſt demendum & adjiciendum potui, & eo anni tempore venus eſt tutiſſima.

11 Medicamentis calorem moventibus æſtate non commode utendum, ſed magis autumno & hyeme.

12 Per autumnum propter cœli varietatem periculum eſt maximum. Itaque bene ſe veſtire tunc prodeſt, & bene operiri præcipue diebus frigidioribus, & cibo jam paulo pleniori uti licet, minus aſt meracius bibere.

13 Æſtate in totum, ſi fieri poteſt, abſtinendum eſt a venere.

14 Venus nec nimis concupiſcenda, nec nimis pertimeſcenda eſt, rara corpus excitat, frequens ſolvit.

15 Venus illa non inutilis, quam corporis nec languor, nec dolor ſequitur.

16 Concubitus interdiu pejor eſt, tutior noctu.

17 Quando ventriculi concoctio facta eſt, tunc mane ſurgendum, quando autem nondum ſoluta & mane ſurgendi neceſſitas fuerit, redormiendum.

18 Habitare in ædificio lucido perflatum æſtivum, hybernum ſolem habente: cavere ſolem meridianum, maturinum & veſpertinum frigus: auræ ſtagnorum ac fluminum, minimeque nubilo ſe committere cœlo, & dormire in loco non humido ſed temperato perflabili, optimæ ſanitatis regulæ ſunt.

19 Integrum & ſanum corpus eſt, quando urina ex albo flava, deinde rufa eſt; illud concoquere, hoc concoxiſſe ſignificat.

20 Exercitatio ſeu motus ad ſudorem uſque & laſſitudinem quandam cum cibi abſtinentia interdum inſtituenda eſt, ad corpus ſanum ſervandum.

21 Nimia ſatietas nunquam utilis, ſæpe quoque inutilis nimia abſtinentia.

22 Quibus caput infirmum eſt, illi abſtineant ab omnibus vaporoſis, cepis, atque etiam ſuavibus odoribus.

23 Hypochondriaci, ſcorbutici, hyſtericæ aerem humidum & craſſum vitent, qui tranſpirationem prohibet; quo enim tranſpiratio in illis eſt liberior, eo ſtatus melior.

24 In omnibus inflammationibus, morbis ſalinis & aliis exanthematibus variis, variolis nimirum vitandus eſt aer nimis calidus & etiam nimis frigidus, ſed temperatus hic maxime confert.

25 Omnis animi fatigatio poſt cibum inutilis eſt & præcipue illis, qui capitis dolores habere conſueverunt.

26 Gravedines & deſtillationes conſuetæ abigi poſſunt aere, loco, aquiſque mutatis.

27 Solis nimius ardor ſemper vitandus eſt.

28 Semper poſt cibum conquieſcere, ac neque intendere animum, neque ambulatione quamvis leni dimovere, expedit.

28 Qui coli doloribus aſſueti ſunt, admittant concoctu facilia, utantur cibis & potionibus calidis, balneo; denique omni modo evitent frigus, item dulcia omnia, legumina & quicquid inflare conſueſcit.

30 Qui ſtomacho frigido laborant, iis exercitium, vinum vel potus calidus optimus eſt, & cibus concoctu facilis.

31 Quibus nervi dolere & infirmi eſſe ſolent, vitent venerem, crudos cibos, partem, quæ affecta eſt, objiciant labori & frigori, niſi cum dolor increvit, ſub quo quies eſt optima.

32 Bona ventriculi coctio omnibus vitiis & morbis occurrit.

33 Aer athmoſphæricus omnibus ulceribus & vulneribus eſt inimicus.

34 Frigus inimicum eſt ſenibus, tenuibus, vulneribus, præcordiis, inteſtinis, veſicæ, auribus, coxis, ſcapulis, naturalibus, oſſibus, dentibus, cerebro, nervis.

35 In

35 In morbis a cauſa calida ſalinis omnia aromata, calida, acria omni modo ac ſtudio ſunt evitanda.

36 Fere omnis ventus a mediterraneis regionibus veniens ſalubris eſt, a mari vero gravis eſt; morbi etiam pejores bono tempeſtatum habitu & leviores ſunt & promtius finiuntur.

37 Peſſimum ægro eſt cœlum, quod ægrum fecit.

38 Alimentorum proprietates noſſe exacte Medicus debet.

39 Omnia legumina, quæ ex frumentis panificia ſunt, valentiſſimum alimentum præbent, item omnia grandia animalia marina, ex avibus, feris quadrupedibus, domi natis, quo ſpectant mel, lac, caſeus, ſalita.

40 Ad medium victum pertinent olera, bulbi, piſces, qui ſalem non patiuntur ex quadrupedibus, lepus, aves pene omnes.

41 Imbecilliſſimum alimentum præbent omne olus, & quicquid in caule naſcitur, qualis eſt cucurbita, cucumeres, omnia poma, cochlea, conchyliæ.

42 Plus alimenti eſt in pane quam in ullo alio.

43 Caro ſvilla facillime apponitur & cedit in alimentum, ſed tranſpiratione eget, ne excrementum fiat ſimul alimentum.

44 Ex potionibus, quæ ex frumento factæ ſunt, item lac mulſum, vinum dulce aut vehemens, aut magnæ vetuſtatis vehementiſſimi generis ſunt, aſt aqua omnium imbecilliſſima.

45 Aqua leviſſima pluviatilis eſt, deinde fontana, tum ex flumine, poſtea ex puteo: poſt hæc ex nive aut glacie: gravior illa ex lacu: graviſſima ex palude.

46 Quo levior & melior eſt aqua, quod pondere apparet, eo celerius & calefit & frigeſcit, & citius ex ea legumina percoquuntur.

47 Alimentum quo eſt valentius, eo minus facile concoquitur, ſed ſi concoctum eſt, plus alit & contra.

48 Hominibus, qui ſunt imbecillis naturæ, qui morbo adhuc laborant, vel ex morbo evaſerunt alimentis infirmis parum alimenti habentibus opus eſt: Mediocriter firmi mediam materiam optime ſuſtinent: Robuſtis, robuſtiora & magis ſubſtantifica apta ſunt.

49 Juſcula ſic dicta confortantia, ſubſtantifica, pinguia febricitantibus, & aliis ægrotantibus valde obeſſe ſolent.

50 Gravidæ exactiſſime ſex rerum n. n. obſervent uſum, & vitent omnes motus animi & corporis fortiores, & quæcunque turbas in ſanguine & liquore animali excitare, uterumque irritare poſſunt.

51 Acida, ſpirituoſa, alvum obſtruentia, chylificationi reſiſtentia, gravidis & puerperis inimica ſunt.

52 Puerperæ primis a partu diebus victu utantur tenuiſſimo, & fugiant omnia frigida, acida, fermenteſcibilia, motus graviores tam animi quam corporis: tranſpiratio in iis ſit libera, & diæta prorſus ſit excarnis.

53 Nutrices omni ſedulitate caveant ab acidis, ſpirituoſis, acribus & animi pathematibus: hæc enim luctuoſam plerumque exhibere conſueſcunt κατάςροφεν in ipſis infantibus, quotidiana experientia id atteſtante.

54 Infans in lucem editus oleo amygdalarum dulci, & ſyrupo rhabarbari primum purgandus, & ſemper id agendum eſt, ut alvus correſpondeat, & lactis coagulatio inhibeatur, quo faciunt terrea, abſorbentia, carminativa, ſale volatili oleoſo imbuta.

55 Plurimi infantes ex copia lactis morbos lethales ſibi contrahunt.

56 Lenia emetica infantiles morbos plures avertunt.

57 Medicamenta magis nutricibus propinanda, quam ipſis infantibus, & hæ exacte vitæ regimen teneant.

58 Infantes ſæpius ſumant alimentum ſed paucum & videndum ſemper, ut tranſpiratio ſit libera.

59 Pueris ſubtrahenda ſunt ſpirituoſa, mellita, lacticinia, ſaccharata, omniaque muſcarum ſordibus & ovis conſpurcata, quippe quæ lumbricos fovent & gignunt.

60 Adoleſcentibus & juvenibus conveniunt lenes corporis motus, ſaltatio, exercitia moderate adhibita: nocent ipſis & illorum ingeniis ceu peſtis ebrietas, venus

nus & creber purgantium uſus.

61 Virili in ætate qui ſunt, in ſex rerum n. n. uſu mediocritatis terminos obſervent, & interdum utantur infuſis purgantibus, potu calido Thee, Coffee, balneis & ſudoriferis.

62 Senili ætati ſacra ſunt omnia confortantia, humidum radicale conſervantia, ſuccolada, juſcula alimentoſa, ſtomachica, ſalia volatilia oleoſa, ambrata; Nocent ipſis purgantia aloetica, ebrietas, venus & cibi concoctu minus faciles.

63 Fumus Nicotianæ magis ad medicinam, quam ad delectationem eſt admittendus.

64 Perſonis pituitoſis cœlo nubiloſo in regionibus ſeptentrionalibus aere exiſtente gravi, & humido, ejus uſus non prorſus diſſuadendus eſt; nocet autem ſiccis, ſenibus, juvenibus & qui nervos habent imbecilles.

THERAPEUTICES.

CAP. I.

De Methodo medendi regulis generalibus.

1 METhodus medendi eſt vel generalis, vel ſpecialis. Generalis addiſci poteſt certis regulis; ſingularis ſeu ſpecialis autem non, & eſt nihil aliud quam judicium Medici.

2 Ratio & conſilium, uti propriæ Imperatori ſeu Duci ſunt artes, ita & Medico.

3 Uti JCtus ſine lege erubeſcere debet: ſic & Medicus ſine experientia.

4 Duo fulcra methodi medendi ſunt; *Ratio* nempe & *Experientia*; Unum ſine altero claudicat & vacillat.

5 Fallacia cauſæ ut cauſæ in nulla diſciplina magis, quam in medicina committitur.

6 Ad experientiam medicam requiritur, (α) accurata omnium circumſtantiarum exploratio, (β) medicamenti applicatio, cujus præparatio mihi nota ſit, (γ) Eventus eſt annotandus poſt medicamenti applicationem, non ſemel, ſed pluribus vicibus.

7 Medicus intendere debet, ut cito, tuto, jucunde & compendioſe curet.

8 Medica praxis melius docetur per caſus & exempla, quam per capita morborum & medicamentorum.

9 Curationum animæ ſunt temporum opportunitates.

10 Omnia ſecundum rationem facienti ſi non ſuccedat ſecundum rationem, non tranſeundum citra rationem.

11 Videndum, ne tantum ex una parte noceamus, quantum proſumus ex altera.

12 Quo natura vergit, eo ducenda, contra eam nunquam aliquid agendum.

13 Deliberandum diu, quod ſtatuendum ſemel eſt.

14 Quod non curavit ratio, ſæpe curavit temeritas.

15 Nec nimis temere, nec nimis timide.

16 Non omnis periculoſa curatio exitialis eſt.

17 Nihil æque ſanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio.

18 Multa experiundo fiunt, quæ ſegnibus ardua eſſe videntur.

19 Quæ ducere oportet quo maxime natura vergit, eo ſunt ducenda.

20 Ab omni arte aliena quidem res eſt dilatio maxime in medicina, in qua dilatio vitæ periculum parit, quare auxiliari non differas.

21 Temporibus medicina data juvat, ſero medicina paratur.

22 Notandum nullum eſſe remedii genus, quod eandem habet vim in ſingulis, unde niſi in omnibus remediis rite vis obſervetur & ſubjectum patiens cum objecto agente conferatur, non obtinebis ſemper optatum finem.

23 Eſt prudentiæ granum, ad medicinas fortes non devenire, ſi debiles ſuffecerint.

24 Virium conſtantia ad omnem evacuationem requiritur.

25 Medicorum diſcordia ſanitati ægrorum officit.

26 Tutius eſt uni fideli & bono medico ſe committere, quam plurimis.

27 Medicamentorum tam Chymicorum,

rum, quam Galenicorum maxima ſemper eſt neceſſitas.

28 Medicamenta temperata naturæ ſunt grata & amica, nec facile nocent; quæ autem exceſſivis qualitatibus ſunt prædita majori cautione egent in applicatione.

29 In medendo gradus teneri oportet, ſenſim ab imbecillioribus ad potentiora aſcendendo.

30 Notabile eſt, qua methodo currente anno certo morbo laborantes plures liberaveris, eadem ipſo anno vertente forſan e medio tolles.

31 Simpliciora medicamina ſæpiuſcule compoſitis præferenda ſunt.

32 Medicus in omni morbo reſpicere præcipue debet, (α) ad naturam & conſtitutionem ægri, (ϐ) ad temperiem & motum ſpirituum animalium & ſanguinis, denique primarum viarum conſtitutionem bene noſſe debet.

33 Quoniam Medicus naturæ eſt miniſter, & natura optima morborum medicatrix; hinc ſemper ad operationem & ſcopum naturæ attendere, illumque magis promovere quam turbare debet.

34 Omnis curationis cardo vertitur in inventione medicamenti, ejuſque applicatione; In utroque noſſe Medicus debet exacte (1) morbi cauſam, conditiones & ſtatum, (2) medicamentorum proprietates & agendi modum, (3) naturam indicantium, permittentium, contraindicantium, & omnium circumſtantiarum rationem compertam ac cognitam habere debet.

35 Paucis utatur Medicus remediis, illis tamen ſelectis & optimis, & magis ſimplicibus quam compoſitis, ac propria experientia per diſpenſationem ipſi notis.

36 In medicamentorum delectu ſemper videndum, non quid poſſit præſcribi, ſed quid debeat.

37 Crebra medicamentorum mutatio ignorantiam medici arguit, & ægro perniciem inducit.

38 Non continuo medicamentorum uſu fatigandi ſunt ægri, utpote quæ ſemper alterant, & tonum ventriculi & digeſtionem deſtruunt.

39 Plures ad ſanitatem redire non potuerunt propter copiam medicamentorum.

40 Quotieſcunque effectum ſingularem tam æger quam Medicus a medicamentis percipit, toties illis medicamentis inſiſtendum eſt, nec facile illorum mutatio ſuadenda.

41 Applicatio medicamentorum verum eſt arcanum Medici.

42 Qui panacæas & medicinas univerſales crepant, plerumque indocti vel deceptores ſunt.

43 Medicamenta dantur polychreſta, quæ plurium morborum indicationi ſatisfaciunt, non autem univerſalia, quæ omnes curant morbos.

44 Medicamina ſapientibus priſcis θεῖα χρήματα appellata fuere, ut hominibus inculcarent, ea ſumma cum reverentia & cautiſſime eſſe adhibenda.

45 Medicamenta præſtantiſſima, in manu imperiti ſunt uti glaudius in dextra furioſi;

46 Remedium quod uni ſæpe ſubjecto imo multis mirifice profuit, alteri non rite & circumſpecte exhibitum, maxime obfuit.

47 Præcipuum in medendo eſt judicium medici, quod potiſſimum verſatur in applicatione medicamentorum & hæc eſt vera medendi methodus, quæ ex libris non addiſcitur, ſed per experientiam & prudentiam acquiritur.

48 Fortuna in medico eſt perſpicua cognitio cauſarum morbificarum & remediorum, illaque applicandi judicium: atque ita ſuarum rerum peritus medicus ſibi ipſi fortunam fabricare poteſt.

49 Non negandum, cœleſtem quandam vim nonnunquam intercedere in curationibus, ut quicquid etiam, quanquam ex arte, moliatur medicus, felici tamen careat ſucceſſu.

CAPUT II.

De medicamentorum elementis illorumque modo agendi & operandi.

1 MEdicus vim, efficaciam ac vires medicamentorum, illorumque mo-

modum operandi perſpicue cognoſcere & ſollicite inquirere debet.

2 Quoniam medicamina non ratione activitatis ſuæ, ſed receptivitatis operationes in corpore noſtro exerunt; hinc medicus non ſemper de medicamentorum effectu certus eſſe poteſt.

3 Activum quoddam principium ipſis remediis ineſt, aſt illud ratione effectus impediri, ſuſpendi, immutari pro diverſitate ſubjectorum, obſervationes paſſim loquuntur.

4 Uti totius naturæ, ſic quoque medicamentorum, elementa & principia mechanica ſunt, & uti omnes naturæ operationes mechaniſmo abſolvuntur: ſic quoque medicamentorum operationes optime ex mechanicis rationibus explicantur.

5 Medicamentorum naturam & proprietates qui noſſe vult, materiæ affectiones & motuum leges ex mechanicis cognoſcere & bonus phyſicus eſſe debet, ſecundo, chymico igne illorum elementa varie eruere, illaque transmutare debet, tertio, variis mixtionibus, experimentis naturam illorum ac indolem explorare, & per accuratam experientiam illorum vires perſpectas habere debet.

6 Operatio medicamentorum mere eſt mechanica & ex magnitudine figura & motuum legibus optime explicari poteſt.

7 Sicuti motus diverſitas, quod major vel minor, tardior & celerior ſit, non dependet a corpori infita potentia movendi, ſed potiſſimum a reſiſtentia alterius corporis majoris vel minoris; eodem modo motus ille, quem medicamenta partibus corporis fluidis communicare debent, non dependent ex efficacia medicamentis inſita, ſed pro varietate humorum varie ille determinatur.

8 Familiare in praxi eſt, remedia vim ſuam ſæpius amittere ac retinere novamque acquirere pro morbi natura & motu, variaque eorum, quibus exhibentur, conditione.

9 Sæpius medicamentum, quod uni ſubjecto prodeſt, alteri infenſum eſt, & contrarios producit effectus.

10 Falluntur, qui, certam ac infallibilem vim contra morbum medicamento ineſſe, firmiter ſibi perſuadent.

11 Applicare prudenter medicamenta pro varia ægrorum conſtitutione & morbi conditione, boni medici eſt.

12 Medicamentorum operandi ratio ex primis qualitatibus, quatuor elementis inædificatis non bene derivatur.

13 Fons operandi ac indoles medicamentorum optime detegitur ex diverſa textura particularum ratione figuræ, magnitudinis & motus variarum.

14 Textura harum particularum optime cognoſcitur partim microſcopiis, chymico igne, partim variorum liquorum connubio & inde phænomenorum reſultantium attenta conſideratione.

15 Securiſſimus modus eſt a poſteriori & ab ipſa experientia & obſervationibus deſumere medicamentorum vires.

16 Optime medicamenti effectus exploratur, ſi ſeorſim, nec aliis mixtum in uſum trahatur, & quidem per certum ac longum tempus & idem medicamentum ſimili in caſu iiſdem correſpondentibus circumſtantiis non ſemel, ſed crebrius in uſum ducatur.

17 Medicamentorum vires ſæpius qualitatibus ſenſibus manifeſtis, nimirum acido, ſale volatili deducuntur, ſæpe occultis ſic dictis, id eſt, ex certa modificatione particularum reſultantibus, ſeu ſecundum *Galenum* tota ſubſtantia agunt.

18 Ignis non eſt genuinus corporum analyſta, ſic, quæ ope Vulcani ex medicamentis eliciuntur, non pro veris medicamentorum principiis actu inexiſtentibus habenda ſunt.

19 Uti cujusvis concreti forma, virtus & qualitas mechanice ex certa particularum magnitudine, figura & ſitu emanat; qua textura mutata, extemplo alia oritur virtus & efficacia: ſic quoque eodem modo virtus medicamentorum ex particularum conſtructione proficiſcitur, qua mutata perit virtus medicamenti.

20 Valde illi decipiuntur, qui ſimplicium vires textura per ignem deſtructa, in qua reſidet vis medicamenti, quærunt illorum activitatem in ſpiritibus, oleis, ſalibus volatilibus.

21 Simplicia ſæpe plus præſtant ſuis

præ-

præparatis Eſſentiis, Elixiriis, ſalibus ex illis paratis.

22 Efficacia medicamentorum per principium ſenſibus obvium non ſemper demonſtrari poteſt.

23 Præſtat ex manifeſtioribus & in ſenſus magis incurrentibus principiis, ſi haberi poſſunt, v.gr. ex fermentatione, acido, alcali, ſulphure effectus particulares medicamentorum deducere, quam ex atomiſticis primis, quæ magis theoretica quam practica ſunt.

24 Quemadmodum omnis morbus in partibus corporis fluidis, quæ vel quantitate, vel qualitate, vel motu delinquunt, radicatur; ſic quoque medicamenta illarum partium, vel quantitatem, vel qualitatem, vel motum reſpicere debent.

25 Quantitas aucta exigit depletionem ſeu evacuationem, imminuta repletionem.

26 Evacuant humores: ſeu evacuantia ſunt V. S. vomitoria, purgantia, ſudorifera, diuretica, ſalivantia, ſternutatoria.

27 Reſtituunt humores imminutos ſanguinis transfuſio, victus laudabilis & uſus ciborum nutrientium, plethoram inferentium, quies.

28 Qualitatem ſive temperiem humorum reſpicientia dicuntur alterantia ſeu temperantia, quatenus intemperies humorum corrigunt, exceſſivas temperant & temperiem fluoribus reſtituunt.

29 Sicuti autem humores corporis noſtri ex particulis variis ratione figuræ & magnitudinis, nimirum ſubtilibus, fixioribus, ſulphureis, acidis, alcalinis, volatilibus, terreis, mucilaginoſis, aqueis conſtant: ſic medicamenta horum principiorum exceſſivam qualitatem & prædominium imminuere, corrigere & alterare debent & hinc alterantia varia exſurgunt.

30 Alterantia ſunt, (1) ſalina volatilia, alcalica, (2) ſalina alcalica fixa, (3) ſpirituoſa ſeu ſulphurea volatilia & ſale volatili oleoſo dotata, (4) ſulphurea fixa ſeu reſinoſa dicta balſamica, (5) acida volatilia, (6) acida fixa, (7) emollientia mucilaginoſa particulis ramoſis oleoſis imbuta, (8) aquea diluentia, (9) ſalina mediæ naturæ, (10) corroſivo ſale acri prædita, (11) terrea fixa, (12) vaporoſa. Ad has claſſes omnia medicamenta alterantia manifeſto principio agentia deduci poſſunt.

31 Reliqua alterantia, quæ occulto quodam principio agunt ex mechanica quadam particularum conſtructione, dicuntur *Specifica*.

32 *Specifica* medicamenta ſunt duplicia, vel quæ certæ parti corporis conveniunt & amica ſunt, vel quæ certæ morbificæ cauſæ oppoſita ſunt, ſicque certum morbum curant.

33 Quod medicamentum uni corporis parti magis conveniat quam alteri, id dependet a diverſa partium ſolidarum configuratione, quoad ipſos poros, texturam ac ſtamina, e quibus contextæ ſunt, & a varia particularum medicamenti conſtructione partium ſolidarum poris correſpondente.

34 Et uti dantur medicamenta certæ parti amica, ſic quoque dantur, quæ certæ parti ſunt inimica.

53 Dantur medicamenta acida, volatilia, vaporoſa, *Anodyna* dicta, quæ, licet manifeſtis qualitatibus gaudeant, propter ſtructuram tamen, qua inter ſe differunt, ſpecificum in morbis habent effectum.

36 *Specifica*, quæ certæ parti affectæ ſaltim opitulentur, in reliquis autem nihil valeant, dari, abſurdum eſt.

37 Medicamenta motum humorum moderantia ſunt vel motum celerem efficientia vel nimis celerem ac inordinatum ſiſtentia ac componentia.

38 Motum humorum celerem naturalem reſtituunt omnia ſic dicta cordialia, confortantia, ſpirituoſa, elaſticas, æthereas ſubtiles & amicas particulas ſpiritibus animalibus & ſanguini ſuppeditantia, deinde omnia deobſtruentia, quo ſpectant præter antea dicta evacuantia & alterantia, præcipue gummata & reſinoſa, martialia, antimonialia & mercurialia, quæ omnium potentiſſima ſunt.

39 Motum impetuoſum & celerem ſiſtentia ſunt præter acida nitroſa, alterantia, ipſa anodyna, quæ blanda ſulphurea κινδυμικὰ quodammodo celerem

rem iſtum motum ſiſtunt, & ipſa adſtringentia.

40 Quodvis medicamentum evacuans, alterans & motum in æquilibrio ſervans pro diverſitate cauſæ morbificæ & intemperiei corrigendæ poteſt eſſe *cephalicum*, *ſtomachicum*, *uterinum*, *pectorale*, *bezoardicum*, *hepaticum*.

41 *Cephalica* dicuntur illa, (α) quæ poros obſtructos cerebri & nervorum referant, (β) quæ materiam ſpiritibus animalibus ſuppeditant, qualia ſunt omnia ſale volatili oleoſo blando & reſinoſo prin. cipio fœta, ut ſunt ros marinus, lavendula, majorana, origanum &c. (γ) cephalica dicuntur illa, quæ ſpirituum animalium motum nimis celerem quadantenus compeſcunt, qualia ſunt, quæ paregoricis, ſulphureis, blandis, vaporoſis conſtant v. gr. flores tiliæ, liliorum convallium, primulæ veris, pæoniæ, ſambuci, moſchus, zibetum, Ambra, nuciſta, camphora &c.

42 Omnia cephalica ſunt ſimul *nervina*, *uterina*, *antiſpaſmetica* & contra.

43 *Pectoralia* dicuntur illa; quæ materiam acrem ſubſtantiæ pulmonum infenſam demulcent ac leniunt, veſiculas membranaceas pulmonales conſolidant & humores viſcidos incidunt, ut ſunt omnia emollientia, mucilaginoſa, humectantia, vulneraria.

44 *Stomachica* medicamenta reſpiciunt vel fermentum ventriculi vel calorem vel robur.

45 Acida volatilia, & ſalina incidentia fermentum ventriculi, aromatica & ſpirituoſa calorem, leniter adſtringentia tonum ventriculi reſtituunt.

46 Alexipharmaca ac bezoardica dicuntur illa, quæ mixturam ſanguinis turbatam & deſtructam reſtituunt, & vinculum ſeri ac ſanguinis conſervant, uti ſunt Theriacalia, pulveres bezoardici.

CAPUT III.

De Evacuantibus, illorum uſu & abuſu.

1 SAnguinis miſſio generoſum eſt remedium & uti multis utile, ſic quoque ejus uſus multis damnoſus exiſtit.

2 Quando vires debiles ſunt, nullaque ſanguinis & humorum adeſt abundantia, primæ viæ humoribus excrementitiis obſeſſæ, appetitus emortuus, dejectionum copia, tempore hyemali, in morbis frigidis & diuturnis V. Sonis uſus damnoſiſſimus eſt.

3 Quando ſanguis abundat, & majus ſpatium affectat, & ordinariæ ejus evacuationes ſunt ſuppreſſæ, ſi vires præſentes ſunt, & atrociſſimus dolor ad partem dolentem affluxus, V. S. ſacra eſt anchora.

4 In regionibus calidis facilius ferunt Venæſectionem quam in frigidis.

5 Teſtatur experientia, ſæpe unica venæſectione conquieviſſe morbum.

6 Nihil magis indicat *V. Snem* quam dolor & plethora.

7 Præter finem venæſectionis evacuatorium datur etiam derivatorius, quia ad venam apertam ſanguis κατὰ ῥοῦν ruit.

8 Fluxus ſanguinis nimius in partibus ſuperioribus curatur per venæſectionem in partibus inferioribus inſtitutam & contra.

9 Prima venæſectio a morte & magno morbo liberare poteſt, ſi a plethora morbus provenit.

10 Poſt *V. S.* pulſus ſemper eſt major, concoctio autem debilior.

11. Abuſus *V. Snis* diſponit ad cachexiam, hydropem, malum hypochondriacum, & febres intermittentes reddit pertinaciores.

12 Non tantum ſanguis ſubtilis & fluidus per venæſectionem exit, verum etiam craſſus, dempta enim ejus parte reliquus facilius medicamentis alterari poteſt.

13 V. S. conſueta intermiſſa non raro magnos produxit morbos.

14 *Arteriotomia* carere poſſumus in medicina & hujus loco ſubſtituenda eſt ſectio venarum minutiſſimarum,

15 *Cucurbitulæ* venæſectionis vicariæ eſſe poſſunt in ſeroſis pinguibus catarrhoſis perſonis, & ubi dolor & obſtructio profunda adeſt, apprime utiles.

16 Ubi nervi obruti ſunt copia tenacium viſcidorum humorum, locum habere *cucurbitulæ* poſſunt & non ſolum evacuant,

cuant, verùm etiam rarefactionem inducunt & motum debitum humoribus & ſanguini conciliant.

17 Membra gangræna affecta ſcarificatione felici cum effectu ſæpius tractantur.

18 *Purgantia* agunt ſale quodam ſulphureo acri ſtimulante irritante & ſpaſmotice contrahente ac convellente fibras ac glandulas inteſtinales.

19 Quo ſal illud acre differt ratione acredinis & corroſivitatis, purgantia ratione effectus differunt, & ſunt vel leniora vel fortiora; leniora ſunt folia ſennæ, rhabarbarum, caſſia, tamarinti, manna, polypodium, aloes varia genera, mechoacanna, mirobalanorum ſpecies, centaurium minus; & hæc dicuntur quoque laxantia: fortiora ſunt radix jalappæ, ſcammonium, eſula, colocynthis, helleborus niger & albus, gummi guttæ & ex illis varia præparata ac compoſita.

20 *Purgantia* propter ſal illud acre cauſticum ſimul alterantia ſunt, dum incidunt, attenuant ac colliquant viſcidos craſſos humores in inteſtinis hærentes.

21 *A purgantibus* non tantum contenta inteſtinorum, verum etiam glandularum inteſtinalium, pancreatici & bilioſi humores educuntur.

22 Non dantur juxta veteres purgantia ſpecifica, quæ nempe certum humorem occulta qualitate attrahunt & evacuant.

23 Dantur tamen *purgantia*, quæ huic vel illi humori educendo magis vel minus conveniunt; Sic *rhabarbarum*, *tamarinti* optime bilem, *gummata*, *manna*, *folia ſennæ*, *polypodium* acidos humores, *radix hellebori* glutinoſos & viſcidos humores, *Mechaocanna & jalappa* ſeroſos expurgant, quatenus ſimul alterantem virtutem poſſident.

24 Acidi & viſcidi humores difficilius purgantur, hinc opus eſt, prius præmittere alterantia & corrigentia, & hæc dicuntur *Digeſtiva*.

25 *Purgantia fortiora* in morbis, ubi Maſſæ ſanguineæ mixtura, ſpirituum craſis ac vires deficiunt & ubi humidum deficit, pulſus debilis eſt & bilis acris ac tenuis, quique ventriculum debilem habent, nunquam danda ſunt.

26 Præſtat *purgantia fortiora* ſemper refracta in doſi dare additis ſalibus incidentibus, abſterſivis & carminativis, quæ purgantium optima incentiva & corrigentia ſunt.

27 Intempeſtivo purgantium uſu plures in cachexiam, hecticam, phthiſin conjecti ſunt.

28 Ante *purgantium fortiorum* uſum ſemper prius tollendæ obſtructiones glandularum & vaſculorum minimorum ſunt, quoniam purgantia conſtrictione ſua ſpaſmotica magis obſtructiones firmant.

29 Quævis copioſior ac vehementior *purgatio* plus nocet, quam prodeſt & præſtat per epicriſin, & educere peccantes humores, quam ſimul & ſemel.

30 *In purgatione*, quæ ad morborum præſervationem fit, tempus anni & lunæ phaſes attendendæ ſunt, imminente enim plenilunio magis in corpore augentur humores & tumores.

31 Peſſime illi faciunt, qui, quando fortius purgans non operatur, alterum fortius ſuperingerunt, & ſic ad purgationem naturam cogere volunt.

32 Melancholici, hypochondriaci, quartanarii propter copioſum acidum in primis viis contentum & purgantium vim enervans, difficillime purgantur.

33 Aloetica, rhabarbarina optima ſunt purgantium, non tantum blande educunt, verum etiam acidum corrigunt & bilem balſamicam reddunt, poſſunt optime dari cum cibis.

34 Foliorum ſennæ, & rhabarbari virtus magis per infuſionem quam coctionem extrahitur.

35 Aloetica melius operantur in humidis & pinguibus, quam in ſiccis perſonis, & hoc habent incommodi, quod alvum ſiccent per aliquot dies & facile hæmorrhoides aperiant.

36 Mercurius dulcis convenienti doſi & caute adhibitus egregium eſt purgans, nec alvum adſtrictam reddit poſt operationem; poteſt aſſumi in pilulis, quo modo in obſtructionibus reſerandis ac in tenacibus viſcidis humoribus colliquandis efficaciſſimus eſt.

37 Mer-

37 Mercurius dulcis cum ſalibus intime mixtus deleteriam rurſus induit naturam, & fortes purgationes ac ſalivationes excitare ſolet.

38 Circa ſolſtitia, æquinoctia & diebus canicularibus non ſuadendæ purgationes ſunt.

39 In paroxyſmis omnium morborum non facile admittendæ purgationes ſunt, ſed potius extra illos.

40 Eleganti ſtratagemate purgantibus immiſceri poſſunt aperientia, præcipitantia, diaphoretica, etiam opiata ſummo cum effectu in variis morbis.

41 Poſt purgationem ſemper magis convenit motus quam quies, & abſtinentia a cibis.

42 Aer & potus frigidus poſt purgans aſſumptum ceu venenum vitandus eſt.

43 *Vomitoria* agunt irritando ac ſpaſmotice contrahendo pylorum & tunicas ventriculi ac œſophagi ſale quodam ſulphureo volatili acri.

44 Differunt emetica & purgantia gradu, & diverſitate acrimoniæ ſalino-ſulphureæ irritantis, volatilioris vel fixioris, hinc vomitorium facile purgans fieri poteſt, & purgans per ſuperiora evacuare.

45 Purgantia recentia particulis ſuis volatilibus adhuc inſtructa facile excitant vomitum.

46 In quartanariis, hydropicis, melancholicis raro operantur emetica, ob ſal acre volatile medicamenti enervatum ab humoribus acidis in ventriculo ſtabulantibus.

47 Ex vomitoriis ſecuriſſima & ſelectiſſima ſunt *Tartarus emeticus* & *mercurius vitæ* rite correctus ac edulcoratus, ſulphur antimonii correctum & ſal vitrioli.

48 Vomitoria magis in forma liquida & felicius doſi refracta exhibenda ſunt, nec unquam natura cogenda ad vomitum eſt.

49 Vomitoria, licet non operentur, nihil nocent, ſed lenes ac utiles ſæpe inſtituunt ſalivationes ac purgationes.

50 Indicant *vomitorium* nauſea, os amaricans, præcordiorum dolor, ſputum copioſum, labiorum tremor & ſtagnatio humorum bilioſorum viſcidorum in ipſis præcordiis.

51 Contraindicant *vomitorium* habitus corporis obeſior, ſypothymia familiaris, inflammatio ventriculi, pulmonum læſio, prolapſus uteri & inteſtinorum, virium dejectio, ſyſtema nervoſum debile & difficultas vomendi, imprægnatio.

52 Æſtate magis emetica, hyeme magis purgantia proſunt.

53 Præſtat non tantum ab aſſumpto *vomitorio* ſubinde repetere vehiculum debitum & pingue, ſed etiam quando ipſum operatur per vices eodem adjuvare.

54 Ut in purgantibus, ſic quoque in *vomitoriis* motus & calor convenit.

55 Præſervatio a morbis omnibus contagioſis optime fit vomitu.

56 In principio hectices & phthiſeos, ubi malum adhuc latitat in primis viis, in morbis ventriculi a ſaburra viſcidorum humorum ortis, colica pertinaci, cardialgia, obſtructione ductuum biliariorum, aſthmate ſtomachali, intermittentium contumacia, affectibus ſoporoſis, *vomitoria* præſentiſſimam opem ferunt.

57 *Vomitoria* etiam die paroxyſmi febrilis non nocent.

58 Ad præſervationem doloris arthritici, podagrici, colici, nephritici, & mali epileptici magna cum fructu ſæpe data fuerunt *vomitoria*.

59 Infantiles plures morbi optime curantur *vomitu*.

60 *Vomitoria* cum diaphoreticis exhibita in obſtructionibus morborum gravioribus efficaciſſima ſunt.

CAP. IV.

De ſudoriferis, diureticis, ſalivantibus, & aliis evacuantibus, illorum modo agendi, uſu & abuſu.

1 SUdorifera agunt motum & circulum ſanguinis promovendo, dum ſale oleoſo volatili vel alcalinis fixis

particulis, vel acidis ſulphureis volatilibus humores viſcidos incidunt, acidos deſtruunt et particulas, elaſticas, æthereas, impulſumque mitiorem cordis et arteriis conciliant.

2 Sunt vel volatilia, vel medii generis, vel fixa.

3 Volatilia ſunt ſpiritus urinoſi volatiles, et omnia ſalia volatilia ex animali regno petita, ſpiritus tartari, fuliginis volatilis, tinctura antimonii vel ſulphuris volatilis, tinctura coralliorum cum ſpiritu lignorum vel tartari parata, ſal volatile eboris ſuccinatum, et omnes radices ſic dictæ alexipharmacæ, ſale volatili oleoſo imbutæ, camphora, ex ſambuco parata.

4 Medii generis *ſudorifera* ſunt omnia theriacalia, theriaca cœleſtis, de citro, diaſcordium *Fracaſtorii*, *Sylvii*, et acido ſulphureo, volatili principio fœta, uti ſunt mixtura ſimplex, tinctura bezoardica, acetum theriacale, aqua prophylactica, ſal volatile eboris, viprarum cum acido tartari fixatum, ſpiritus ſalis ammoniaci cum aceto deſtillato, lignoſa, illorum decocta, eſſentiæ, flores ſulphuris, lac ſulphuris etc.

5 *Sudorifera* fixiora ſunt omnia terrea, uſta alcalina, v. gr. antimonium diaphoreticum, ejus ceruſſa, C. C. uſtum, magiſterium antimonii diaphoretici ſeu materia perlata, lapides cancrorum, conchæ præparatæ.

6 Fixiora ſecundi generis ſunt ſalina fixa, v. gr. vegetabilium ſalia fixa, nitrum antimoniatum, lapides prunellæ, arcanum duplicatum; huc ſpectant etiam amara ſale fixo copioſo imbuta, uti ſunt abſynthium, carduus b., ſcordium etc.

7 *Sudorifera*, quæ copioſius oleum fovent volatile per deſtillationem eliciendum, magis calida ſunt, et majorem corpori calorem conciliant, quam quæ ex ſale volatili deprompta ſunt.

8 Una guttula olei deſtillati plus calefacit, quam decem grana ſalis volatilis.

9 Agunt *ſudorifera* vel poſitive vel privative: poſitive, quæ particulis volatilibus ſpirituoſis motum conciliant celeriorem; privative, quæ impedimenta ſanguinis motum retardantia removent, qualia ſunt omnia fixa alcalina acidum deſtruentia.

10 Opiata, anodyna et theriacalia, quæ præcipue propter opium agunt, ſudorem ſæpe largiſſimum movent, dum vaſcula ſubcutanea nervea, illorumque poros vel a doloribus, vel a furibundo ſpirituum animalium motu, vel alia ſpaſmotica contractione nimis conſtrictos ac criſpatos iterum laxant.

11 *Diaphoretica* et *ſudorifera* differunt tantum gradu, et leniora *ſudorifera* dicuntur *diaphoretica*.

12 *Sudorifera*, ſunt quaſi evacuantia univerſalia, et optima medicamenta, habent locum in omni ſtagnatione ſanguinis et lymphæ, in principio inflammationum, in tumoribus, febribus intermittentibus, malignis, peſte, morbis frigidis ab obſtructione enatis, ſanguinis circulo debili, nervis pituita obſeſſis, catarrhalibus defluxionibus.

13 *Sudorifera* volatilia et calidia caute in nimiis ſanguinis ebullitionibus, hectica, febribus ardentibus, doloribus gravioribus, et quando propter minutiſſima vaſcula obſtructa ſanguinis circulus impeditur, ac ſerum deficit: vel quando primæ viæ craſſis viſcidis acidis humoribus obſeſſæ ſunt, tunc enim calorem, ardorem, dolorem, vigiliam augere, hæmorrhagias excitare, imo paralyſin et apoplexiam inducere poſſunt.

14 Semper *diaphoreticis* præmittenda ſunt primas vias evacuantia, et a ſaburra humorum vitioſorum illas deplentia.

15 Nunquam cogendus æger eſt ad ſudorem, et præſtat nullum, quam coactum prodire ſudorem.

16 Calor externus et *balnea* ſudoriferorum vim augent poros dilatando et humores fundendo.

17 *Balnea Laconica* cum ſpiritu vini inſtituta in morbis frigidis ab humoribus pituitoſis viſcidis ortis egregiam præſtant operam.

18 *Diaphoretica* ante paroxysmos febrium intermittentium exhibita illos ſenſibiliter leviant.

19 *Diaphoretica* omnia ſunt ſimul alterantia, & ſimul incidendo ac corrigendo

Vi-

vitioſos humores operationes egregias efficiunt: hinc non ſemper fine ſudorem expellendi, ſed ſæpiſſime fine alterandi exhibentur, nullum impetrando poſt illorum uſum ſudorem: præterea nullum medicamentum magis ſanguinis mixturam turbatam reſtituit quam *diaphoreticum*.

20 *Diaphoretica* opiatorum optima ſunt correctiva.

21 *Diuretica* agunt vel fundendo ſanguinem, craſſoſque humores & circulationem eorum promovendo; talia ſunt ſalia omnia fixa, terrea, alcalina, nitroſa, potus calidi, Thee, Coffee, vina, acidula varii generis, ſerum lactis; vel præcipitando ſeu particularum ſeroſarum a ſanguineis ſeceſſum faciendo; talia ſunt ſpiritus ſalis, tinctura aperitiva *Mœbii*, ſpiritus mineralium dulces: vel poros ac canaliculos renum minutiſſimos aperiendo, & renum glandulas ſtimulando; talia ſunt omnia ſubtiliſſimo ſulphureo oleo imbuta, juniperina, terebinthinacea, ſuccinata, aſparagus, petroſelinum, ſeleri, oleum cardamomi, cubebarum, aniſi;

22 Omnia calcinata ex marinis vel lapidibus egregie ſtimulant urinam, quatenus textura alcalina & particulis æthereis copioſis, in calcinatorum poris latentibus craſſos viſcidos humores fundunt, acidum deſtruunt & canaliculos renum ſtimulant; quo ſpectant etiam animalia ſale volatili cauſtico prædita, uti ſunt millepedes, vermes majales, cantharides &c.

23 Omnia *diuretica* ſimul ſunt alterantia & craſſis viſcidis humoribus dicata.

24 *Diuretica* primis viis prius a ſordibus purgatis, ventriculo jejuno exiſtente, optime dantur in morbis frigidis, obſtructionibus viſcerum, malo hypochondriaco, tumoribus, hydrope, catarrhis regionem lumbarem occupantibus.

25 *Diuretica* optime præſervant a calculo, ſed fortiora in ipſo calculi paroxyſmo cautiſſime ſunt exhibenda.

26 In inflammationibus renum & aliorum viſcerum, hectica, phthiſi, ſerique defectu cautiſſime *diuretica* ſunt danda maxime fortiora.

27 *Apophlegmatizantia* dicuntur, quæ ſale quodam volatili plus minùs acri glandulas palati & faucium ſtimulant, ſtimulando conſtringunt, pituitam viſcidam colliquant & expurgant, uti ſunt radices pyretri, angelicæ, maſtiches, nicotiana, cubebæ, ſemen ſinapi, myrrha &c.

28 Proſunt in guſtus defectu, in humoribus viſcidis capitis partes occupantibus, catarrhis, glandulis faucium obſtructis & ad præſervationem in omni contagio.

29 Quoniam omne miaſma ſalivæ ſeſe aſſociat, & cum ipſa ſaliva ad ventriculum defertur, hinc quæ ſalivæ fluxum excitant, & mucum in fauce hærentem reſolvunt, & ad expurgationem ſtimulant, optima ſunt *Præſervativa*.

30 *Errhina* tam ſicca quam liquida agunt eodem modo ac apophlegmatizantia, & *ſternutatoria* ſunt *errhina* fortiora.

31. Omnia purgantia ſternutatoria ſunt, idem enim modus operandi purgantium & illorum, quæ ſternutationem movent.

32 Omnes herbæ cephalicæ ſale volatili oleoſo & acri fœtæ, ut & omnia ſalia volatilia, vel in forma ſicca vel liquida, pituitam e naribus educunt.

33 *Errhina* magis commendanda ſunt ipſis *ſternutatoriis*.

34 Nocent *ſternutatoria* primis viis non evacuatis vel obſtructis, in lethargo, apoplexia, cæcitate, omnibus hæmorrhagiis, hæmophthiſi, fracturis, luxationibus coſtarum, procidentia uteri, gravidis, phthiſicis.

35 Proſunt *ſternutatoria* in obſtructione cerebri & narium, in declinatione coryzæ, dolore gravativo capitis.

36 Notabile eſt, angulo oculi compreſſo *ſternutationem* impediri.

37 *Expectorantia* dicuntur illa, quæ ſale quodam tenui volatili oleoſo glandulas ac tunicas bronchiorum irritant, ad excretionem ſtimulant & lympham craſſam attenuant.

38 *Expectorantia* optima ſunt ſperma ceti, oleum amygd. dulcium, ſyrupus violarum, looch pulmonum vulpis, ex emula, liquiritia, cærefolio, gummi ammoniaco parata, ſyrupus nicotianæ, de eryſimo &c.

39 *Expectorantia* magnam habent efficaciam in tuſſi humida, aſthmate, catarrho ſuffocativo, raucedine, phthiſi, pleuritide &c.

40 *Salivationem* inſtituunt univerſalem mercurialia tam interne, quam externe per ſuffimigia adhibita.

41 Operantur *mercurialia* dum ſale ſuo minerali æthereo penetrantiſſimo viſcidos humores incidunt & colliquant; deinde quoniam mercurius ratione texturæ ſuæ alcalinæ cum acidis ſpiculis in humoribus oberrantibus facile conjungitur, corroſivam cauſticam acquirit vim, qua molliſſimas glandulas ſalivales & faucium cum illarum vaſis fortiter irritat, ſtimulat conſtringit & ſæpe ulcuſcula in illis parit.

42 *Salivantia* heroica ſunt remedia & non niſi aliis medicamentis nihil efficientibus, cautiſſime tamen, adhibenda.

43 In morbo Gallico, ſcorbuto frigido, deſperato, morbis chronicis a viſcidis humoribus nervos obſidentibus ortis, ulceribus cacoeticis, *ſalivatio mercurialis* ſæpe ſacra eſt anchora.

44 Ante *ſalivationem mercurialem* primæ viæ probe purgandæ, humores corroſivi corrigendi, & pori ſudoriferi aperti ſervandi, alias humores, qui per urinam & ſudorem evacuare conſueti ſunt, alliciuntur, & exulcerationes oris, gingivarum eroſiones, anginam, deglutitionem difficilem efficiunt.

45 Frigida & omnia acida poſt *inunctionem mercurialem* cane pejus & angue fugienda.

46 In ulceribus, inflammationibus viſcerum, phthiſi, nervorum nativa debilitate, virium dejectione, ſcorbuto bilioſo, hæmophthiſi, nimiis hæmorrhagiis *mercurialis ſalivatio* funeſtum ſolet habere eventum.

47 *Mercurialia ſalivantia* etiam refracta doſi magno cum effectu in morbis pertinacibus exhiberi poſſunt citra exſpectationem ſalivationis longioris.

48 *Theriacalia* optime mercurii noxam corrigunt.

49 *Veſicatoria* dicuntur ab effectu, quoniam veſicas excitant modo unam majorem, modo plures parvas.

50 Operantur ſale quodam cauſtico volatili acerrimo, quod cutis vaſcula & poros ſudoriferos irritando ac ſtimulando humores in copia advocat, qui propter cuticulam firmiſſimam tranſpirare non poſſunt.

51 *Veſicatoriorum* materiam uſitatam præbent cantharides mixtæ cum emplaſtro vel fermento panis, quod aliquot elapſis horis veſicam excitat diſcindendam, ni ſponte rumpatur.

52 Uſus *veſicatoriorum* eſt in lymphæ ſtagnationibus, defluxionibus & derivatione lymphæ acris a parte affecta ad partem a veſicatorio dolentem.

53 In febribus malignis veſicatoria carpis manuum applicata nonnulli practici magni æſtimare ſolent.

54 Tutior uſus eſt *veſicatoriorum*, quando partibus carnoſis quam membranoſis & nerveis applicantur.

55 In dolore profundo & diuturno partis ſine tumore, rubore, ulcere *veſicantium* uſus quam commodus eſſe ſolet.

56 Partibus inflammatis *veſicantia* non ſunt adhibenda.

57 *Fonticulorum* & *ſetaceorum* uſus non plane in medicina eſt fruſtraneus; malum tamen magis allevant, quam tollunt.

58 *Fonticulos* a morbis nervorum præſervare, experientia teſtatur.

CAPUT V.

De Alterantibus medicamentis, illorum uſu & abuſu.

1 *Alterantia* dicuntur illa, quæ humores & qualitates noxias corrigunt & in contrarium mutant & ſunt varii generis.

2 Humores acidi pontici in corpore noſtro contenti corriguntur ac invertuntur quam commodiſſime alcalinis tam volatilibus quam ſalinis fixis & terreis, & hæc quoque nuncupantur *abſorbentia & præcipitantia*.

3 Talia ſunt limatura mārtis, lapides cancrorum, conchæ præparatæ, mater perlarum, C. C. uſtum, ſalia vegetabilium fixa, omnia ſalia volatilia.

4 Humores acres ſalinos quam optime

me corrigunt & diluunt mucilaginoſa, ramoſa, oleoſa, ramoſis particulis cuſpides ſalium involventia, terrea & diluentia varia: Ex horum numero ſunt terræ varii generis, antimonium diaphoreticum, emulſiones ex oleoſis paratæ, gelatina & decoctum C. C. mucilagines ſeminum.

5 Humores viſcidi tenaces requirunt medicamenta ſale volatili oleoſo acri imbuta, qualia ſunt aromata, radices, ſemina, herbæ tali ſale gaudentes & ſalia varia incidentia.

6 Dulces, pituitoſi humores optime corriguntur amaris ex vegetabilium regno petitis, balſamicis, reſinoſis.

7 Humores bilioſi, ſulphureis, volatiles requirunt blandiora acida, nitroſa & varia diluentia, emollientia.

8 Humores nimis ſicci, & terreis particulis onuſti ſalia volatilia, humectantia, diluentia, nitroſa exigunt.

9 Humores nimis fluxiles, ſeroſi, terrea, adſtringentia, roborantia, balſamica & conſtringentia fixa poſtulant.

10 *Alterantia* pro diverſitate morborum ac affectarum partium varia nanciſcuntur nomina.

11 Dicuntur vel *ſtomachica, cordialia, hepatica, ſplenetica, uterina, carminativa, anthelmintica, antifebrilia, antiſcorbutica, antihyſterica, traumatica, emmenagoga, alexipharmaca.*

12 Omnia ſuperius dicta ſpecifica agunt vel evacuando vel corrigendo humores noxios, vel vaſa obſtructa reſerando.

13 Sicuti acidum & viſcidum ad ſtabiliendas omnium morborum cauſas inſufficiens eſt, ita quoque medicamentis alcalinis acidum deſtruentibus & viſcidum reſolventibus curatio morborum abſolvi nequit.

14 Medicamenta *acida* magni æſtimanda in praxi ſunt, ſed ſubtiliora; minus, fixa corroſiva.

15 *Acida* ſal volatile ſanguinis figunt, oleoſas ac globoſas ſanguinis particulas nimis fluidas concentrant & coagulant.

16 Illi, quorum fluores & primæ viæ ſcateat acidis particulis, item gravidæ, lactantes, puerperæ, infantes, pectore affecti, & quibus ordinariæ excretiones ſunt ſuppreſſæ, quique tuſſi, hectica, ulceribus, vulneribus, alvo adſtricta infeſtantur, parcius & cautius *acidis* utantur.

17 *Salia volatilia* maxima morborum ſunt præſidia, illorum tamen intempeſtivus uſus multa parit incommoda.

18 *Salia volatilia* venis animalium immiſſa non ſecus ac ſpiritus acidi illa necant.

19 In maximis ſanguinis ebullitionibus, nimio ardore & incaleſcentia corporis, ſanguine nimis tenui exiſtente, ac ubi primæ viæ ſcoriis bilioſis & humoribus tenacibus repletæ ſunt, *ſalium volatilium* uſus parcior ſit.

20 *Salia volatilia, oleoſa* & omnia, quæ tali pollent, acidum corrigunt, humores viſcidos reſolvunt, diaphoreſin excitant, *carminativa cephalica* & *uterina* ſunt.

21 Omnia *ſalia vegetabilium fixa*, item *alcalina, terrea* v. gr. marina, teſtacea acidos ponticos humores temperant, & dulcificant, per diaphoreſin & diureſin ſuperfluos humores expellunt & ſunt *antifebrilia, antihypochondriaca.*

22 *Terrea alcalina* omnia in appetitu dejecto ob fermentum nimis ſalſum, vel ventriculi tonum deſtructum, in obſtructionibus alvi & viſcerum gravioribus, & ubi tardior humorum motus eſt, cautiſſime vel plane nunquam propinanda ſunt.

23 *Salia* tam *fixa* quam *volatilia* vel *media* vitanda ſunt in omnibus morbis a ſalino acri principio ortis & ubi acidum ventriculi deſtructum eſt.

24 Omnia *ſpirituoſa* ſeu *ſulphurea volatilia & ſic dicta confortantia* propter tenuitatem ac ſubtilitatem partium ſuperiora petunt, ſpiritibus corporis noſtri ſeſe immiſcent, celeriorem ſanguinis & humorum tam inteſtinum quam progreſſivũ efficiunt motum, & ſi humidum adeſt & pori cutis laxi ſunt, diaphoreſin ac tranſpirationem procurant, flatibus & vitiis ventriculi ex cauſa frigida occurrunt.

25 Quibus caput & ſyſtema nervoſum eſt debile, qui humido carent, teneræ ſunt conſtitutionis & ad ebulliciones proclives, nimium *ſpirituoſorum* abuſum vitent.

26 In omnibus morbis, ubi tranſpiratio eſt prohibita & cutis ſicca, *ſpirituoſa* & ſanguinem exagitantia aſſumpta mirum nocere ſolent.

27 Medicamenta *balſamica* dicuntur, quæ conſtant ex oleo & ſulphure gummoſo, blando ac temperato elemento, naturæ grato; uti ſunt myrrha, ſcordium & variæ herbæ, crocus, zedoaria, nux Moſchata, lignum aloes, ſaſſafras, quæ humorum acrimoniam demulcent, ſpirituaſcentiam chyli & ſanguinis blande promovent, nervis proſunt & omnibus ſtomachi morbis, vulneribus ac ulceribus medentur, hinc *vulneraria* exiſtunt.

28 *Gummata* oleo deſtillato copioſo imbuta acido & viſcido contraria ſunt, hinc optima antihypochondriaca; bilioſos autem humores facile exagitant & calorem p. n. accendunt.

29 *Amara* ſale copioſo fixo ſcatent, hinc aperiunt, acidum bili immixtum corrigunt & bilem copioſiorem generant, ſicque ſpirituaſcentiam ſanguinis blande procurant; hinc amara optima ſunt *hepatica, antiſſteriea, antifebrilia, anticachectica, antiſcorbutica & anthelmintica.*

30 *Ligna*, quæ reſina pollent copioſa & acri, viſcidos tenaces incidunt humores, exſiccant, ſudorem movent, hinc optima ſunt *antihydropica, antiſcorbutica & luis gallicæ alexipharmaca.*

31 *Lignoſa*, ubi humidum deficit, ut in atrophia & hectica, omni modo vitanda ſunt.

32 *Nitroſa* propter æthereum aereum ſal quaſi concentratum & figuram pyramidalem incidunt, attenuant, obſtructiones aperiunt, particulas ſulphureas ſanguinis ligant & figunt, hinc in omnibus morbis calidis, ubi humidum deficit, ſitis & vigilia adeſt, alvus adſtricta, gratiſſimam opem ferunt, & optima ſunt calorem & ſitim ſedantia.

33 Nocent *Nitroſa*, ubi ventriculus debilis eſt, vel ex cauſa frigida laborat, alvus humida & diſpoſitio ad phthiſin et catarrhos.

34 *Aquea, diluentia, inſipida* majori in copia calide data, ſalia lymphæ peregrina antiſcorbutica diluunt, temperant, craſſos humores fluxiles reddunt, ſudorem et urinam movent, ſitim et calorem p. n. exſtinguunt, excretiones naturæ ordinarias promovent, et ſunt *polychreſta*.

35 Quicunque calidos hos potus ferre non poſſunt, eos in primis viis vitium quoddam habere judicandum.

36 Omnia *actu frigida* poros obſtruunt, excretiones ſiſtunt, inflammationes adaugent, et humores reddunt tenaciores et ſunt *Repellentia*.

37 *Frigida* concentrant ſpiritus, et in morbis a ſpirituum reſolutione natis illorum uſus non ſemper contemnendus.

38 Medicamenta viſcidam quandam mucilaginem recondentia, ſpicula ſalium acrium temperant, involvunt, nutriunt, dulcificant et ſunt *emollientia, pectoralia* et *ſuppurationem promoventia, humectantia*.

CAP. VI.

De Medicamentis motum humorum accelerantibus & nimium ſiſtentibus.

1 MEdicamenta accelerant ſpirituum, ſanguinis et omnium humorum motum vel privative, vel poſitive: privative, omnia incidentia acidum et viſcidum deſtruentia: poſitive, omnia calida ſpirituoſa et ſale volatili ſulphureo imprægnata ſuperius jam deſcripta.

2 *Mercurialia* et *ſulphura mineralium*, quatenus ſpiritu quodam metallico, penetrantiſſimo, æthereo, ex ſolidiſſimis particulis conſtructo gaudent, in nervos et illorum fluidum immediate operantur ſtimulando, irritando, et impulſum ſpiritibus animalibus communicando, hinc fortiſſima ſunt aperientia in morbis frigidis diuturnis et nervorum ac glandularum obſtructionibus efficaciſſima, talia ſunt regulus antimonii medicinalis, panacæa *Conordingiana*, Cinnabarina, mercurius diaphoreticus jovialis, Tinctura veneris dulcis, tincturæ antimoniales mercurius philoſophice præparatus et cum auro fixatus.

3 Nimium humorum motum ſiſtunt ac de-

demulcent *adſtringentia*, *vitriolacea* & omnia acido-terreo principio imbuta, quatenus particulis ſuis craſſis ad motum ineptis vel vias minutiſſimas occludunt, vel humores nimis fluxiles ac tenues particulis ſuis motui ineptis angularibus & majori ſuperficie gaudentibus coagulant; & tales ſunt omnes tincturæ martiales, quæ non niſi ſolutiones Martis ſunt, vitriolicam naturam habentes, omnia vitriolacea, aluminoſa, auſtera ſtyptica.

4 *Adſtringentia* per accidens ſæpe aperiunt, quatenus anguſtioribus redditis viis accelerant ſpirituum motum, ut non raro ſpaſmotica contractio inde reſultet, qua contractione contentum fluidum movetur & expellitur.

5 In omnibus morbis ex nimiis ſanguinis humorum excretionibus ex læſo ſanguinis circulo natis, morbis frigidis, obſtructionibus & infarctu viſcerum *adſtringentia* inſtar veneni ſunt.

6 Medicamenta *Vitriolacea* nauſeam pariunt in majori copia aſſumpta, vomitus & ſedes efficiunt, quatenus præter virtutem adſtringentem etiam irritantem et ſtimulantem habent.

7 *Vitriolacea* errhina ſunt potentiſſima.

8 Poſt uſum adſtringentium, vitriolaceorum, martialium pulſus ſæpe augetur, calor in corpore fit major, & ſudoris ac urinæ fluxus excitatur.

9 Poſt uſum *Martialium* et *Vitriolaceorum* feces utplurimum ſecedunt nigræ propter martiales particulas a bile præcipitatas.

10 Motum nimirum humorum ſedant ac ſiſtunt omnia vaporoſa, quæ nimirum in maxima quantitate emittunt vapores, uti ſunt omnia grave et ſuaveolentia & hæc dicuntur *anodyna* et *narcotica*.

11 *Vaporoſa* talia copioſiſſimis ſuis effluviis per poros, facile penetrantibus nervos replent et ſpirituum animalium fluxum quodammodo ſufflaminant, et ſuſpendunt, hinc torporem inducunt ac ſomnum, dolores auferunt, calorem extinguunt, acrimoniam humorum demulcent, excretiones ſiſtunt, ſudorem nonnunquam movent, et hæc omnia efficiunt, dum motum ſpirituum furibundum nimis ſedant.

12 Pro diverſitate principiis iſtius ſeu ſulphuris vaporoſa differunt et magis vel minus naturæ grata ſunt: hinc diverſus eſt effectus opii, nuciſtæ, camphoræ, croci, caſtorei, moſchi.

13 Ex omnibus vaporoſis *Opium* eſt efficaciſſimum et hinc cautiſſime applicandum.

14 Optima præparatio *Opii* eſt ejus ſolutio in inſipido menſtruo et a ſordibus ejus terreis depuratio.

15 Optima *Opii* correctiva ſunt ſudorifera et ſalia volatilia oleoſa aromatica et ſpirituoſa.

16 Acida et Alcalica *Opii* texturam plane deſtruunt, hinc ejus vim vel debilitant, vel immutant.

17 In omnibus morbis frigidis, obſtructionibus tam alvi, quam vaſorum et maxime nervorum, in virium dejectione, ſpirituum animalium imbecillitate, pulſu debili, in omni malignitate, viſcerum infarctu *Opiata* cane pejus et angue vitanda ſunt.

18 Sæpe ubi Opium non prodeſt, prodeſt camphora, crocus &c.

19 *Opiata* pro diverſitate ſubjectorum varios edunt effectus, in aliis excretiones ſiſtunt, in aliis promovent, in aliis ſomnum, in aliis vigilias producunt.

20 *Opiata* nunquam niſi primis viis bene apertis, reſpiratione et tranſpiratione libera, pulſu fortiori propinantur, et melius in forma liquida quam in ſicca operantur.

CAP. VII.

De Cautelis practicis.

1 AMara, mercurialia optime præſcribuntur in forma pilularum.

2 Medicamentum liquidum ſemper melius operatur, quam ſi in forma ſicca propinetur.

3 In omni morbo præſtat alvum ſervare aperta, et ſi purgante id fieri nequit, clyſterio expediendum eſt.

4 Clyſteres conſtent ex emollientibus, carminativis et ſtimulantibus.

5 Salina in clyſteribus plus ſtimulant quam purgantia.

6 Natura clyſteribus & omnibus medicamentis facile aſſueſcere poteſt, hinc medicamentorum mutatio conſulta eſt.

7 Omnis veneſectio, purgantia, emetica tempore excretionis ſubcutaneæ in variolis eryſipelate &c. nocent et naturam in criſi turbant.

8 Purgatio ante variolas & poſt declinationem optima eſt.

9 Omnia calida, ſpirituoſa, volatilia, oleoſa maſſam ſanguinis exagitantia tempore eruptionis cane pejus et angue vitanda ſunt: ſymptomata utplurimum non tantum exaſperare, ſed et copioſiores efficiunt variolas: proſunt magis temperata, ebullionem humerum nimiam deprimentia.

10 Myrrhata tempore convaleſcentiæ optima ſunt, et balſamum reddunt ſanguini a nimia ebullitione vappido reddito.

11 Tempore ſuppurationis commodiſſime alvus clauſa poteſt aperiri.

12 Regimine calidiori nimio plures moriuntur ex variolis quam frigidiori.

13 Morbillos tractandi & curandi methodus eadem eſt cum variolis.

14 In omnibus malignis quicquid movendum, illud ſtatim in principio fieri debet.

15 Venæſectio in malignis nonnunquam ſalutem, interdum etiam mortem affert; et hoc tempore prodeſt, illo nocet.

16 Quo mitius ægri in malignis tractantur in morbi ſtatu, et quo magis totum negotium naturæ relinquitur, eo facilius ipſi medici procedunt, et citius ægri evadunt.

17 Vomitoria magis commutanda in malignis, quam purgantia, mixta tamen ſemper cum alexipharmacis, turbatam maſſam ſanguineam reſtituentibus

18 In malignis mixtura ſanguinis turbata ante omnia reſtituenda eſt, et vires conſervandæ.

19 Omnia alimenta ſubſtantifica, pinguia, juſcula ſic dicta confortantia nocent in omnibus febribus.

20 In omnibus morbis epidemicis præſervant et curant emetica et diaphoretica cum balſamicis mixta.

21 In intermittentibus, antequam prime viæ expurgatæ fuerunt et obſtructiones viſcerum ſolutæ, cavendum maxime a china chinæ, præcipitantibus, adſtringentibus.

22 Chinæ chinæ eſſentia in extractum liquidius redacta, convientiſſima eſt medicina, nec talia incommoda efficit, quam in pulvere exhibita.

23 Arcanum medendi intermittentibus eſt verus uſus et exhibitio prudens chinæ chinæ.

24 Purgantia fortiora, uti in omnibus obſtructionibus viſcerum: Sic maxime in intermittentibus, quæ ex obſtructionibus fiunt, damnum inferunt.

25 Mercurialia et antimonialia glandularum obſtructarum et morborum contumaciſſimorum ſunt alexicaca.

26 Nimis calida, volatilia, ſudorifera in febribus, et ubi primæ viæ obſeſſæ ſunt ſaburra vitioſorum humorum, nocent, et intermittentes, facile mutant in continuas.

27 In hecticæ ſtatu omnia purgantia et emetica, item acria inſtar veneni ſunt.

28 In hydrope, cachexia volatilia, ſudorifera maxime anguſtias efficiunt, febrem accendunt et ſymptomata augent,

29 Viis in hydrope obſtructis adapertis fortiſſime et quidem repetitis vicibus purgandum eſt.

30 In omnibus morbis cum virium defectu junctis, vel in ipſo ortis cavendum eſt ab omnibus fortioribus evacuationibus, adſtringentibus, opiatis &c.

31 In declinatione morborum ſemper balſamica, amara et ſtomachica ſunt optima, item ſalia volatilia.

32 In ulceribus, ſcabie, &c. internis ſemper prius auſpicanda eſt cura, deinde externis adjuvanda.

33 Pediluvia in omnibus capitis affectibus, nec non clyſteres conveniunt.

34 A balneis abſtineant hectici, cacochymici et quorum viſcera inflammata ſunt.

35 Em-

35 Emplaſtra mercurialia egregie reſolvunt obſtructiones, aſt ſcirrhos lienis, pancreatis in abſceſſus facile mutant.

36 Poſt martialium, abſorbentium uſum ſemper interpolanda ſunt leniora purgantia, item acidula, ſtomachalia menſtruum ventriculi erigentia.

37 Adſtringentia in pectoris affectibus cautiſſime danda, ſiſtunt enim expectorationem.

38 In morbis catarrhalibus & pectoris affectibus looch ac electuaria dulcia ſæpe ventriculum ejuſque digeſtionem ita lædunt, ut cachexia, hydrops, hectica aſthma inde fiat.

39 Caute ſemper danda ſunt & in minori doſi dulcia: ſcorbuticos, hyſtericos & hypochondriacos lædunt.

40 Ante purgationem ſemper prius humores alterandi maxime acidi, ſic felicius inſtituitur operatio.

41 Spirituoſa, aromatica, theriacalia optime ſiſtunt hypercatharſin.

42 Decocta, dulcia & magni potus in viſcerum obſtructionibus non danda.

43 Dantur perſonæ, quibus certa remedia ſunt inimica, ex certa quadam idioſyncraſia.

44 Medicamenta, quæ ſanguinis vitia corrigere debent, commodiſſime ſumuntur cum decoctis.

45 Poſt purgatas primas vias medicamina ſemper felicius operantur.

46 Periodici morbi tempore intermiſſionis magis, quam in ipſo paroxyſmo, ſanandi.

47 In frigidis morbis & ubi ventriculus debilis eſt, vinum vehiculum ſit medicamentorum.

48 Acidularum, thermarum, lactis uſus ſupponit viſcera ſana, robuſta, non inflammata vel ſcirrhoſa & robur ventriculi.

49 Acida poſt uſum lactis evitanda.

50 Hyeme magis volatilia oleoſa calida proſunt, æſtate magis temperata.

51 In omni inflammatione vitanda inſtar veneni ſunt frigida.

52 Nervis, membranis & oſſibus nimis calida, frigida, acida, & oleoſa & mercurialia nocent.

53 In omni horrore ac frigore morborum incipiente nocet potus.

54 Medicamenta emmenagoga optime dantur aliquot dies ante conſuetam purgationem.

55 Omnes morbi incogniti in principio tractandi ſunt diaphoreticis.

56 In ſpaſmoticis inteſtinorum affectionibus præſtat clyſteres ex meris oleis præparare.

57 In purgatione & vomitu omne frigidum acidum & adſtringens vitandum eſt.

58 Puerperæ tractandæ ſunt uti graviter vulneratæ, & in illorum morbis ſemper inflammatio partium eſt attendenda.

59 Potus, balnea & Carminativa hernioſis valde ſunt proficua: nocent autem ipſis purgantia fortiora.

60 Non omnia ſubjecta vel omnes morbi externi ferre poſſunt emplaſtra, unguenta, liquores &c.

61 Doſis medicamentorum variat pro diverſitate medicamentorum & præparationis eorum.

62 Multum intereſt, qua doſi medicamentum applicetur.

63 Prudentis medici eſt, noſſe, quamdiu cum medicamento præſtanti continuandum ſit.

64 Multa ſunt in praxi juxta *Galenum*, quæ nec dici nec ſcribi poſſunt.

SOLI DEO GLORIA.

INDEX

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM.

A

Abortus uteri ſpaſmus eſt 176 plethoricis familiaris ibid. partu eſt periculoſior ibid. ab alvi adſtrictione & nimia ciborum ingeſtione ſæpe excitatur 18 ordinario circa menſium tempus accidit 60 & venæſectione præcavetur ibidem.

Acidulæ alvum ducunt 127 an ſenibus proficuæ 52

Acidum quomodo in ventriculo generetur 23 ex alimentis in maſſam ſanguinis traducitur 36 naturæ eſt inſenſum 22 cum particulis terreis mixtum in ventriculo auſterum fit ibid. a neotericis pro cauſa morborum habetur 23 peccat plerumque in hypochondriacis 22 capiti nocet ſi in ventriculo ſuperabundat 23 ad calculum diſponit 22 menſes & hæmorroides intercipit ibid. & humores coagulat & ad obſtructiones diſponit 23

Acida cum particulis ſulphureis mixta alvum ducunt quod probatur 129 quibus ſubjecta in hunc finem adhibita nocent ibid.

Adeps difficilis in ventriculo ſolutionis eſt 9 hinc varia pathemata ſuſcitantur ibid.

Aer quinam ſenibus ſit eligendus 48 purus & temperatus ad ſanitatem conducit 6 peregrinus menſe Majo & Septembri ſenibus ſalutaris 49

Aeſtas ſenibus amica & cur 46

Aether quo magis liquidis ineſt & potulentis eo ſalubritate aliis præſtat 34

Agninæ carnes in ventriculo facile ſolvuntur 7 hinc a Deo conceſſæ videntur ibid.

Alcis ungula in epilepſia prædicatur 171

Alimenta in tres diſpeſcuntur claſſes 21 ad vitam & ſanitatem ſunt neceſſaria 6 differunt ratione indolis ac virtutis 7 per ſe & abſolute nec ſalubria nec inſalubria dicenda 14 ex quo ſalubritas cognoſcenda 22 inſalubria quæ 16

Aloe lignum per deſtillationem oleum ſiccum album odoratiſſimum largitur 101

Alterantium medicamentorum virtus 169

Alvina excretio quomodo fiat 121 medicus ad hanc maxime reſpicere debet ibid. ſenibus maxime ſalutaris 48 quibus remediis provocetur 122 quibus ſubjectis expeditior ibid. ſenibus ſæpe ſolutior eſt 43 quæ a triſtitia ſæpe evenit 46

- - prohibita ſenibus ſæpe familiaris 43 cur 47 quibus remediis promovendis 53

Ambulatio commodiſſima Litteratis 191

Amor inſanus corpus emaciat 5

Anima an in corpus noſtrum habeat potentiam 3

Animantium corpora ſunt hydraulica 44 partes ſulphure vaporoſo gaudent 177 manifeſti ſalis expertes ſunt ibid. hinc ſpecificam ſuam nanciſcuntur virtutem ibid. vim habent analepticam 171 non diu in pulvere ſervandæ & cur 178

- - morſus venenati qua ratione nocent 176

Animi adfectus moderati conferunt ad ſanitatem 4 quod ex ſacra ſcriptura & medicina probatur ibid. faciunt ad faciliorem morborum curationem ibid. omnes ſpaſmo ſeſe exſerunt 175 immoderati in plethoricis maxime noxii & cur 21

Antimonium ex ſulphurea & mercuriali ſubſtantia conſtat 161 ſulphur quod inexiſtat experimentis probatur ibid. ſed non purum eſt 163 quomodo a regulo reparatur ibid. igni non adeo forti obſecundat ibidem, quomodo extrahi poſſit 161 Ettmulleri ſul-

ſulphur præparandi modus 165. mercurialis ſubſtantia experimentis eluceſcit 163. crudum ſine noxa eſt 126. antimonium quodnam optimum 202.
-- cinnabaris quomodo præparetur 161.
-- clyſſus ſulphuratus alvum ducit 127.
-- diaphoreticum quomodo præparetur 162.
-- reguli præparandi modus ibid. qua ratione major ejus obtineatur copia 163.
---- ſcoriarum lixivium incoctum ſal alcalinum ſulphureum præbet 164. diaphoreſin excitat ibid.
-- ſulphur fixatum quomodo præparetur 166. unde fixitatem ſuam nanciſcatur 167. ejus propter fixitatem operandi ratio 172. ſudorem movet per aliquot dies ſtata hora matutina 166. & cur 168. commendatur in morbis rebellibus & acutis 166. quid circa eorum uſum & applicandi modum tenendum 169.
-- tinctura Grammanni ſicca quid ſit 165. doſis & uſus ibid.
-- vitrum vino infuſum cur emeſin excitat 126.
Appetitus proſtratio ſæpe a triſtitia oritur 46.
Apoplexia non ſemper a plethora oritur 65. ſenes maxime infeſtat 92 & adultiores ſæpe ab hæmorrhagia narium ſuppreſſa 58. non raro ab ira provenit. 46 qui maxime huic obnoxii 60.
Apri dens in pleuritide & cynanche commendatur 172.
Aqua particulas recondit aereas & æthereas 116. inſipida eſt & cur ibid. interſtitia habet diverſæ figuræ ibid. ejus characteres & quomodo prava corrigenda. 186. ejus potio longevos efficit homines 16. in podagra laudatur. 16. prodeſt ſenibus & imbecillis 188.
-- calida quid in infuſis præſtet 115. quid circa illam notandum 98. & ejus uſus 117.
-- duræ ac gravis potus fugiendus 26. quænam concitet mala 27.
-- pluvialis genuinum vegetabilium pabulum eſt 33.
-- tepida vomitum concitat 136.
-- thermalis liberalius hauſta cum levamine vomitum movet ibid.
-- ſtagnans putrida putridis morbis favet 27.
Aqua carminativa Friderici Regis Pruſſiæ quomodo præparetur 39.
Aqua fortis quomodo differat ſpiritu nitri 210.
Arbores ſuccum vel gummeæ vel reſinoſæ naturæ habent 78. in noſtris regionibus gummeam & cur ibid.
Argenti ſolutiones alvum movent 124. ejus magiſterium ad alvum aperiendam commendatur 125. quibus ſubjectis conveniat ibid.
Arietinæ carnes facile in ventriculo ſolvuntur 7. hinc a Deo permiſſæ videntur ibid.
Aromata puriſſimum æthereum oleum per deſtillationem largiuntur & cur 78.
Arſenici effectus in corpus 136. quomodo compeſcendus ibid.
Arthritis a plethora ſæpe fovetur 61. non raro leni emetico præcavetur 144. & venæſectione 61.
Aſari folia & radices recentes per inferiora & ſuperiora operantur 134.
Aſthma infantum a lacte in primis viis acceſcente ſæpe originem ducit 139. leni emetico ſæpe tollitur ibid.
Atrophia in ſenili ætate unde 44. in infantili unde 18.
Augſter uvæ in Hungaria optimæ 31. unde nomen ibid. colliguntur extra maturationis tempus ibid. muſtum ex his paratum ab incolis eſſenz vocatur ib.
Aures a cerumine purgare convenit 148.
Aurora cur Muſis amica. 184.
Aurum eſt per ſe fixiſſimum & graviſſimum 123. ſolutum & cum variis ſalibus commixtum alvum ſtimulat 400. ex auro præparata 124. tutiora ſunt liquida quam ſicca & cur ibid.
Auri fulminantis virtus unde 184. non ſufficienter edulcoratum magis purgat quam ab omni ſalino contagio elotum ibid.
Ausbruch vinum in Hungaria creſcit 30. ex uvis ſelectioribus & quomodo præparatur 31. dulcedinem ſuam ſervat 32. virtutes ejus ibid.
Automa unde motum 3.
Axungiæ in quibus morbis conveniunt & quæ 172.

B

Balnea noſtris regionibus ſenibus minus tuta ſunt 50 quando autem conveniant ibid.
Balſamum quid 72 unde nomen ibid. variæ ejus acceptiones 73 cadavera a corruptione defendit 72 quali veteres ad balſamanda corpora uſi ſunt 73
— de Copaiva 72 duplex eſt 75 differt a balſamo Peruviano ibid.
— Locatelli deſcribitur 82
— Hiſpanicum quomodo præparetur 87
— Peruvianum eſt naturale 73 quid ſit 78 ejus locus natalis 74 ipſius arbor deſcribitur 75 modus colligendi duplici modo fit ibidem, vel inciſione ubi ex arbore effluit album, ibidem, vel coctione ubi nigrum evadit ibidem, hinc album nigro eſt carius ibidem, differt a balſamo de copaiva ibidem, a balſamo de Tolu ibidem, ſapor ejus acris eſt & amaricans 76 odor ſuavis & fragans ibid. album in officina nunquam purum eſt & cur ibidem, nigrum cur non poſſit adulterari ibidem, experimenta cum ipſo inſtituta ibidem, acidum ipſi ſufficiens deeſt quod probatur 77 quomodo ejus oleum obtineri poteſt ibidem, quod duplex largitur 78 ingreditur balſamum apoplecticum 81 balſamum pectorale 79 ſyrupum Conerdingii 80 per ſe nimis calidum eſt 74 hinc in pectoris adfectibus miſcetur cum balſamo Locatelli ibid. commendatur in gonorrhœa 79 fluore albo ibidem, in adfectibus ſpaſmodicis ibidem, in lue venerea & ſcorbuto 80 in vitiis ventriculi & in inteſtinorum 81 ſuffimigium etiam præbet in coryza ibid. ejus eſſentia cum eſſentia myrrhæ mixta vulnerarium præſtantiſſimum præbet ibidem, uſus ejus noxius notatur ibid.
— ſulphuris quomodo præparetur 87 caute phthiſicis exhibendum 85
Balſamum ſulphuris antimonialis præparatio 80
— de Tolu locus natalis 75 differt a balſamo Peruviano ibid.
ejus color & ſapor ibid.
Baſilici herba in adfectibus capitis convenit 170
Benzoes flores quomodo conficiantur 155 ſternutatorium habent uſum 84 cum extracto decocti ligni quajaci alvum & nares ſtimulant 131
Bilis multum ad conſervationem motus periſtaltici confert 122 ejus defectus alvum tardiorem efficit ibidem, per iram effuſa & ſtagnans ad lentas febres diſponit 141
Borborygmi a nimia aciditate ciborum ſæpe proveniunt 17
Bovis cornu in epilepſia prædicatur 15
Butyrum antimonii quid? & ejus elementa 207 in eo ſpiritus ſalis, non vitrioli continetur ibidem, quantum de ſale acido, quantum de Mercurio vitæ illi inſit 208 quare in deſtillatione indureſcat ibidem, & aeri commiſſum liqueſcat ibidem, nulla eget rectificatione ibidem, ejus uſus internus ibidem, externus quibus morbis juvet ibidem, ex eo oleum rubicundum Baſilii Valentini ibid. interdum non efferveſcit cum ſpiritu nitri 210

C

Cachexia a plethora ſæpenumero oritur 62 quomodo tollatur ibid.
Calculus quomodo generetur 62 ſenibus familiaris 45 ex copia ſanguinis plerumque provenit 62 venæſectione arcetur ibid.
Calor in quo conſiſtat 116 quid efficiat in corpore noſtro 58 naturalis ſolis quam maxime ſenibus conducit 49
Cachochymia ſenibus familiaris & cur 45
Calcinatio philoſophica quæ dicatur 116
Camphora eſt vel nativa vel factitia 100 ejus origo & ſolum natale ibid. a veteribus falſo pro reſina habita ibidem, a recentioribus pro ſale volatili oleoſo ibidem, nos vero pro oleo volatili id quod etiam experimentis probamus 101 differt ab aliis oleis æthereis 102 præ aliis deſtillatis tenuiores ſulphureas inflammabiles habet ibid.

ma-

maximum eſt diſcutiens 163 cur veteres interne non præſcripſerint ib. quid ejus evaporationem impediat 102 prodeſt in tumoribus & inflammationibus 103 dolores & anguſtias an producat 104 an venerem extinguat 105 convenit in morbis contagioſis & malignis ibid. in ſphacelo ibid. in peſte 107 in gonorrhœa & lue venerea ibid. in hæmorrhagiis quando febres malignæ junctæ 109 in hæmoptyſi ib. in flatibus diſcutiendis & aliis hujus generis ſymptomatibus ibid. in ſanguineis excretionibus promovendis 110 in veſicæ adfectibus ibid.
Cancroſæ exulcerationes cur ſenibus familiares 45
Cantharides cum camphora mixtæ in gonorrhœa virulenta commendantur 110 cautelæ circa uſum ibid.
Cantores ad quos morbos diſpoſiti 28
Caput cur a frigore defendendum 183
Cardialgia unde natales ſuos habeat 142 infantilis ſæpe emetico tollitur ibid.
Carnes animantium nutrientes ſæpe nocent 18 præſertim in malignis & acutis morbis & cur ibid. nimis ſalitæ ſenilem ſanitatem deſtruunt 47
-- bovinæ facile in ventriculo ſolvuntur 7
-- ſuillæ maximam cum humana habent convenientiam 9 glutinoſum habent ſuccum hinc valde nutriunt ib. crebrius commeſti ad cacochymiam diſponunt 24 & infirmioribus & cachecticis nocent 10
Caſeus ſenibus nocet & cur 48
Caſtoreum in paſſione hyſterica laudatur 173
Catarrhales defluxiones ſenibus familiares 43
Catarrhus ſuffocativus ſæpe ſcenam ludit in ſenibus 43
Centaurii minoris eſſentia & extractum tutiſſima alvi ſtimulantia ſunt . 131
Cephalalgia a plethora ſæpe oritur 20 & præſertim a conſueta narium hæmorrhagia ſuppreſſa 57
Ceresiæ vetuſtiores ſenibus ſunt vitandæ & cur 48 ut & recentiores 51 quænam iis conducunt ibid.
Chærefolium in ſemine conſtitutum deſtillatione dat oleum viridiuſculum 97
Chamomilla vulgaris fere ſimiles cum millefolio recondit vires 96 hinc in variis adfectionibus cum eo conjungitur ib. ventriculo amica eſt ibid. longe tutius febres quam cortex chinæ compeſcit ibid.
-- Romana largitur ſua deſtillatione flavum oleum 97
China chinæ deſtillata ſuam virtutem amittit febrifugam 179
Cholera a dulcibus & fructibus nimium ingeſtis ſæpe oritur 23
Cholerici cur a purgantibus celeriorem ſentiant effectum 122
Cibi avide excepti multorum morborum cauſſa ſunt 17 nimium ingeſti ſanitati ſunt infenſi & cur 6 ſenum præſertim 47 et imbecillium 7 nutrientes in febribus acutis et continuis fugere decet 18 quinam proſint mentis actionibus 185
Cinamomum oleum aurei coloris ſub deſtillatione fundit 97
Cinnabaris Antimonii eſt vel nativa, vel artificialis 196 Artificialis inventio ibid. ejus uſus internus ib. vulgaris præparatio ſingularis 197 Solaris artificialis ib. diſtillata cum Mercurio ſublimato 202 eſt Mercurius ſaltim larvatus 203 quomodo conficienda ib. quando ignis fortis ad ſublimandam cinnabarim debeat admoveri ib. optimus modus cinnabarim diſtillandi igne aperto 204 ſingularia phœnomena in confectione cinnabaris occurrentia 205 ejus deſcriptio 211 ejus præparationis fundamentum ib. elementa ib. quantum de Mercurio participet ib. ejus diverſæ præparationes 212 unde et color purpureus 213 quænam medicamenta e cinnabari præparentur 214 ejus rectificatio quomodo inſtituenda ib. ejus fixatio 216 poteſt reſuſcitari, et quare? ib. quid de tinctura cinnabaris 217 ejus tinctura volatilis ib. quomodo agat, ac ejus vires generales 218 quomodo omnes morbos poſſit curare 220 eſt panacea et cur 221 ejus vires ſpeciales, et varia medicamenta interna, et externa 222 uſus ejus inter vomitoria, purgantia, ſudorifera, diuretica, et ſalivam moventia ib. medetur febribus ib. variolis, morbillis, febribus malignis 223 ſolatur capitis affectus omnes ib. item tuſſim, et phthiſim ib. pleuritidem, et cordis affectus ib. ſingultum, vomitum, cardialgiam 224 hypochondriacum affectum, et ſcorbutum ib. diarrhœam & dyſenteriam ibid. præſentiſſimus ejus uſus in calculo ib. item in colica paſſione hyſterica ib. partum ſecundat 225 putredini, peſti, lumbrici reſiſtit ib. in ſcabie,

bie, lue venerea, gonorrhæa dextre adhibetur ib. ejus uſus externus ib.
Circulus ſanguinis a plethora redditur difficilis 58 in ſenibus eſt tardus 44
Cœliaca paſſio ſenibus infenſa & cur 45
Coffee potus ſenibus confert 52 ejus noxa 69
Colophonium eſt caput mortuum terebinthinæ 84 deſtillatum oleum ſpiſſum aere & empireumaticum fundit ibid.
Conerdingiana Panacea quid ſit 164 ejuſque uſus ibid.
Contrayerræ quid in his conducat 178
Cornu cervi raſuræ decoctum in infantum morbis convenit 174
Coryza ſenes quam maxime infeſtat 43 et cur 44 quo ſternutatorio debellanda & quando 157
Cuprum vim draſticam habet 125 ex eo præpara ſunt emetica & cur ibid. circa ejus præpationem & uſum quid tenendum ib.
Curſores quibus morbis patent 28
Cutis ſicca & arida in ſenibus multorum morborum cauſſa 45
Cynosbati radix in morſu canis rabidi laudatur 170

D

Decoctum antimonii et ejus virtutes 199
Diæta exquiſita ad ſanitatem neceſſaria 41 veteres et magis quam medicamentis curarunt 19 carnoſa puerpetis diſſuadenda 18
Diaphoretica ſecuta ſunt remedia 168
Digeſtio ciborum poſt prægreſſos morbos facile deſtruitur 141
ul cia in ventriculo facile in fermentationem abeunt 25 humores glutinoſos ac viſcidos reddunt ibid. jejuno ventriculo ſumta appetitum deſtruunt ib.d. ſanos non facile lædunt 24 in infantibus generationi favent vermium 25 hypochondriacis et ſenibus nocent 48 in morbis pectoris an proficua 26
Dyſenteria quando lethalis 141 quid in initio faciendum ibid. vomitu ſæpe tollitur 140

E

Elixir proprietatis Paracelſi alvum movet 127
Emetica præſertim antimonialia ſummam partium fovent tenuitatem 132 hinc cauſe danda ibid. vim ſuam maxime in ventriculo et inteſtinis exſerunt 135 quomodo agant ibid. clementiora quæ veterum emetica quænam ſunt 136 ventriculum deplent et motum excretorium juvant ibid. activæ indolis chymica et mineralia quænam concitant mala ibid. adverſus venena et narcotica optima ſunt medicina 137 id quod probatur 138 proſunt in lacte ventriculo coagulato eliminando ibid. inter initia in morbis contagioſis 139 in dyſenteriis et diarrhœis et quæ 140 in morbis ex colluvie vitioſorum humorum 141 in morbis infantum 142 quartana et hydrope 143 in rheumatiſmis et eryſipelatis et arthritidis ſpeciebus 144 ſæpe mortuum fœtum promovent et partum facilitant ibid. ad præſervationem morborum commendantur 145 caute cum his mercandum ibid. in ipſa acceſſione et vigore morborum 146 in hypochondriacis et congeſtionibus ſanguinis ad caput 147 vegetabilia fortiora et mineralia in forma liquida melius propinantur ibid. quid in et poſt eorum uſum tenendum ibid.
Epilepſia ſpaſmus univerſalis eſt 175 quomodo a ſternutatione differat 136 unde ſæpenumero oriatur 80 quid in habituali conveniat 178
Errhina ſale volatili acri ſulphureo 154 alcalinæ magis quam acidæ ſunt naturæ ibid.
Eruditi capitis debilitati obnoxii ſunt 28
Eryſipelas ſenes ſæpe infeſtat ab ira ſæpe excitatur 46
Eſſentia dulcis in diſpoſitis fortiter purgat 124
Evacuantium medicamentorum virtus 169

F

Fabæ ſenibus nocent 47
Fabri murarii quibus morbi obnoxii 28
Feces albæ a defectu bilis oriuntur 22 in ſenibus frequentes 45
Fel catelli lactantis in epilepſia laudatur 172
Fermentatio quid 37 omnis ſalifica eſt 199
Fixitas corporum unde 166
Fixum quid ſit 166 quomodo poſſit operari in corpus 168

Flamma, ejus natura in fermentatione conſiſtit 197.
Flatus a nimia aciditate ſæpe ingenerantur 17. inducentia ipſos ſenibus ſunt fugienda 47.
Fluiditas in quo conſiſtat 116.
Fœtor unde 76.
Fetus mortuus quibus remediis pellendus 178.
Frictio motus vices ſupplet 50. cur mane prodeſt. 148.
Frigus ſenibus cur infenſum 46. & quæ ſuſcitet mala ibid.
Frumenta quænam nobiliorem & copioſiorem dent farinam 34.

G.

Geſtatio in lectica imbecillimis quam maxime conducibilis 65 hinc ſenibus a Celſo commendatur ibid.
Glauberi Panaceæ præparandi modus & uſus 164.
Gravidæ ordinario plethoricæ ſunt 60. quibus adfectibus obnoxiæ ibid.
Gummata fere omnia ſale quodam acri prædita ſunt 87. quænam alvum ſtimulant 130.
Gummi guttæ per inferiora & ſuperiora operatur 134. cum aqua decoctum virtutem amittit catharcticam ibid.
Gutta ſerena per leniora ſæpe ſternutatoria tollitur 157.

H.

Hæmorrhagia narium a ſpaſmis provenit 175. puerili ætati familiaris 20. quibus remediis ſiſtenda 176.
Hæmoptyſis in quo conſiſtat 62. a plethora oritur 20. ſed non ſemper 65. venæſectione præcavetur 62.
Hæmorrhoides vitæ ſedentariæ deditis familiares 28. nephriticis ſalutares 61.
-- ſuppreſſæ varia inducunt ſymptomata 37. mictu cruentum 45. calculum ibid.
Halec alvum movet 126.
Helleborus albus emeſin excitat 134. non correctus inſtar veneni eſt ibid.
Hemicrania a plethora ſæpe mutuatur natales 20.
Hepar multis vaſculis capillaribus præditum eſt 25. hinc infarctibus obnoxium ibid.
Herbæ earum vires non ex ſignaturis cognoſcendæ 92. multum autem ex guſtu & odoratu 93. quo loco ſint ſiccandæ 115.
Hilaritas multum facit ad ſanitatem 4. ſenibus præcipue ſalutaris 48.
Hippopotami dens ad dyſenteriam commendatur 172.
Horæi fructus ſenibus minus ſalutares 47.
Horminum in malo hyſterico convenit 170.
Hungaria in duas dividitur partes 29. ad vina generoſa proferenda eſt idonea 32. ejus incolæ parum vini ſpirituoſi bibunt & cur 30.
Hydragyrum purum omnis violentiæ expers eſt 126. ſed quando idid.
Hydrops a plethora ſæpe inducitur 61. & proxime a ſanguine in viſceribus ſtagnante 20. qui ei obnoxii 61. quando curationem admittit 143. ſæpe emetico tollitur 144.
Hyoſcyami ſemen quibus morbis conducit 171.
Hypochondriacum malum quos præſertim invadat 68. an venæſectio in hoc conducat ibid. eo laborantes lac ferre non poſſunt 139. in eorum ventriculo alimenta inſipida facile acceſcunt & cur 22.
Hyſſopi oleum in pectoris adfectibus prodeſt 170.
Hyſterica paſſio ſpaſmis quam maxime adſcribenda 176 a vini Rhenani uſu non raro increſcit 27.

I.

Icterus qnomodo generetur 142. emetico ſæpe tollitur 143.
Inauratores ſpaſmodicis morbis obnoxii 28
Infuſum quid 112.
Ingenia differunt pro diverſitate alimentorum. 185.
Ingeſta in copia ſumta alvum movent 102.
Intermittentes febres; ante earum paroxyſmum emetica non ſunt exhibenda 146.
Invidia corpus humanum conſumit 5.
Ipecacoanna antidyſentericum eſt remedium 140. in icteri initio laudatur 143. pulveriſata & diu aeri liberiori expoſita ſuam perdit virtutem 134.
Ira eſt peſtis corporis 5. hæmorrhagias ſæpe ſuſcitat ibid. & quæ alia mala 64.
Iuſcula ſenibus commendantur & quæ 8.
Lac animantium optime nutrit 19. quibus convenit 142. in ventriculo largiter ſumtũ corroſivam ſæpe induit naturam ibid.

Lætitia multum ad ſanitatem confert 8
Lectio clara ſenibus tanquam motus ſpecies convenit 49
Legumina craſſium ingenerant ſanguinem 21
Lenta febris a venæſectione improvida & emmenagogorum uſu ſæpe producitur 67
Leporis oculi exſiccati ad partum difficilem laudantur 174
Lepra a ſalitorum nimio uſu ſæpe inducitur 24
Leucophlegmatia a ſanguine in viſceribus ſtagnante provenit 20
Lien ex innumeris vaſculis capillaribus eſt conſtructus 25 hinc obſtructionibus patet ibid.
Litteratus eget Medici præceptis & quare 180 per diætam & Medicinam poteſt reddi ſapientior 184 cibis tenerioribus opus habet ibid.
Longævitas laborioſis unde 12
Lotrices ad quos morbos diſpoſitæ 28
Lumbrici terreſtres exſiccati in epilepſia & arthritide expertæ ſunt virtutis 173

M

Malignæ febres earum natura in putredine conſiſtit 8
Maraſmus a plethora ſæpe oritur 62 hinc venæſectione præcavetur ibid.
Marchionis pulveris virtus unde 171
Martialia non ſemper ſedes movent 125
Martis limatura caute eſt præſcribenda 125
-- Tinctura ex Silleſia allata quomodo exhibenda 125
-- vitriolum alvum movet ibid.
Materia perlata Krugneri unde virtutem ſuam habeat 162
Mecoacannæ albæ pulvis cum oleo fragrante errhinum eſt 156
Medicamenta in tres dividuntur claſſes 169 vel materiam vel motum reſpiciunt ibid. duplici agunt principio 176 per ſe & abſolute ſalutaria vel minus ſalutaria dici non poſſunt 14 ſecura quæ 104 inſecura ibid. ſpecifica quæ 169 activa quænam ſunt & quomodo agant 134 eorum effectus quomodo explorandus 118
Medicina quid 54
Medici officium 131
Mel ventriculo nocet 26
Menſes quibus remediis provocandi 66 quibus ſymptomatibus ſeſe manifeſtant ibid. ſuppreſſi varia concitant mala 61 quibus præcavendi ibid. & quibus remediis revocandi 67
Mentha in ſingultu & aliis hujus generis adfectibus convenit 170 externe colicis doloribus medetur ibid.
Mercurius friabilia reddit metalla 62
Mercurium antimonii eſt ens chymicum 118 non derivandus a Mercurio vulgi ibid. neque perſonata ſulphuris larva eſt ibid. non facile redigi poteſt in minerale ibid. ejus præparatio ibid. vulgaris deſcriptio 199 Mercurii ſublimati genium ibid. vulgaris quid ibid. Mercurius de Mercurio quid 200 Philoſophicus quid ibid. Mercurius Cinnabaris cur præferendus Mercurio vulgi 205 ejus uſus medicus 206 cur purior ſit Mercurio vivo ibid. Mercurius vitæ eſt naturæ antimonialis 207 unde ei nomen enatum ibid. ejus albedo unde ibid. ejus præparatio 209 quomodo fortior in operando reddatur ibid. unde ejus virtus emetica ib. ejus correctio ib. purgans ibid. ex eo tinctura antimonii 210 & arcanum tartari purgans ib. item Bezoard. minerale ibid. Mercurius ſublimatus quomodo dulcis putetur 211 quid obſervandum in reſuſcitatione Mercurii 212 Mercurius cinnabaris quomodo præparandus 217 Dulcis ſolaris ibid.
Metalla mutuum habent conſymboliſmum 125 eorum tinctura quomodo præparetur 133
Mictus cruentus cur ſenibus familiaris 45
Milites quibus morbis obnoxii 28 & unde ipſi oriantur 64
Millefolii variæ ſunt ſpecies 91 denominationis ratio ibid. cur diu florent 92 flores deſcribuntur ibid. vi anodyna gaudet 93 ſapore amaricante ibid. experimenta cum ipſo inſtituta 98 deſtillatum ſaphirinum præbet oleum penetrantis, ſaporis & odoris vaporoſi ibid. extractum gaudet virtute antiſpaſmodica ibidem, ejus ſal amaricantis eſt ſaporis 123
-- aqua febrium paroxyſmos cohibet ibidem, infuſum vel eſſentia in doloribus prodeſt 34 in calculi doloribus ibid. herba cum butyro inſulſo frixa in odontalgia ibidem, in nimiis ſanguinis pro-

profuſionibus 95 antepileptica gaudet virtute ibid. in ſpaſmis a vermibus egregiæ eſt virtutis ibid. abortum arcet ibid. decoctum in vomitu laudatur ibid. in malo hypochondriaco ibid. in ulcere pulmonum 96 in læſionibus & exulcerationibus poſt dyſenteriam in clyſtere ibid. in tumoribus & inflammationibus diſcutiendis 97 in tumore ſcroti venereo ibid. vulnera recentia purificat & conſolidat herba contuſa in carbunculis commendatur ibid.
Mœror eſt maximum corporis tormentum 5
Monkii pulvis emeticus ex quibus præparetur
Morbi plurimi ab obſtructionibus oriuntur 115 contagioſi quomodo operantur 139 vomitorio ſæpe feliciſſime arcentur 140 populares unde 64
Mors in quo conſiſtat 2 ſubita unde 60
Moſchus vim antepilepticam poſſidet 173
Motus ad ſanitatem conſervandam conducit 12 ſenibus convenit 49 & qui ibid. vehemens corpus extenuat 68
Mucus ſternutatione prolectus non e cerebro 150 & unde 152
Muſtum deſtillatum quid largiatur 37
Mutatio ſubita ſenibus infenſa 46

N

Narcotica quæ 138 quomodo agant 118
Narium ſtructura conſideratur 150
Natura duobus maxime in mixtione gaudet principiis ſale & ſulphure 93 ejus diverſitas diverſa in corpore humano poſtulat alimenta 40
Nauſea gravidarum quomodo tollenda 36
Nitrum alvum ducit 127 ut & ejus ſpiritus 128
Nox cur ad ſpeculandum inidonea 183
Nuciſtæ oleum quibus morbis conducat 171

O

Oculi per nares purgantur 157 hinc ſternutatoria ſæpe conducunt ibid. mane cum aqua frigida utiliter terguntur 148 quid in variis adfectibus profit. 156
Odontalgia a plethora ſæpe oritur 20
Odoratus quomodo fiat 152 ſubjectum ibid.
Odor petitur a ſulphure 76 ſuavis a mixtura pendet. ibid.
Olea omnia deſtillata ſanguinis maſſam exagitant 102
Opiata nihil virulenti & acris in ſe continent 137 & vomitum ſiſtunt & protitant 137 & quomodo ibid.
Opobalſamum quid 74 ejus arbor & colligendi modus deſcribitur ibid. ſaporis acris & amaricantis eſt 76 quodnam artificiale ibid.
Origani oleum in dolore dentium prædicatur 170
Oris elutiones cum aqua ſimplici conveniunt 178
Othalgia a plethora ſæpe oritur 20
Ova ad duritiem cocta ſenibus ſunt inimica 47 ſorbilia ſanis optimum præbent nutrimentum 26

P

Panis ex frumentis inter optima refertur nutrimenta 8
Paralyſis ſæpe numero a tono dejecto & laxitate oritur 80 invadit præſertim ſenes 42
Perſpiratio libera excretionum ſaluberrima 45 in ſenibus non rite procedit ibid. prohibita varia inducit mala ibid.
Peſtis invadens emetico ſæpe tollitur 140
Petroſelinum florens & in ſemine conſtitutum deſtillatum viridiuſculum largitur oleum 97
Phthiſis quibus ſignis ſe prodat 62 & quibus remediis ſæpe tollatur ibid.
Phyſica medicis eſt neceſſaria 29
Pictores ſpaſmodicis morbis infeſtantur & quibus 28
Pini in noſtris terris terebinthinaceum reddunt liquorem 83
Piſces reſpectu aquarum quinam ſalutares 8 non facile putreſcunt ibid. nimis ſaliti & indurati vetuſtiores ſenibus nocent 47 in morbis malignis concedendæ 8
Piſa ſenes fugere debent 47
Pix quomodo conficiatur 85
Plantæ pro varietate locorum virtutibus variant 93 quænam alvum movent 129 pinguibus locis creſcentes qualem virtutem habent 53 in montuoſis locis ſaluberrimæ 34

Plethora in quibus ſubjectis quam maxime fiat 20. quibus ſignis ſe prodat ibid. ejus cauſſæ ibid. multorum morborum cauſſa ibid. ſed non omnium 64 gravidis familiaris 60. hinc ad abortum & alia incommoda diſponit ibid. ad polypos ibid. ad calculum 62. ad cachexiam ib. abſtinentia & victu tenui imminuitur 59. & veneſectione 57
Pocula emetica quomodo conficiantur 133
Pœonia in epilepſia prædicatur 171
Polypus ſæpe ſubitæ mortis cauſa 60. qui maxime ei patent ib.
Potus calidus quid in corpore efficiat 92 frigidus in corpus calefactum ingeſtus funeſtas concitat inflammationes 27 femellis menſtruatis nocet ib.
Præceptor optimus quis 180
Primulæ veris in quibus adfectibus conveniunt 171
Puerperæ a carnoſa diæta abſtinere debent 18
Purgantia agunt principio ſalino & quo 122 ſalibus additis acuuntur 127. non proprie & immediate ſedes movent 122 ex vegetabilibus recentibus per ſuperiora & inferiora operantur 130. ante vel poſt cibum data proſunt 122. in quibus & quando difficile operentur ibid.
Purgatio ſub fluida tempeſtate cur facilis 122
Purpura cur noſtris temporibus frequens 70 in puerperio unde 60
Pythagorei quare abſtinebant a fabis 185

Q

Quajacum lignum valde reſinoſum eſt 78 raſpatura cocta & inſpiſſata reſinoſum magma relinquit ibid. quod eſt magnum ſternutatorium. 155
Quartana contumax hepatis vitio debetur 143 emetico tollitur ibid.

R

Ranunculi eſculenti aqua in aſthmate ſicco commendatur 170
Regulus antimonii cujus indolis. 199 ejus præparatio. 203 tum ſublimato non dat Cinnabarin. 212
Res non naturales quæ 3 harum legitimus uſus vitam ac ſanitatem conſervat ibid.
Reſinæ ex tenui ſubtili oleo & acido conſtant 84 id quod experimentis probatur ibid. tuſſiculam concitare ſolent & quomodo 76
Reſpiratio difficilis in variolis & morbillis unde 142
Rhabarbarum infuſum alvum ducit 131 laxantem virtutem magis exſerit infuſum quam coctum 112
Roſarum flores deſtillati quale largiuntur oleum 101
Roſmarinus deſtillatus qualem largiatur aquam 97
Ruricolæ cur firmiore gaudeant ſanitate. 184

S

Sal quid ſit 176. differt a ſulphure & quomodo ibid. in corporibus exiſtens ſapore dijudicatur 93 ex alumine paratum purgans febrifugum eſt 127
-- commune eſt ciborum condimentum 24 digeſtionem promovet ibid. alvum ducit 126 in copia ſumtum nocet 24 in clyſtere cætera antecellit 96 an inſit in antimonio 199.
Salia omnia neutra ſedes movent 127 cauſtica ex animali regno diuretica ſunt 123 volatilia animantibus formaliter non inexiſtunt 177 virtute purgante deſtituuntur & cur 123
Salivæ defectus digeſtionem impedit 159
Salvia recens deſtillata aquam viridem largitur 97 oleum in quibus morbis conducat 170
Sambucis cortex medius recens per inferiora & ſuperiora operatur 134
Sanguis quid 8. a continuo motu rubicundus fit ib. quando vitæ theſaurus dicendus 56. duplici ratione bonus dicitur 58. amiſſus non ſemper corpus debilitat 56. e vena emiſſus ſtatim coagulatur & cur 10 plethoricorum qualis 58. a leguminoſis ſpiſſeſcit 13 a continuo mœrore 58 animalium eſus cur interdictus 9
-- aſininus contra maniam prædicatur 172
Sanitas in quo conſiſtat 49 ex quo cognoſcenda 2 accurata diæta conſervatur 1

Santalum flavum deſtillatum balſamum largitur & quod 79
Sapientia in medendo quænam prima 45. vera quid. 179
Saturnina alvum movent & quando 126
Scorbutus in ſeptentrionalibus locis endemius 24
a plethora ſæpe oritur 65
qui ei obnoxii 61
Sect eſt vinum Hiſpanicum 5
quomodo præparetur 37
Selterani fontes ſenibus conducunt 52
Semina vegetabilium quæ habent principia 8 trita lacteum liquorum fundunt ibid.
Senectus in tres dividitur periodos 41
ſæpe ante tempus ingruit 42
Senes qui ſunt 42. quam maxime plethorici ſunt 62 hinc morboſi ibid.
æſtate optime valent 46
Sennæ folia infuſa melius operantur quam cocta 112
Seſſio corpori nocet, ingenii functionibus favet. 190
Sol cur in quibuſdam ſubjectis ſternutationem concitet 153
Solidæ partes juxta ætates valde differunt 44 in annoſioribus valde duræ & rigidæ ſunt ibid.
Somnus ad vitam & ſanitatem multum confert 12 præprimis vero ſenum 50
reſarcit enim vires deperditas 13
poſt cœnam digeſtionem ſecundat 51
ejus defectus ab triſtitia ſæpe venit 46
Spaſmus quid 174 ejus ſubjectum ibid.
cauſſa inæqualis ſanguinis circuitus 126
Specifica quæ 169. caute cum his mercandum 179
Sphacelus cur ſenibus familiaris 45
in ventriculo a potu frigido ſæpe excitatur. 27
Spiritus Tartari volatilis rubicundus. 198
ſalis quid. 201
Stannum virtute laxante & anthelmintica pollet. 126
Stannarii quibus morbis patent 28
Sternutatio quid 149 epilepſia parva a veteribus dicta ibid.
ejus natura 152 ſedes & ſubjectum ibid.
cauſſa 153. materia ibid.
quando ſignum reconvaleſcentiæ 149
quando mali ominis. 160
Sternutatoria ſale volatili atri ſulphureo pollent 153 quorum naturæ ibid.
quando conducant 156
Sternutatorii pulveres quid ſint 149
quomodo præparentur in Hiſpania 154
ſeroſitates ab aliis partibus abducunt 159 medicæ præparationes variæ 155
balſamici in aurium vitiis conveniunt 157 fœtorem & polypum narium præſervant ibid. ulcera narium in ſcorbuto & lue venerea ibid. ad memoriæ & prudentiam conferunt 158
eorum abuſus exſiccat nares ibid.
loquelam impedit 159 in narium hæmorrhagiis nocet ibid. ebrioſis ibid.
cautelæ circa horum uſum 160
Stomachicum Poterii unde virtutem nanciſcatur 162
Strepitus in ſternutatione unde 153
Structura corporis multum facit ad longævitatem 42
Succolade ſenibus conducit 52
Sulphur facile cum metallis congreditur 162 quomodo arte parari poſſit 90
quomodo in corporibus cognoſcendum 93 ex mineralibus non adeo forti igni obſecundat 167 quomodo figi poſſit ibid.
Sulphur quid? 197
Sulphura antimonii inflammabilia. ib.
Sulphuris matrix eſt ſal acidum & alcali. ibid.
Sulphura gaudent rubedine. 198
-- Auratum quid 164
Sulphuris hepar ex quo conſtet 163

T

Tabacus princeps eſt ingrediens pulverum ptarmicorum 154
an ſugentium cerebri anteriora ſicca & fumo nigro infecta ſunt 150
Tartarus emeticus quomodo præparatur 153
Terebinthina quid 82 variæ ejus ſpecies ibid. Cypria pretioſiſſima ibid. a qua terra profertur ibid.
correctione opus non habet 84 Venета 83. ubi creſcat ibid.
adulterata quomodo cognoſcenda ibid.
correctione non eget 84
communis 83 qui locus ejus natalis ibid. corrigi debet cur & quomodo 84
ſed non ſemper ibid. experimenta

cum ipſa inſtituta ibid. ſeq. purgantis virtutis eſt 87. variæ ex ea proſtant compoſitiones ut pilulæ in gonorrhœa 86. Becherianas ingreditur ibid. ejus aqua contra gonorrhœam ibid. aquas nephriticas ibid. aquam Anhaltinam ibid. balſamum Hiſpanicum ibid. balſamum Locatelli 87 omnia fere chirurgorum emplaſtra ibid. & commendatur in cutis deſœdationibus ibid. in adfectibus renum & veſicæ 88 in thoracis morbis ibid. in gonorrhœa & fluore albo ibid. nocet in ventriculi debilitate 89 ejus ſpiritus caute eſt adhibendus ib. in contractionibus laudatur ib. & cum ſpiritu vini mixtus ad ulcera cacoethica & carnem ſuperfluam abſumendam commendatur ib.

Thee herba multas alcalinas partes fovet 114 cocta minus grata eſt & adſtringit 112. infuſum ſomnum diſſipat 117 ejus noxa 114

Thermæ unde virtutem ſuam petant 34 an ſenibus proficuæ 52 arte quoque parari poſſunt & quomodo 129

Tiliæ flores infuſi quibus proſint morbis 170

Tonus unde 44

Tranquillitas animi confert ad ſanitatem 4. ſtudioſis commendanda 191

Tranſpiratio liberior omnium excretionum optima 36

Triſtitia vires proſternit 46 & varia inducit ſymptomata 5

Tuſſis ſenibus familiaris 43 infantilis a retenta lactis copia ſæpe oritur 142 emetico ſæpe tollitur 41

V

Valeriana ſylveſtris in epilepſia commendatur 170

Vegetabilia unde ſpecificam ſuam virtutem petant 177 quænam alvum ducunt 130

Venæſectio quem habeat effectum in ſanguinem 70 a veteribus contenta & cur 55 a recentioribus ibid. corpus non debilitat 56 nec prima a morte vindicat 57 genuina ejus ratio in quo conſiſtat 70 plethoram imminuit 57 neglecta apoplexiam ſæpe concitat 57 morbos arcet & tollit 60 polypum ibid. inflammationes & morbos acutos ibid. abortum & reliquos gravidarum adfectus ibid. morbos ex menſium ſuppreſſione aut ceſſatione 62 dolores ex calculo ibid. cachexiam & phthiſin ibid. in ſenili ætate convenit ibid. nocet in militum morbis caſtrenſibus 64 in pathematibus ab ira ibid. in vitio digeſtionis a morbis prægreſſis ibid. in morbis a potu frigido 65 in morbis a defectu ſpirituaſcentiæ ſuccorum ibid. caute cum ea mercandum 69 indiſcretim enim inſtituta ſæpe nocet 66 & crebra 69 hinc caute inſtituenda in podagra 70 in menſium ſuppreſſione 70 in hyſterico malo 68 quando in ſpaſmis utilis 69 in intermittentibus an conveniat 65 an in morbis ex hæmorrhoidibus 68 cautelæ circa hanc recenſentur 71

Ventriculus ſuum in ſenectute perdit robur 47 ejus ſphacelus ac inflammatio ſæpe a potu frigido excitatur 27

Venus moderata a Deo permiſſa 13. ſenibus eſt infenſa 46 vires labefactat 13

Veronica quid ſit 112 decoqui non debet ſed infundi ibid. ſeq. chymice examinatur 113 ejus terreſtres partes non facile aquam intrant 114 infuſa quid largiatur 115 ratione volatilium particularum in corpore quid præſtet ibid. quid ratione alcalinarum & ſalinarum ibid. quid ratione terreſtrium 115 quid ratione aquæ calidæ ibid. digeſtionem promovet 118 phthiſicis confert 119 aſthmaticis ibid. ſanguinem purificat ibid. hinc in ſcabie laudatur ibid. in calculo ibid. in quartana & tertiana etiam prodeſt ſtatim poſt paroxyſmum pota 118 aqua hecticis eſt ſolatio 119

Vertigo ſenibus familiaris 42

Veſicæ vitia ſenibus quam maxime infeſtant 45

Victus craſſus cur imbecillibus & quietis noceat. 185

Vigiliæ nimiæ noxam corpori inferunt 13. 190

Vigor unde 44

Vinum ejus diverſitas a ſolis calore 33 & ſolo natali ibid. quodnam optimum

mum 35 in montibus fluviis vicinis ſalubre ibid.
auſterum ſenibus vitandum 48
quod ipſis eligendum 51 ſpirituoſum varia concitat mala 27
-- aduſtum cur naturæ inimicum 28 ejus potatores quibus morbis obnoxii ibid. ſectio eo abutentium anatomica ibid.
-- Gallica ſenibus vitanda 48
-- Goldbergenſia cur reliqua antecedunt 29
-- Græca cur diu non ſervent dulcedinem 37
-- Hiſpanica diu non ſervant dulcedinem ibid.
-- Hungarica variæ dantur ſpecies & præparationes 31 celebria unde præſtantiam ſuam nanciſcantur 34. diuturnitate fortiora evadunt 32. nullum fere acidum in ſe recondunt 36 ſervant dulcedinem ſuam 39. genuinorum indicium 40 quomodo adulterentur ibid. diaphoretica alia antecellunt virtute 88 moderate hauſta chyloſum ſuccum ac temperarum ingenerant 38. vires deperditas reſtaurant. ibid. laudantur in vitio digeſtionis & alvo ſtipata ibid. in malo hypochondriaco 36. paulo liberalius ſumta non tam facile nocent 38 nocent plethoricis 39. & ad iram propenſis ibid. variæ cum ipſis præparationes inſtitutæ recenſentur ib.
-- Italica diu non ſervant dulcedinem 37
-- Moſellana alvum movent 128
-- Roſter ubi creſcunt 30 aerem liberiorem diu ſuſtinere non poſſunt ib.
-- Tockavienſia Hungariæ generoſiſſima ſunt ib.
-- ſemen in emulſionem redactum diureticum & purgans eſt 130
Virium in ſenectute defectus 42. veterum de hoc ſententia 43 noſtra ibid. plethoricis ſæpe familiaris 59 quibus reſtituendæ 55
Vita quid 2. ſedentaria plethoræ ingenerandæ favet 28
Vitriarii ſpaſmodicis morbis obnoxii 28
Vitrioli oleum alvum ducit 128. & ejus ſpiritus ibid
Unctiones præ balneis ſenibus conducunt 50
Vomitus unde 146. quomodo concitetur 136. ſubſequentis ſigna 145 in gravidis a plethora ſæpe oritur 60 in infantibus ſæpe ſalutaris 17 nimius ab emetico antimoniali quomodo compeſcendus 136
Voracitas nimia ingeniis ſumme perniciosa 189
Urina evaporata ſal fixum relinquit 167 turbida ac pultacea ſæpe ab hæmorrhoidibus ſuppreſſis oritur 45 ejus ſtillicidium ſenibus familiaris 43 & cur 45

X

Xylobalſamum quid 74 ejus odor & ſapor ibid.

Z

Zibethum in colicis doloribus & aliis commendatur 173
Zythopeptæ quibus morbis pateant 28